Est autem sententia quorundam Theologorum dicentium, tale medium, seu rationem sub *qua*, aut obiectum formale quo fidei, non esse primam veritatem reuelantem, sed esse ipsam diuinitatem. Ita Aureolus, cui fauent Caietanus, & nonnulli alij. Fundamenta sunt. Primum, quia si prima veritas est obiectum formale quo fidei sequitur fidem non esse virtutem, neque laudabilem: probatur sequela, quia cum Deus sit prima veritas, quæ nec fallere, nec falli possit, non videtur laudabile, aut laude dignum ipsi credere, sicut in humanis non est res magni momenti credere homini sanctissimo. Secũdum, quia ratio sub qua fidei debet esse illud medium, quo intellectus assentitur rebus reuelatis à Deo: sed medio auxilio speciali Dei, aut medio ipso habitu fidei, assentitur noster intellectus rebus reuelatis, sicut medio habitu charitatis diligimus Deum, ergo auxillum diuinum, seu habitus fidei, & non prima veritas erit ratio formalis sub qua fidei. Tertium, quia quamuis habitus diuersi possint habere idem obiectum formale *quod*, nihilominus debent habere diuersam rationem formalẽ sub *qua*: sed habitus Theologiæ, imò, & prophetia, quæ differunt specie à fide, innituntur primæ veritati reuelanti tanquã rationi formali sub qua, ergo ista prima veritas reuelans non potest esse ratio sub qua fidei. Quartũ, quia prima veritas reuelans est vnum ex credibilibus, seu vnum ex illis quod fide creditur, ergo non est ratio sub qua fidei. Quintum, quia ratio sub qua fidei debet esse id, in quod fit vltima resolutio omnium, quæ creduntur, sed in primam veritatem reuelantem, non fit hæc vltima resolutio, ergo illa non est ratio sub qua fidei. Probatur minor dupliciter. Primò, quoniam nostro modo intelligendi prima veritas sequitur vt passio ad deitatem, tã loquendo de prima veritate in essendo, quam in dicendo; tum etiam quia si aliquis fidelis interrogetur, quare credis Deum esse trinum, respondebit, quia Deus reuelauit; &, si iterum interrogetur, quare credis Deo reuelanti, dicet, quia est prima veritas; &, si rursus quæras, quare est prima veritas, dicet, quia est Deus infinitè perfectus, & ibi sistet: ergo vltima resolutio fidei fit in deitatem & non in primam veritatem reuelantem.

Certa sententia.

Nihilominus certissima est communis sententia Theologorum asserentium, primam veritatem esse rationem formalem sub qua obiecti fidei. Colligitur ex Siluestrano nostro in 3. lect. 73. n. 7. Salmanticensib. in arbore virtut. num. 13. Philippo n. SS. Trinit. tom. 3. disput. 1. dub 1. Probatur primò ex testimonijs Sac. Script. in quibus fidei diuinæ assensus resoluitur in ipsam primam veritatem, Matth. 16. *Caro, & sanguis non reuelauit tibi sed Pater meus*. Ioann. 1. *Deum nemo vidit vnquam, Vnigenitus, qui est in sinu Patris ipse enarrauit*. 1. Thessalonicen. 2. *Cum accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non vt verbum hominum, sed sicut est, verbum Dei*. 1. Ioan. 5. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est*. Et infra, *Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se*. Alia habentur Isai. 55. Ioann. 12. & 18. 2. Corinth. 13. ad Galatas 1. & 1. ad Timoth. 3. ac 2. Petri 1. Secundò, quia nullum aliud assignari potest, vt ratio sub qua fidei, vt discurrenti patebit. Tertiò, quia fides in communi innititur veritati, seu veracitati loquentis tanquam motiuo formali: ergo fides diuina veritati, & veracitati Dei. Confirmatur, quia fides humana solum innititur tanquam motiuo formali veritati hominis loquentis, non nobilitati, potentiæ, aut alicui alij qualitati ipsius; ergo etiam fides diuina veracitati Dei, quę non solum est vera, sed ipsa prima veritas. Quartò, quia illud est ratio sub qua alicuius habitus cognoscitiui quo medio intellectus assentitur rebus cognitis, & in quod fit vltima resolutio, sed media prima veritate assentitur intellectus rebus creditis: credimus enim omnia, quia prima veritas dicit: similiter prima veritas reuelans est id in quo fit vltima resolutio; nam si aliquis interrogetur, quare credat Deo dicenti, adæquatè satisfaciet, dicendo, quia est prima veritas, quæ nec falli, nec fallere potest: ergo. Tandem, quia fides diuina ex sua ratione formali petit esse infallibilis, ita vt illi non possit subesse falsum, vt dicemus in sequentibus; sed hoc non potest habere, nisi quia innititur primæ veritati

rati, vt rationi sub *qua*, ergo prima veritas est ratio sub *qua* fidei.

Solutio ad primũ

Quare ad primum in contrarium nego sequelam: ad cuius probationem dico, quod quamuis verum sit, quod prima veritas nec falli, nec fallere possit, nihilominus laudabile est, & virtuosum credere illi, tum quia non est euidens ipsam loqui, aut reuelare; tum etiam quia etiam si euidens esset, ipsam loqui, aut reuelare, sicut forsan fuit euidens primo Angelo, nihilominus non est euidens id, quod dicitur, aut reuelatur, sed sæpius est obscurum, supernaturale, & supra totam naturam; & ita laudabile est, & virtuosum credere dictis à Deo.

Notatio pro secũdo argumento.

Pro solutione secundi notandum, motionem Dei specialem, aut illustrationem intellectus, quæ est auxilium ad credendum, habere duo munera, vnum ex parte obiecti credendi, quod est illuminare illud, alterum ex parte intellectus credentis; quatenus cum illo concurrit ad assensum fidei: quemadmodum lumen naturale intellectus respectu primorum principiorum exercet eadem duo munera, id est illustrare illa, ostendendo habitudinẽ terminorum inter illa, & concurrere cum intellectu effectiuè ad assensum illorum. Quemadmodum etiam lumen corporale habet etiam eadem duo munera, ideſt, illuminare colores visibiles, & concurrere media sui specie ad visionem colorum, saltem secundum probabilem multorum sententiam. Quo posito, dico ad argumentum; huiusmodi motionem, seu auxilium, quatenus concurrit efficienter ad assensum fidei, non pertinere ad rationem sub *qua* obiecti fidei; quia vt sic tenet se ex parte efficientis, non ex parte obiecti; quatenus tamẽ per illam met motionem illustratur, & illuminatur obiectum credendum, vt sic pertinet ad rationem sub *qua* obiecti fidei; quia, vt constabit ex dicendis, prima veritas non est quomodocunque ratio formalis fidei, sed vt reuelãs; reuelat autẽ media motione, aut auxilio. Vnde in forma ad argumentũ distinguo maiorem: ratio sub *qua* fidei est illud medium, quo intellectus assentitur, vt causa efficiẽte, nego; vt causa quasi formali extrinseca illuminante, & illustrante obiectum, concedo. Ad illud verò de habitu fidei diuerso modo est philosophandum de illo, ac de auxilio; nam auxilium habet duo munera dicta, habitus verò fidei non; quia solum concurrit in genere causæ efficientis ad assensum fidei: cuius signũ est, quod etiam si homo habeat habitum fidei, ad hoc tamen ad hoc vt credat, est illi necessaria specialis motio, seu auxilũ: quare quamuis motio diuina, seu auxilium possit dici pertinere dicto modo ad rationem sub *qua* obiecti fidei; habitui tamen fidei non potest id competere, quia solum concurrit in genere efficientis, vt dixi.

Solutio tertij.

Ad tertium concessa maiori nego minorem, quæ tangit difficultatem de distinctione fidei à Theologia, ac prophetia. Et quod attinet ad distinctionem Theologiæ dico, quod quemadmodum in naturalibus assensus principiorum, & scientificus, quãuis versentur circa idem obiectũ, differũt specie ex eo, quod primus innititur lumini naturali immediatè, & sine vllo discursu; secundus verò mediatè, & media demonstratione, & discursu; sic similiter fides, & Theologia, quæ similiter comparantur, vt habitus principiorum, & scientificus, quamuis versentur circa primam veritatem, tamen specie differũt, quia, iuxta dicta to. 1. Tract. 1. disp. 1. q. 8. fides innititur primæ veritati reuelanti, immediatè, & sine vllo discursu, Theologia verò innititur primæ veritati mediatè, & medio discursu, eo quod Theologia sit habitus acquisitus, fides verò sit habitus infusus: vnde non est eadem ratio sub *qua* vtriusque habitus. Quod attinet ad distinctionẽ fidei à prophetia, omissis multis de quibus recentiores, dico, prophetiam, & fidem differre specificè penes obiecta *quæ*, & penes rationes *sub quibus*: nam obiectum *quod* fidei est Deus, vt diximus, obiectum autem prophetiæ est aliquis Dei effectus, præsertim futura contingentia. Pro quo videndus D. Th. infra *quæst.* 172. *art.* 3. *in solut. ad primum.* similiter quamuis, prima veritas reuelans sit ratio *sub qua* tam fidei, quam prophetiæ; nihilominus, prout pertinet ad fidem includit essentialiter ineuidentiam, seu obscuritatem, prout pertinet tamen ad prophetiam abstrahit ab euidentia, & ineuidentia. Vnde licet communiter prophetæ non haberent euidentiam de obiectis; Christus autem Dominus habuit cognitionem propheticam euidentem; ex quo infertur euidentiam non excludi à ratione formali prophetiæ, sicut excluditur à ratione formali fidei.

Solutio quarti, & quinti.

Ad quartum dico non esse inconueniẽs, vt id, quod est ratio sub *qua* fidei sit etiã vnum ex credibilibus, aut ex ijs, quæ credimus, sicut in naturalibus, lumen est ratio videndi colores, & est vnum ex visibilibus, quæ videntur. Ad quintum cõcedo maiorem, & nego minorem, ad cuius probationem dico, quod vltima ratio, seu resolutio alicuius rei est duplex vna essendi, & alia cognoscendi; v. g. in ordine ad potentiam visiuam, si interroges, quare corpus est visibile, optimè respondebis, quia est coloratum, & in ratione visibilis, hæc est vltima ratio, seu resolutio, ita vt non sit vlterius progrediendũ.

Si autem

Si autem interroges quare est coloratum, iam ista quæstio non pertinet ad rationem videndi, sed ad rationem essendi; & ita respondebo, quia est corpus mixtum constans ex quatuor qualitatibus. Ita similiter in proposito vltima ratio credendi, & in quã fit vltima resolutio totius credulitatis fidei, est prima veritas reuelans; ita vt in processu, seu linea credulitatis non sit vlterius procedendum: si verò vlterius procedatur, assignari potest ratio essendi, ideſt quare Deus sit prima veritas, sed non ratio credendi. Quo posito dico ad probationẽ minoris: ex eo, quod prima veritas sequatur ad essentiam Dei tantum inferri dari aliam rationem essendi primæ veritatis, ideſt deitatẽ, non tamen, quod in ratione credendi detur alia ratio præter illam: similiter si fidelis interrogatus, quare credat Deum esse trinum, respondeat, quia ipse reuelauit, & quæsitus quare credat Deo reuelanti, respondeat, quia est prima veritas, nihil aliud ab ipso inquiri potest, quia esse Deũ primam veritatem est vltima ratio quare illi credimus. Vnde si aliud interrogetur vlterius, non pertinebit, sed potius erit impertinens interrogatio ad rationẽ credendi, licet non ad rationem essendi primæ veritati. Sic fermè ex recentioribus Tannerus, & Caspensis, quibus fauent Palaus, & Serra. Vide dicenda infra q. 5.

Quæstio quarta.

Quæ, & qualiter prima veritas sit ratio sub qua nostræ fidei.

Caietani doctrina.

PRæsupponenda est doctrina Caietani *hic*, nimirum, quod veritas sit duplex vna in essendo, & alia in dicendo; prima, conuertitur cum ente, quia est prædicatũ transcendens; secunda verò, quæ propriè reperitur in agentibus intellectualibus, consistit in duobus, primũ est, quod quis cognoscat rem sicuti est; secundum quod dicat sicut cognoscit: vnde ex duplici capite potest deficere veritas in dicendo; primò, ex ignorantia, si non cognoscat rẽ prout est: secundò, ex malitia voluntatis, si dicat rem aliter quam cognoscit. Vnde fit, Deum vtroque modo esse primam veritatem. Est enim prima veritas *in essendo* quia est primum ens, & per consequens, primum intelligibile. Est etiam prima veritas *in dicendo*; nam cum sit summè sapiens cognoscit omnia sicuti sunt, & cum sit summè bonus, dicit ea sicuti cognoscit, atque ita nec fallit, nec fallere potest. Quærimus ergo in præsenti, quæ veritas istarum, & quomodo, pertineat ad rationem sub *qua* fidei.

Et quoad primum, dicendum contra Caietanum *hic*, primam veritatem in dicendo, non in essendo, esse rationem formalem obiecti fidei. Ita communiter Theologi cum S. Thom. specialiter ex antiquis Alensis, Albertus, Durandus, Bonauentura, Richardus; & ex recentioribus, Medina, Bañez, Valentia, Canus, & alij. Probatur ex fundamentis adductis quæst. præcedenti. Etenim testimonia illa Sacræ Scripturæ manifestè loquuntur de prima veritate in dicendo, non in essendo; quia loquuntur de prima veritate reuelante, enarrante, testificante, &c. quod est idẽ ac prima veritas in dicendo. Similiter rationes ibi adductæ etiã probant de eadem prima veritate in dicendo, non autem in essendo: quod maximè constat ex eo, quod fides in communi, prout abstrahit à fide Diuina, & humana, innititur testimonio dicentis. Conclusio 1.

Nec obstat si dicatur, quod Visio beatifica habet pro obiecto formali etiã *quo* Deum sub ratione deitatis, aut primæ veritatis in essendo; ergo etiam fides, quæ correspõdet Visioni. Respondeo n. negando consequentiam, propter valde disparẽ rationem: videlicet, quia visio beatifica est clara, & euidens, & ita inniti debet Dei perfectioni prout est in se præsens Beatis: at verò fides est obscura, & ideo solum innititur testimonio Diuino, quod est inniti primæ veritati in dicendo, loquendo, seu testificando. Obiectio soluta.

Minus obstat si dicatur, quod cum in Deo idem sit esse primam veritatem in essendo, ac in dicendo, sic & ratio formalis obiecti fidei, sicut est prima veritas in dicendo, sic etiam in essendo. Nam facilè respondetur, sufficere ad hoc distinctionem rationis ratiocinatæ, quæ est inter huiusmodi veritates: sicut propter èandem distinctionem, quæ est inter bonitatem, & veritatem Dei, dicimus, Deum sub ratione bonitatis esse obiectum Charitatis, non sub ratione veritatis. Addo, primam veritatem in dicendo addere supra primam veritatem in essendo testimonium, seu testificationem Dei, quæ, cum sit aliquid creatum, & extra ipsum Deum, necesse est, quod sit aliquid distinctum ab ipso, & à prima veritate in essendo. Alia.

Quoad secundum verò de modo, quo prima veritas in dicendo est ratio formali obiecti fidei, dissentiunt Theologi. Etenim quidam dicunt solam ipsam primam veritatem esse talem rationem formalẽ, reuelationem autem, seu testimonium Dei solum esse cõditionem sine qua non. Ita Aragonius. Primò, quia fides est virtus De secundo quæsito.

Digitized by Google

tus Theologica, ergo ratio formalis obiecti illius, seu regula ipsius, quod idem est, debet esse quid increatum: sed reuelatio, aut testificatio Dei est quid creatum, nempè actio exterior illius, ergo sola veritas Dei, quæ est quid increatum, non autē reuelatio ipsius erit ratio sub qua fidei. Secundò, quia reuelatio solum est denominatio extrinseca in obiecto reuelato, aut credito, ergo non est ratio credendi: patet consequentia, quia ratio credendi, cum sit specificatiua actus realis, debet esse quid reale, & non extrinseca denominatio. Tertiò, quoniam reuelatio est quid sensibile, & fit per organum sensibile, scilicet per voces Prophetarum, Apostolorum, &c. at verò obiectum fidei debet esse spirituale, sicut & ipsa fides; ergo reuelatio nō intrat obiectum formale fidei, nisi tantum vt conditio. Quartò, quia non apparet, quæ nam reuelatio sit hæc, quæ pertinet ad rationem sub qua fidei, actiua, ne, aut passiua, immanens in Deo, vel transiens ad extra.

Probabilior sententia,

Sed tamen probabilius est, ipsam testificationem, aut reuelationem Dei pertinere ad rationem obiecti formalis, ita vt totum hoc, scilicet prima veritas, vt reuelans in actu secūdo, sit ratio sub qua fidei. Ita Sanctus Thomas de veritate, quæst. 14. artic. 8. ad 16 vbi inquit, eodem modo se habere testimonium Dei in ordine ad fidem, sicut manifestatio principiorum in ordine ad scientiam, cum tamen manifestatio principiorum non sit sola conditio, sed ratio formalis obiecti scientiæ. Ita etiam communiter tenent alij Theologi, maximè Bañez, Torres, Granadus, quibus adhærent Eminentissimus Lugo, Coninck, & Hurtadus.

Probatio

Probatur primò ex testimonijs Sacræ Scripturæ, in quibus ratio fidei nostræ redditur ex parte reuelationis, aut testimonij Dei. Matth. 16. Reddens Christus rationem fidei Petri inquit: *Caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus*, &c. similiter primæ Ioann 5. *Si testimonium hominum accipitis, testimonium Dei maius est*, quibus locis satis indicatur rationem formalē fidei, esse Dei testimonium, seu reuelationem. Deinde probatur ex Paulo ad Roman. 10. vbi dicit, quod fides est *ex auditu*; *auditus autem per verbum Christi*. Ex quo sic arguo, obiectum auditus est vox, aut locutio, ita vt obiectum auditus corporalis sit vox, aut locutio exterior, obiectum autem auditus spiritualis, qualis est intellectus, sit vox, aut locutio spiritualis, si ergo fides est *ex auditu, & auditus per verbum Christi*, vtique fidei nostræ obiectum erit vox, aut locutio Dei, seu Christi testimonium, aut reuelatio ipsius, atque ita pertinebit ad rationem formalem obiecti fidei. Secundò, quia id est ratio sub qua obiecti fidei, per quam intellectus mouetur ad assentiendum rebus creditis, sed non per solam primam veritatem, vt est in se, quasi per modum actus primi considerata; sed per testimonium, aut reuelationem ipsius mouetur, & determinatur intellectus ad assentiendum rebus fidei; quia etiam si Deus esset in se summè verax, si tamen non reuelaret nobis mysteria adhuc non determinaremur, aut moueremur ad credendum illis, ergo ratio formalis sub qua fidei non solum est ipsa prima veritas, sed etiam testimonium ipsius.

Obiectio

Si dicas, ex hoc tantum probari, reuelationem esse conditionem sine qua non, non tamen intrare rationem formalem obiecti fidei. Contra hoc est primo, quo etiam directè probatur conclusio, nam fides differt essentialiter à scientia, & opinione, quia istæ innituntur discursui, fides verò testimonio diuino; ergo intrat rationem formalem fidei testimonium diuinum: patet consequentia, quia principium distinctiuum, & constitutiuum dicitur esse idem. Secundò, & efficaciter, quia, vt diximus, ratio sub qua fidei est in quam resoluitur assensus illius, sed non resoluitur in solam Dei veritatem, vt est in se, sed in ipsam, vt reuelantem, vel testificantem, quia vnusquisque fidelis experiri potest se credere mysteria fidei, quia Deus, qui est verax in se, illa reuelat, ergo reuelatio, seu testificatio Dei intrat rationem formalem obiecti fidei.

Alia obiectio.

Sed obijcies si prima veritas, vt reuelās est obiectum formale fidei, sequitur dari processum in infinitum, sequela probatur, quia vnum ex his, quæ credimus, est primam veritatem reuelare, ergo reuelatum est ipsam primam veritatem reuelare, ergo per aliquam reuelationem, & idē dicam de illa, & sic in infinitum: Respondeo, obiectum fidei esse omne reuelatū, & etiam reuelationem ipsam, quæ etiam dicitur, & est reuelata, non per aliam reuelationem à se distinctam, sed per se ipsam: quemadmodum enim lumen corporale non solum illuminat colores, sed etiā quodammodo illuminat se ipsum, ita vt non solum sit ratio credendi colores, sed etiam videndi seipsum, & locutio, seu testimonium hominis non solum manifestat rem dictam, sed etiam seipsum, & est ratio credendi non solum ipsam rem dictam, sed ipsum testimonium, seu locutionem: pariter etiam reuelatio, quæ est quoddam lumen, illuminat reuelata, & est ratio credendi illa, illuminat etiam se ipsam, & est ratio credendi sibi ipsi, atque ita vitatur processus in infinitum.

Argumentorum solutio.

Quare argumentis respondeo; & ad primum

primum dico non esse necessarium ad virtutem Theologicam, quod ratio formalis obiecti, seu regula ipsius sit ipse Deus; sufficit, quod sit aliquid procedens, & dependens ab ipso, quale est testimonium diuinum, & reuelatio Dei, & est exemplum in alia virtute Theologica, scilicet spe, in qua etiam ratio formalis obiectiua, cui innititur, est auxilium Dei, quod est aliquid creatum, & dependens ab ipso. Ad secundum, omissa solutione Caietani, & Valen. *bis* dico, quod quamuis reuelatio, seu testimonium Dei sit solum denominatio extrinseca in rebus testificatis ab ipso, talis tamen denominatio non est aliquid rationis, sed aliquid reale extrinsecum, & ita potest esse specificatiuum habitus realis: præsertim, quia loquendo in nostro casu, reuelatio non est adæquatum specificatiuum fidei, sed prima veritas, vt reuelans.

Solutio 3. Ad tertium dico, reuelationem, cui per se, & tanquam rationi formali innititur fides, non esse nisi spiritualem, siue fiat immediatè toti Ecclesiæ, aut Capiti ipsius, siue etiam priuatis Ecclesiæ membris. Est enim quædam illuminatio obiecti crediti, quæ re vera est actus quidam nostri intellectus à Deo procedens. Nec obstat, quod reuelationis huius manifestatio sit aliquid sensibile, quia, vt dicemus quæstione sequenti, propositio sensibilis Ecclesiæ, qua proponitur aliquod obiectum vt credendum fide diuina, non pertinet ad rationem formalem obiecti fidei, sed tantum est conditio ipsius.

Quæst. 4. Ad quartum dico, duo esse cui hoc nomen *reuelationis* adaptari potest, primum est ipse conceptus diuinus, aut actio immanens Dei, qua vult reuelare aliquid; secundum est ipsa actualis reuelatio, seu testimonium, quod est extra Deum, de quo dicitur primæ Ioann. 5. *Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in seipso*; primum vocatur reuelatio *actiua*, secundò verò reuelario *passiua*. Quamuis ergo quidam Theologi cum Caietano dicant primam reuelationem pertinere ad rationem formalem obiecti nostræ fidei, non autem secundam; nihilominus probabilius videtur contrarium. Primò, quia intellectus noster non mouetur, nec determinatur proximè, & immediatè ad credendum à reuelatione actiua, sed à passiua; nec innititur conceptui, aut voluntati Dei volentis reuelare, sed ipsi actuali reuelationi, aut testimonio Dei, ergo istud, & non illud erit ratio sub qua fidei. Secundò, quia sicut voluntas creandi non est ipsa creatio, sed principium, & causa ipsius, & aliquid præuium ad illam, sic voluntas reuelandi, aut etiam diuinus conceptus reuelationis non erit propriè reuelatio, sed solum principium illius, & aliquid ad illam requisitum: fides ergo, quæ innititur reuelationi diuinæ, huic reuelationi passiuæ innititur. Quare dico, reuelationem passiuam transeuntem, esse, cui conuenit esse rationem sub qua fidei, propter dicta, & de ipsa loquimur in præsenti. Sic colligo ex Bañez, Torres, & Granado.

Obiectio Sed dices, ratio formalis obiecti fidei diuinę est ea, ex qua sumitur ipsius certitudo: sed hęc nō sumitur ex ipsa reuelatione passiua, sed potius ex actiua, & in manente in Deo, vel eius authoritate: hæc ergo, & non illa, erit ratio formalis obiecti fidei. Respondeo, quod quamuis hæc certitudo sumatur remotè, & radicaliter ex reuelatione actiua, & immanenti, seu ex authoritate Dei loquentis; proximè tamen, & immediatè non sumitur nisi ex reuelatione passiua, quia ipsa est, quæ proximè, & immediatè determinat intellectum ad assensum fidei; & cui immediatè innititur ipse assensus, & propterea ista, & non illa erit talis ratio formalis; quatenus tamen illam includit, & supponit. Per quod reduci possunt ad concordiam opiniones adductæ, quæ videntur contrariæ.

Quæstio quinta.

Vtrum propositio Ecclesiæ pertineat etiam ad rationem formalem sub qua obiecti nostræ fidei.

Suppositio. ALterum supponit quæstio, & alterum inquirit, supponit, propositionem Ecclesiæ, qua proponuntur mysteria fidei, vt credenda, & necessaria ad fidem, quęrit tamen an sit necessaria ex parte obiecti tanquam ratio formalis ipsius de vtroq; ergo dicendum est in hac quæstione.

Alia. Pro quo supponendum, quod cum mysteria fidei non solum sint supernaturalia, & excedentia vires naturæ, sed etiam sint non visa, seu obscura, vtpotè cognita solum propter testimonium Dei, hinc prouenit necessariam esse quandam Regulam veram, & infallibilem per quam proponantur nobis, quænam sunt illa, quæ reuelata sunt à Deo, & quæ non sunt reuelata. Ratio huius est, quia alias non prouidisset sufficienter Deus suæ Ecclesię, nisi esset ista Regula; imò nisi esset infallibilis, quia cum fides sit certa, & infallibilis, necessarium est etiam esse aliquam Regulam certam, & infallibilem,

per

per quam discernantur, quæ nam sint de fide reuelata, à Deo ab alijs, quę non sunt à Deo reuelata.

Ecclesia est Regula

Certum ergo est apud Catholicos hanc Regulam non esse aliam, nisi Ecclesiam. Nomine autem Ecclesiæ in præsenti intelligo, vel Concilium generale, quod repręsentat totam Ecclesiam, quando est congregatum auctoritate Romani Pontificis, vel ipsum Romanum Pontificem, siue cum Concilio, siue seorsum. Hanc veritatem docet non solum Sanctus Thomas *hic*, & artic. 10. cum eius expositoribus, sed etiam Rosensis, Bellarminus, Suarez, Valentia, & alij, qui contra hæreticos scripserunt. Probatur primò, quia non minus prouisum est fidelibus in nouo Testamento, quam in veteri; sed in veteri Testamento, dubia, quæ occurrebant circa obseruantiam legis, vel præceptorum, explicabantur, & definiebantur à Sacerdotibus, & Pontificibus illius legis, ac per consequens erat quædam Regula infallibilis, per quam discernebantur credenda à non credendis, vt patet ex locis Deuteronom. 17. & alijs, quæ communiter adduci solent; ergo multò magis in Ecclesia Christi, Summus eius Sacerdos, scilicet Pontifex Romanus, habebit hanc potestatem. Secundò, quia in Ecclesia, quæ sub Romano Pontifice militat, reperiũtur omnia, quæ sunt necessaria ad exercendum munus Regulę in proponendo res fidei, ergo, &c. antecedens probatur, nam est vna, & visibilis, sicut eius Caput, Pontifex, vnus, & visibilis est; rursus est infallibilis in proponendo, vt colligitur ex illo Lucæ 22. vbi Christus rogaturum se promisit pro fide Petri, & Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt*, &c.

Probatio.

Maximè tamen probatur hoc, quia, cum certum sit apud omnes, necessariam esse aliquam Regulam, per quam discernantur credenda à non credendis, nullum aliud ex his, quæ afferunt hæretici, potest esse talis Regula, nisi sola Ecclesia. Nam primò, ea non potest esse Sacra Scriptura, vt quidam hæretici volunt. Primò, quia Regula debet esse facilis, & perspicua, vt ab omnibus cognoscatur, Sacra autẽ Scriptura magna ex parte difficilis est, & obscura, & indigens expositoribus, sicut indiguit Eunuchus Reginæ Candacis *Act.* 10. vt Philippus interpretaretur illi Scripturam, quam legebat. Secundò, quia aliqua sunt de fide, quæ non continentur in Sacra Scriptura, sed solum habentur per traditionem; ergo Sacra Scriptura non potest esse Regula credendorũ; patet consequentia, quia Regula debet esse vniuersalis. Tertiò, quia cum olim fuerit dubium, qui nam libri Sacræ Scripturæ sint Canonici, qui verò non; necessaria est alia Regula distincta à Sac. Scriptura, per quam Canonici à non Canonicis discernantur; ac per consequens, impossibile est ipsam Sacram Scripturam esse istam Regulam. Deinde, huiusmodi Regulam, per quam discernantur ea, quæ sunt de fide, ab alijs, quæ non sunt, non posse esse testimonium internum cuiuscũque, quemadmodum volunt alij ex hæreticis; probatur primò, quia constat, varias hæreses, & hæreticos esse non solum docentes diuersa, sed etiam contradictoria; vnusquisque autem hæreticus affirmat se habere internum testimonium de illo, quod credit; ergo impossibile est tale testimonium esse Regulam; probatur consequentia, tum quia, vt sic essent plures fides, sicut & plures Regulæ; tum quia alias iam Regula fidei doceret falsum, cum inter contradictoriè opposita alterũ sit necessario falsum. Deinde, quia Regula fidei debet esse visibilis; cum sit etiã Regula Ecclesiæ, quæ visibilis est; testimonium autem vniuscuiusq; non est visibile. Tertiò tandem, quia alias non esset differentia inter fidem Catholicam, & fidem particularem particularium reuelationũ; siquidem testimonium priuatum sufficit ad istam. Maneat ergo vt certum, & indubitatum, de quo etiam in disputationibus de Papa, & Concilijs, huiusmodi Regulam, per quam discernuntur credẽda à non credendis, esse solam Ecclesiam Catholicam, quæ habet omnes conditiones ad rationem veræ Regulæ requisitas. Solum ergo est difficultas quæstionis an huiusmodi regulatio, seu propositio Ecclesiæ pertineat ad rationem formalem obiecti fidei, ita vt totum hoc, ideſt prima veritas reuelans per Ecclesiam, sit ratio sub qua obiecti fidei.

Prima sẽtentia.

Partem affirmatiuam, saltem vt probabilem videntur tenere Durandus, Gabriel, Michael Medina, Valentia, quibus adhæret ex nostris Philippus à SS. Trinit. tom. 3. disp. 3. dub. 2. Primò, ex illo dicto Diui Augustini tom. 6. contra Epistolam Manichæi, quã vocant, fundamenti, cap. 5. *Ego Euangelio non crederem nisi me authoritas Ecclesiæ commoneret*. Similiter ex Diuo Thoma infra quæst. 5. art. 3. dicente: *Obiectum formale fidei est prima veritas secundum quod manifestatur in Scripturis sacris, & doctrina Ecclesiæ*, ex quo sequitur quod obiectum formale fidei integretur ex prima veritate, & tali manifestatione facta per Ecclesiam. Deinde ratione, quia ratio formalis obiecti fidei est inquam resoluitur nostra fides; sed propositio Ecclesię est in quam resoluitur fides, ergo: minor probatur, quia credimus Deum esse Trinum, quia illud testatur Sacra Scri-

ptura, & rursus credimus Sacræ Scripturæ, quia Ecclesiam proponit illam, vt credẽ-dam, ergo resolutio fidei fit in propositionem Ecclesiæ. Confirmatur, nam in isto syllogismo *omne reuelatum a Deo est credendum mysterium Incarnationis est reuelatum à Deo, ergo credendum*, certè ratio assentiendi illi minori non est alia, nisi auctoritas Ecclesiæ, per quam credimus illud mysterium esse reuelatum à Deo, ergo. Tertiò, quia ratio formalis obiecti fidei est prima veritas reuelans, sed definitio, & assecuratio Ecclesiæ est quædam reuelatio illius, quod definitur, ergo pertinet ad rationem formalẽ obiecti fidei. Quartò, quia sicut olim Deus loquutus est per Prophetas, & alios Scriptores canonicos, reuelans, quæ illi prophetarunt, & scripserunt, sic loquitur modo per Ecclesiam; sed esse aliquid reuelatum per Scripturas canonicas Apostolorum, & Prophetarum, pertinet ad obiectum fidei, ergo similiter esse reuelatum per Ecclesiam.

Vera sententia.

Nihilominus dicendum est, solam primam veritatem reuelãtem esse rationem formalem *sub qua* obiecti fidei, propositionem autem Ecclesiæ solum esse conditionem sine qua non. Ita ex D. Bonauentura, Richardo, Caietano, Soto, Osio, Cano, Suarez, & aliis Prima pars colligitur ex Diuo Thoma *hic*, quatenus dixit primam veritatem esse obiectum formalem fidei, & nihil aliud. Secundò, quia alias sequeretur fidem nostram, & Angelorum differre specie, quippe respectu fidei illorum non est auctoritas Ecclesiæ ratio formalis obiecti, bene tamen respectu nostræ: falsitas autem sequelæ probatur, quia spes, charitas, visio Beatifica, & alij habitus sunt eiusdem speciei in nobis, & in Angelis, nullo ergo fundamento affirmari potest de fide quod non sit eadem secundum speciem in omnibus. Præterea quia quemadmodum nunc reuelat Deus per Ecclesiam mysteria fidei proponendo illa, sic etiam faciebat olim per ora Prophetarum, & Patriarcharum: sed hoc, quod est illa mysteria esse proposita per Prophetas, & Patriarchas, non pertinebat ad rationem formalem fidei, alias fides illius temporis esset diuersæ speciei à fide nostra, ergo neque modo propositio Ecclesiæ pertinet ad rationem formalẽ obiecti fidei. Deinde, quia licet Ecclesia proponat mysteria fidei, illa tamen non proponit, nisi vt instrumentum Spiritus Sancti, & Ministra ipsius, propter specialem assistentiam ipsius Spiritus Sancti, ergo ratio formalis assentiendi huiusmodi mysterijs propositis ab Ecclesia, non est ipsa propositio Ecclesiæ, quemadmodum ratio formalis credendi alicui Nuncio, Ministro, vel Legato Regis, non est propositio ipsius Nuncij, Ministri, aut Legati, sed auctoritas ipsius Regis.

Secundæ partis probatio.

Secunda vero pars nostri asserti probatur argumentis adductis pro contraria sententia, quæ illam conuincunt præsertim illud Augustini adductum. Secundò, quia, vti diximus, Ecclesia est Regula fidei, ergo est conditio credendorum. Quomodo autem propositio Ecclesiæ sit conditio ad hoc, vt credamus, non verò ratio formalis, explicatur rectè à nonnullis exemplo de magistro, qui in Scholis proponit suis discipulis principia, & conclusiones scientiæ, quæ docet, & illi assentiuntur talibus conclusionibus præcisè propter principia, ita vt propositio magistri solum sit conditio sine qua non assentirentur talibus principijs, & conclusionibus: sic enim in præsenti rebus fidei assentimur præcisè propter primam veritatem reuelantem; propositio verò Ecclesiæ solum deseruit, vt conditio manifestans nobis, tum reuelationem diuinã, tum res credendas propter eam.

Solutio argumentorum.

Vnde ad argumenta respondeo, & ad primum ex D. Augustino, & Sancto Thoma dico ex illorum verbis tantum elici, propositionem Ecclesiæ esse conditionem ad credendum, seu eam esse Regulam credendorum. Circa secundum autem est difficultas de illo in quo resoluitur nostra fides diuina: vbi non loquimur de eo, in quod resoluitur pia affectio voluntatis ad credendum, quia illius dantur diuersa motiua, v. g. miracula, prædicatio, sanctitas Ministrorum, &c. Solum ergo loquimur de eo in quod resoluitur nostra fides tanquam rationem formalem obiectiuam credendi.

Opinio quorundam.

In qua difficultate Auctores citati pro prima sententia fateri tenentur, resolutionem fidei fieri debere in authoritatem, seu propositionem Ecclesiæ, siquidem illa pertinet iuxta illos ad rationem formalem obiectiuam fidei. Præterea probatur secundo argumento adducto. Confirmatur, quia si vltima resolutio fidei fit in primam veritatem, sequitur dari circulum vitiosum, nam si quæratur à fideli cur credat Deum esse trinum, respondebit, quia Deus reuelat, & si quæratur cur credat Deo reuelanti, respondebit, quia Ecclesia proponit, ac tandem, si denuo inquiratur, cur credat Ecclesiæ præponenti respondebit, quia Deus reuelauit, & dixit Ecclesiæ esse credendum, iam ergo committitur circulus.

Contraria.

His non obstantibus, dicendum est vltimam resolutionem nostræ fidei fieri solum in primam veritatem reuelantem. Ratio est, quia vt communiter admittitur, vltima resolutio assensus intellectus fit solum in rationem formalem assentiẽdi, seu

dì, ſeu in motiuum ratione cuius aſſentitur, qualiter reſolutio aſſenſus ſcientifici ſolum fit in principia, quia illa ſunt tale motiuum: cum ergo ratio ſub qua noſtræ fidei ſit ſola prima veritas reuelans, ſequitur in illam ſolam reſolui aſſenſum fidei:

Solutio 2. argumẽti. Vnde ad argumentum ſecundum quæſtionis, conceſſa maiori, nego minorem, & ad probationem dico, quod loquendo de ratione formali credendi, non credimus Deum eſſe Trinum, quia Sacra Scriptura dicit, ſed quia prima veritas reuelat; ſolum ergo Sacra Scriptura deſeruit, vt applicans, & proponens myſteria fidei: ſicut enim Eccleſia eſt organum, & inſtrumentum Dei loquentis, ſic & Sacra Scriptura, licèt diuerſimodè, quia Eccleſia eſt vniuerſalis regula, Sacra Scriptura autem non eſt vniuerſalis, cum non omnia credibilia contineantur in illa, ſed aliqua habeantur ex traditione. Similiter Eccleſia eſt prima regula; Sacra Scriptura autem non eſt prima, cum iudicium de auctoritate illius pertineat ad Eccleſiam.

Solutio confirmationis. Ad confirmationem modo adductam, quæ eſt quaſi replica huius ſolutionis. Reſpondeo, nullatenus committi circulũ vitioſum: quando enim quis interrogatur, cur credat Deum eſſe Trinum, optimè reſpondebit, quia Deus reuelat; &, ſi vlterius interrogetur, cur credat Deo reuelanti: fatua eſt hæc interrogatio vt dixit Caietanus, quia cum prima veritas reuelans ſit ratio ſub qua fidei non eſt quærenda alia ratio ad aſſenſum fidei, ſicut, quia ratio formalis quare voluntas fertur in aliquod obiectum eſt bonitas illius, nõ eſt quærenda ratio quare feratur in obiectum ratione bonitatis: ſi autem interrogetur fidelis vnde ſciat, Deum reuelare ſe eſſe Trinum, ad hoc dicet, quod loquẽdo de ratione formali ipſa prima veritas reuelans homini ſe eſſe Trinum, reuelat etiam ſe reuelare: loquendo autem de conditione proponente, ſicut amans aliquod obiectum bonum, ſi interrogetur quare amat illud benè reſpondebit dicendo, quia illud cognoſcit, ſic etiam iſte optimè reſpondebit, quia Eccleſia proponit. Nec in hoc eſt aliquis circulus vitioſus, etiam ſi poſtea dicat ſe credere Eccleſiæ, quia Deus reuelat, quia ſemper fit reſolutio in primam veritatem reuelantem.

Solutio. Ex quo patet ad confirmationem ſecundi argumẽti quæſtionis. Reſpondeo enim primo, quod cum fides non ſit diſcurſiua, non innititur alicui ſyllogiſmo, ſed immediatè primæ veritati reuelanti. Deinde, etiam ſi eſſet diſcurſiua, ratio formalis aſſentiendi illi minori, ſcilicet *myſterium Incarnationis eſt reuelatum à Deo*, non eſt alia, quam ipſamet reuelatio myſterij. Quemadmodum enim, iuxta dicta quæſtione præcedenti, lumen manifeſtando colores etiam manifeſtat ſeipſum; & teſtimonium humanum manifeſtando rẽ dictam, etiam manifeſtat ſe ipſum; ſic etiam reuelatio quia eſt quoddam lumen ſupernaturale, & quoddam teſtimonium, manifeſtando myſterium, etiam manifeſtat ſeipſum: reuelando namque illud ſimul reuelat ſe reuelare. Quod maximè illi competere debet ex eo, quod eſt teſtimonium diuinum infallibile. Auctoritas autem Eccleſiæ ſolum pertinet ad illam minorem tanquam conditio, aut regula proponens, vt dictum eſt.

Ad 3. Reſpõd. quod etiã ſi admittamus definitionẽ Eccleſiæ eſſe quandam reuelationem myſterij, nihilominus non ex eo colligi debet eſſe rationem formalem fidei, quia cum fides ſit virtus Theologica, debet inniti non cuicunque reuelationi, ſed reuelationi, prout à Deo principaliter factæ, atque ita non innititur definitioni Eccleſiæ, niſi tanquam conditioni, aut regulæ proponenti, vt patet in exemplo adducto de Scriptura, Nuncio, Miniſtro, vel Legato Regis, cui non aſſentimur propter auctoritatem ipſius, ſed Regis tantum.

Solutio quarti. Ad quartum conceſſa maiori, nego minorem, quia ſicut propoſitio Eccleſiæ eſt tantum conditio ad aſſenſum fidei, ſic & propoſitio, quæ fit per Scripturas canonicas, licèt diuerſimodè, vt dictum eſt.

Dubij reſolutio. Ex dictis autem tam in hac, quam in præcedenti quæſtione reſolui poteſt dubium, quod aliqui tractant hoc loco; videlicet, an prima veritas reuelans, quæ eſt ratio formalis ſub qua obiecti fidei, debeat eſſe cognita antecedenter ad aſſenſum fidei propter illam. Reſpondeo enim negari non poſſe quin debeat eſſe aliquo modo cognita: quia illa eſt primũ motiuum, & determinatiuum intellectus ad habendum actum fidei, quod non poteſt facere, niſi cognoſcatur ab ipſa, ſiquidem ab obiecto incognito non mouetur intellectus. Confirmatur exemplo fidei humanæ, in qua, quia motiuum, & determinatiuum intellectus ad illam habendam eſt authoritas dicentes, & teſtimonium illius, ideo oportet, quod ſint aliquo modo cognita à credente antequã credat. Si autõ quæras an oporteat quod ſit cognita vt *quod*, ita vt ipſa terminet, abſolute, actum cognitionis, an verò ſolum, vt *quo*, ita vt tantum terminet cognitionem quatenus eſt ratio motiua, & determinatiua ad credendum. Reſpondeo, quod quamuis ſæpius contingat, quod ſit cognita vt *quod*, prout contingit ſi homo per naturalem cognitionem cognoſcat

noscat Deum esse primam veritatem reuelantem aliqua obiecta, aut per supernaturalem alium actum fidei credat Deum esse talem primam veritatem reuelantem aliqua, prout indicatur in S. Scriptura sæpius illis verbis; *Hæc dixit Dominus*; & in Symbolo illis; *Qui loquutus est per prophetas*, & alibi sæpius: quatenus tamen deseruit vt ratio formalis obiecti fidei, solum est cognita vt *quo*, quia hoc modo solum deseruit ad actum fidei, prout dicemus infra q. 8. cum ex eo probabimus fidem nec esse, nec posse esse discursiuam.

Corolarium. Vnde infertur, actum quo cognoscimus primam veritatem reuelantem quatenus deseruit ad actum fidei vt ratio formalis *sub qua* obiecti illius, esse ipsummet actum fidei. Sic enim colligitur ex Diu. Thom. infra quæst. secunda ad primum dicente, quod credere Deo, credere Deum, & credere in Deum non sunt *diuersi actus fidei, sed vnus, & idem* Secundò, quia generaliter loquendo ratio formalis *sub qua* alicuius obiecti attingitur à potentia eodem actu quo attingitur obiectum, vt patet generaliter in voluntate appetente bonum, & in intellectu cognoscente verum. Tertio quia ita colligitur ex Suarez & Tannero, quibus fauent Capreolus, Caietanus, Canus, & Valentia. Cum quibus etiam dicendum, contra quosdã oppositum existimantes, nullatenus cognitionem aliquam naturalem primæ veritatis reuelantis posse deseruire ad actũ fidei vt rationem formalem obiecti illius; tum quia cum actus fidei sit supernaturalis etiam quoad substantiam, petit habere pro obiecto formali *quo* aliquid supernaturale; tum quia cum assensus fidei sit superioris ordinis omni alio naturali, nullatenus potest in ipso fundari; tum quia alias esset minus certus quam ille, iuxta commune illud Aristotelicum: *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*; tum denique, quia resolueretur in illud, siquidem esset ratio formalis, cui inniteretur. Vide dicenda quæstio. 6. & 8. sequentibus.

Quæstio sexta.

Vtrum ad fidem diuinam præsupponatur aliqua fides, siue notitia humana.

Certum QVæstio hæc procedere potest tam loquendo ex natura rei, & ex parte actus credendi, quam de facto, & regulariter. Et quidem loquendo in priori sensu. Certum est, ad fidem diuinam nullatenus requiri aliquem actum fidei, aut notitiæ humanæ, qui illam præcedat. Ratio est, quia potest Deus immediatè per seipsum aliquem illuminare interius de aliquo obiecto credibili, ostẽdendo ei ipsius credibilitatem; quod dici solet cum euidentia in attestante. In hoc enim euentu ille illuminatus posset credere tale mysterium reuelatum. Secundò, id constat etiam, quia, cum aliquis est semel de doctrina fidei sufficienter instructus, potest sine aliqua notitia, aut fide humana credere mysterium, ergo signum est ad actum fidei nõ requiri essentialiter, aut ex natura rei aliquam notitiam, aut fidem humanam antecedentem. Solum ergo est difficultas in posteriori sensu, & respectu illorum qui de nouo veniunt ad fidem.

Rationes dubitandi. Ratio dubitandi est primò, quia si ad fidem diuinam præsupponitur talis notitia, aut fides humana, sequitur resolutionem nostræ fidei fieri in talem notitiam, aut fidem humanam, & non in primam veritatem reuelantem. Probatur sequela, quia quælibet res resoluitur in sua principia, si ergo fides humana est initium fidei diuinæ, resoluitur in illam. Declaratur, & confirmatur, quia, si aliquis credat mysterium Trinitatis inductus ab aliquo Euangelico Prædicatore propter aliquod miraculum, aut auctoritatem ipsius, re vera fides istius primò resoluetur in fidem humanam de auctoritate, & miraculo illius Prædicatoris. Secundo, quia ex oppositio sequitur dari initium nostræ fidei ex nobis, quod est error Pelagij, aut Semipelagianorum, vt vidimus tom. 2. Tract. 7. disput. 2. Probatur sequela, quia fides humana est ordinis naturalis, & per consequens potest haberi ex viribus naturæ, si ergo hæc præcedit fidem diuinam, daretur ex nobis initium nostrę fidei. Tandem tertiò, quia non apparet cuius obiecti sit fides humana, aut notitia, quæ præcedit ad fidem diuinam.

Conclusio. Sed dicendum est regulariter loquendo ad fidem diuinam præsupponi aliquam fidem, aut notitiam humanam. Ita communiter Theologi. Et probatur primò, experientia, qua constat singulos, & omnes de nouo venientes ad fidem induci ad credendum non præcisè, quia illis proponantur fidei mysteria, sed etiam propter aliqua signa, vel miracula, vel argumenta, quibus reddantur credibilia, qualiter Samaritani Ioann. 4. *Crediderunt propter verbum mulieris testimonium perhibentis, quia dixit mihi quæcunque feci*; & Sergius Paul. Act 13. audito Paulo, & viso miraculo credidit: & ipse Paul. etiam credidit ob signa, quæ circa illum facta sunt: & Diuus Augustinus *lib. contra epistolam fundã-*

Digitized by Google

fundamenti cap. 4. asseruit quod eum teneret in Ecclesia *confessio populorum, atque gentium, authoritas miraculis inchoata, spe nutrita charitate aucta, vetustate firmata*, &c. *successio Sacerdotum* &c. Secundò, quia, cum regulariter homines accipiant fidem ab alijs Prædicatoribus, necessè est primò, vt credant illa, quæ proponuntur ab illis, propter auctoritatem illorum, vt postea credant propter auctoritatem diuinam: sicut contigit in Samaritanis relatis, qui primò crediderunt propter verbum mulieris, postea verò dixerunt, *Iam non propter tuam loquelam credimus*.

Solutio rationis dubitandi

Vnde ad rationes dubitandi Respõdeo, & ad primam nego sequelam, cum enim certitudo fidei sit infallibilis, resolui non potest in fidem humanam, quæ fallibilis est? Et ad probationem dico, rem resolui in principia per se, & essentialiter componentia illam; fides autem humana non præsupponitur vt principium per se requisitum ad fidem diuinam, cum sine illa dari possit, sed vt aliquid necessariò regulariter præuium: quemadmodum cognitio sensitiua præsupponitur ad assensum scientificum, cum tamen assensus scientificus non resoluatur in illam, sed in sua principia. Ad confirmationem dico, aliud esse loqui de ipsa fide secundum se, aliud verò de voluntate acceptandi illam: quamuis ergo fides secundum se tantum resoluatur in primam veritatem; voluntas tamen acceptandi illam, potest resolui in alia principia, & motiua, quibus quis fuit inductus ad volendum credere, atque ita in aliquam fidem, aut notitiam humanam. Ad secundam nego sequelam, & ad probationem dico, quod quamuis ista fides, aut notitia humana antecedēs diuinam sit naturalis secundum se, nihilominus prout est conditio ad fidem, non potest haberi ex viribus naturę, sed ex speciali auxilio gratiæ; ne detur ex nobis aliquod initium iustificationis, aut aliquid cuius intuitu det nobis Deus primam gratiam, iuxta dicta tom. 2. Tract. 7. disp. 1. q. 3. ad tertiam rationem. Ad tertiam respondeo, non posse assignari regulam generalem de obiecto istius fidei, aut notitiæ humanæ quam diximus antecedere diuinam; est enim varium, & diuersum. Aliqui enim priusquam accipiant fidem diuinam alicuius mysterij in speciali illud etiam fide humana in speciali credunt: alij talem fidem habent de auctoritate, seu veracitate Prędicatoris, aut docentis fidē; quemadmodum Samaritani Ioann. 4. crediderunt propter mulierem: alij habent istam fidem humanam de aliquo signo, vel miraculo, ratione cuius inducti sunt ad credendum fide diuina, alij insuper etiam ex ijs, qui iam sunt fideles, credunt prius fide humana tale mysterium definitum esse ab Ecclesia, Concilio, aut Pontifice: alij denique prius credunt auctoritatem Ecclesiæ; vnde diuersimodè notitia hæc, aut fides humana prærequisita ad assensum fidei diuinæ prærequiritur in omnibus.

Quæstio septima.

Vtrum fides diuina extendatur etiam ad reuelationes particulares.

Suppositio.

COnstat ex dictis, obiectum fidei esse omne reuelatum à Deo; quia tamē inter reuelata ab ipso sunt quædam, quæ pertinent ad communem statum Ecclesię, vt quod *Deus factus sit homo*, quod *sit Trinus*, &c. alia verò, quæ tantum pertinent ad bonum particularis personę, vt si alicui reueletur *esse prædestinatum, fore saluandum*, &c. ideo quæritur in præsenti, an fides diuina extendatur non solum ad ea, quæ reuelantur pro communi statu Ecclesiæ, sed etiam ad huiusmodi particularium reuelationum.

Quorundam sententia.

Plures Theologi tenent, has duas fides specie distingui. Ita Caietanus, Sotus, Bañez, Canus, Zumel, Valentia, & alij. Primò, quia Diu. Thom. prima par. quęst. prima, art. 8, & in hac 2. a quæst quinta, art. 3. ait, quod fides diuina innitatur authoritati diuinæ prout in Sacra Scriptura, & Ecclesiæ doctrina manifestatur. Specie ergo distinguitur ab ea, quæ innititur priuatis reuelationibus. Secundò, quia obiectum fidei diuinæ est illud, quod innotescit per Ecclesiæ Principes, Prophetas scilicet, & Apostolos, sed particulares reuelationes non habent hoc: ergo fides Catholica, & fides particularium reuelationum sunt diuersæ speciei: maior probatur ex illo ad Ephes. secundo, vbi ait Apostolus fideles superædificatos esse *super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum*: & cap. 4. *Quosdam dedit Apostolos, quosdam autem Prophetas in ædificationem corporis Christi*. Confirmatur, quia fides nostra vocatur *Catholica*, idest vniuersalis, non ergo se extendit ad particulares reuelationes. Secundò, quia ratio *sub qua* fidei est diuina veritas reuelans, non quomodolibet, sed ministerio Ecclesiæ; cum ergo particulares reuelationes non manifestentur ministerio Ecclesiæ, non cadunt sub obiecto fidei, ac per consequens fides Catholica, & fides particularium reuelationum non sunt eadem fides secundum speciem.

Secunda

Secunda sententia.

Secunda sententia docet eiusdem speciei esse fidem, quæ innititur reuelationibus communibus factis toti Ecclesiæ, qua credimus dogmata, seu articulos; & quæ innititur reuelationibus priuatis, & qua credimus reuelata per ipsas. Sic Vega, Catharinus, Aragonius, Corduba, Bellarminus, Suarez, Granadus, Cardinalis Lugo, noster Philippus à SS. Trinit. tom.3. disputat. 1. dub.2. & plures alij. Quibus satis fauet Diu. Thomas, quatenus in hoc articulo primo, pro obiecto formali fidei solum ponit primam veritatem reuelantem, nulla facta mentione reuelationis publicæ, aut factæ toti Ecclesiæ. Fauent etiam Scholastici antiqui, qui eodem fermè modò loquuntur. Colligitur primò ex Paul. ad Hebr. 11. vbi cum ageret de fide diuina commendat eam, quã habuerunt Patres antiqui, scilicet Abraham, Sara, Isaac, Gedeon, Barach, Sanson, Iephte, &c. reuelationibus particularibus, quo satis indicat fidem particularium reuelationum eandem esse cum fide diuina. Secundò, ex Concilio Tridentino sess sexta, cap. 12. & 13. & can. 16. vbi etiam commendat fidem, qua aliquis crederet particulari reuelationi ipsi factæ de sua salute; indicans etiam eã fidem esse fidem communem. Tertiò ex ratione, quia scilicet vtraque fides, tam communium, quam particularium reuelationum, innititur eidem motiuo, seu obiecto formali *quo*, scilicet diuina veritati reuelanti: ex eo enim manifestè infertur vtramque esse eiusdem speciei; siquidem specificatio habituum in omniũ sententia solum sumitur ex obiecto, seu motiuo formali *quo*. Quartò, quia solum differunt penes hoc, quod fides particularium reuelationum non innititur propositioni Ecclesiæ, sicut fides generalium reuelationum: cum enim, iuxta dicta in superioribus sola prima veritas reuelans sit ratio formalis obiectiua fidei, propositio autem Ecclesiæ solum sit conditio, & applicatio quædam diuini testimonij, non poterit variari fides nisi solum accidentaliter. Quintò, quia fides quam habuerunt Angeli, Patriarchæ, Prophetæ, & Apoli, eadem secundum speciem erat cum fide nostra, sicut spes, charitas, & gratia iustificans illorum, eadem etiam erat cũ spe, charitate, & gratia, quæ infunduntur nobis: sed illa fides nõ innitebatur testimonio diuino proposito per Eccl. sed reuelationi solũ ipsius Dei, ipsis specialiter factæ; ergo eade fides est, quę extenditur ad omnes reuelationes, siue cõmunes, siue particulares. Deinde, quia hoc, quod est credere reuelationi obscurę Dei, qua reuelat aliquid in particulari alicui, non potest competere alteri virtuti, nisi fidei diuinæ; ergo ad illam spectat: consequentia patet, & antecedens probatur; quia non spectat ad Prophetiam, cum Propheria, iuxta dicta quæst. 3. non excludat euidentiam, quam tamen excludit reuelatio hæc, cum sit obscura: neque ad Prudentiam infusam, aut aliquod ex donis Spiritus Sancti, cum ista solum sint in iustis; fides autem particularium reuelationum etiam possit esse in peccatoribus: præterquam quod fides principaliter est speculatiua: Prudentia autem, & dona Spiritus Sancti totaliter, vel saltem principaliter sunt practicit necesse ergo est dicere pertinere ad fidem diuinam communem.

Argumenta porro pro prima sententia allata solum probant fidem præcisè, quatenus est *Catholica*, ideſt, *vniuersalis*, non extẽdi ad reuelationes particulares; quod est verissimum, quia præcisè vt talis non habet pro materia, nisi res reuelatas à Deo toti Ecclesiæ: non verò, quod quatenus est fides diuina infusa, aut Theologalis, non extendatur ad eas, vt probatum manet. Cum enim differentia ista, quod scilicet fides sit Catholica, vel solum diuina, infusa, aut Theologalis solum sit accidentalis, quia est solum ex parte materiæ, & modi reuelationis, non ex parte obiecti formalis *quo*, quod est prima veritas reuelans, ideo diximus, vnam, & eandem virtutem fidei secundum speciem extendi ad omnes reuelationes, siue communes, siue particulares.

Soluio argumentorum.

Obiectiones.

Sed dices primò, ad hoc, quod aliquid pertineat ad obiectum fidei diuinæ debet referri, seu ordinari in Deum, qui, vt in superioribus vidimus, est obiectum formale *quod* fidei: sed particulares reuelationes non ordinantur, saltem semper ad hunc finem, quemadmodum contingeret si Deus alicui reuelaret rem aliquam naturalem, v g. locum vbi est aliquis thesaurus, quæ fiant in Indijs &c. ergo fides huiusmodi reuelationum non pertinent ad virtutem fidei diuinæ. Secundò, quia alias si quis discrederet reuelationi particulari sibi factæ à Deo, esset hæreticus, quia eius error esset contra fidem diuinã, & posset esse cum pertinacia, & alijs conditionibus ad hæresim requisitis. Respõdeo tamen ad primum, concessa maiori negando minorem: omnia enim quantumuis minima, & naturalia, prout reuelata à Deo, sunt obiectum formale *quod* nostræ fidei, tũ quia omnia operatur propter seipsum Deus; tum quia omnia quoque naturalia etiam minima ordinat ad salutem hominum. Vide Suarez, & Granadum. Ad secundum verò dico, quod, & si discredens particulari reuelationi cẽseri debeat infidelis, qualis à multis censetur Zacharias, quia non credidit eis,

quæ

quæ Gabriel Angelus illi prænunciauit circa ortum Ioannis Baptiſtæ, Lucę 1. non tamen cenſendus eſt hęreticus ſecundum communem acceptionem, quia, iuxta illam, ſolum is talis vocatur, qui habet errorem contra communem Eccleſiæ fidem, & per ipſam propoſita. Vide Tannerum, & Cardinalem Lugo.

Quæſtio octaua.

An fides diuina ſit diſcurſiua.

Prima ſententia.

PRima ſententia eſt affirmatiua, dicit namque inter ea, quę per fidem credimus eſſe aliqua veluti principia, ex quibus alia per diſcurſum credamus, ſiue huiuſmodi principia ſint illa *Eccleſia habet auctoritatem infallibilem*, *Quidquid Deus reuelat eſt verum*, vel ſimilia. Hęc eſt ſententia Nominalium, quos ſequuntur Durandus, Marſilius, & ex recentioribus Michael Medina, Vaſquez, Becanus, Hurtadus, Ripaldus, & Dom. Cardin. Lugo. fundatur in Diu. Thom. art. 1. dicente, primam veritatem pertinere ad fidem, ſicut demonſtrationem ad ſcientiam: etenim ſcientia acquiritur ex demonſtratione per verum diſcurſum. Secundò, quia in hoc principio *prima veritas reuelat*, vel in hoc *Eccleſia habet auctoritatem infallibilem in proponendo*, continentur virtualiter myſteria, quę credimus, quemadmodum in principijs continentur concluſiones: quemadmodum ergo concluſiones cognoſcuntur ex principijs per diſcurſum, ita etiam myſteria fidei. Confirmatur, quia quotieſcunq; eſt illatio vnius ex alio ibi etiam adeſt & diſcurſus, ſed fidelis infert myſteria fidei ex eo, quod *prima veritas reuelat*, vel ex eo, quod *Eccleſia proponit*, ergo credit per diſcurſum. Tertiò, ex Apoſtolo 1 Corint. 15. vbi articulum reſurrectionis mortuorum infert ex articulo reſurrectionis Chriſti: inquit enim, *ſi Chriſtus reſurrexit, & nos reſurgemus*, ergo fides vnius articuli habetur ex alia; quod etiam docet Diu. Thom. 1. p. q 1. artic. 8. & infra quęſt. ſecunda, art. 5. & per conſequens fides erit diſcurſiua.

Secunda Sententia.

Nihilominus dicendum eſt, fidem non eſſe diſcurſiuam, ſeu, quod idem eſt, aſſenſum fidei non fundari in diſcurſu, ſed immediatè inniti primę veritati reuelãti. Ita communiter Theologi, præſertim Scotus, Capreolus, Caietanus, Canus, Bañez, Valentia, Suarez, Conink, Granadus, & Taunerus, qui oppoſitam ſententiam videtur appellare improbabilem, ac ex noſtris Philippus à SS. Trinitate to. 3. diſput. 4. dub 1. Ratio autem à priori ſumitur ex ijs, quę diximus tom. 1 Tract 6. diſput. 3. quæſt. 4. & alijs locis, ſcilicet diſcurſum eſſentialiter importare duplicem cognitionem non quomodocunque vnam ſucceſſiuè poſt aliã, ſed ita vt vna ſit cauſa alterius, quemadmodum in ſcientijs aſſenſus principiorum eſt cauſa aſſenſus cõcluſionis, eo quod per diſcurſũ adquirantur. Quo poſito ſic probatur hæc ſententia. Aſſenſus fidei eſt ſemper quidam aſſenſus rei reuelatæ non innitens in alio, quam in prima veritate reuelante, quæ eſt, vt diximus in ſuperioribus, ratio formalis ſub *qua* obiecti fidei; ergo non fundatur in aliquo diſcurſu, qui, vt diximus, importat duas cognitiones, quarum vna cauſetur ab alia. Conſequentia patet; & antecedens probatur; tum à ſimili de fide humana, quæ eſt ſimplex aſſenſus rei ab homine manifeſtatæ propter authoritatẽ dicentis; tum quia hic eſt modus ſpecialiſſimus operandi fidei, per quem diſtinguitur ab omnibus habitibus intellectualibus; tum à ſimili de virtute illa intellectuali, quæ vocatur *intellectus*; eſt enim habitus primorum principiorum, cognoſcens illa immediatè propter veritatem ipſorum, vt diximus tom. 2. Tract. 4. diſput. 4. quæſt. ſecunda; vnde, vt rectè ait Scotus *in 3. diſt. 24. quæſt. vnic. §. ad propoſitum*, aſſenſus fidei eſt quaſi primum principium; quemadmodum ergo hoc primum principium *Quodlibet eſt, vel non eſt*, vel iſtud *omne totum eſt maius ſua parte*, eſt quidam ſimplex aſſenſus elicitus ab intellectu immediatè propter veritatem ipſius principij, ſic etiam & aſſenſus fidei: tum etiam, quia generaliter loquendo ratio formalis alicuius obiecti, & obiectum ipſum attinguntur immediatè eodẽ actu, & non diuerſo, vt patet in lumine, vel colore, reſpectu viſionis corporis colorati, & illuminati, & in veritate reſpectu obiecti intellectus, & bonitate reſpectu obiecti voluntatis.

Probatio alia.

Deinde efficaciter; nam vel prima veritas, vt reuelans, quæ eſt ratio formalis obiecti fidei, creditur eodem actu, quo ipſa res reuelata, v. g. myſterium Incarnationis, vel diuerſo; ſi primum habetur intentum, & veritas noſtræ ſententiæ, ſcilicet quod aſſenſus fidei ſit ſemper actus immediatè propter primam veritatem reuelantem, prout etiam diximus ſupra quæſt 5. ſi vero dicatur ſecundum, quæro an ille actus ſit propter eandem primam veritatem reuelantem cognitam per aliũ actum, vel per eundem: ſi dicatur primum redit eadem quæſtio, & ita manifeſtè admittitur proceſſus in infinitum, quẽ tota ſchola reijcit: ſi verò ſecundum, manifeſtè etiam ſequitur, quod illo actu attingatur obiectum reuelatum propter eãdem

Digitized by Google

dem primam veritatem immediatè, & sine discursu, ac perinde, quod fides non sit discursiua; siquidem ille est actus fidei, alias non posset deseruire ad assensum fidei, iuxta dicta ea quæstione 5. Hanc rationem vrgent Suarez, & Tannerus relati, nec illi satisfaciunt contrariorum solutiones. Declaratur vlterius, quia si aliquid esset ex cuius cognitione assensus fidei procederet, vt propterea esset ex discursu, maximè prima veritas reuelans, in illo videlicet syllogismo, vel simili, *quidquid prima veritas reuelat est verum; sed prima veritas reuelat Deum esse Trinum, ergo est Trinus*: sed prima veritas reuelans, quæ sumitur in illa minori non deseruit vt cognita vt *quod*, sed tantum vt *quo*, iuxta dicta illa quæstione quinta, & iuxta modũ quo Logici dicunt, primam intentionem generis non prædicari de specie vt *quod*, sed vt *quo*, quia est ratio quare genus prædicetur de specie, ergo mysteria fidei non cognoscuntur ex alio prius cognito, ac per consequens non cognoscuntur per discursum.

Alia posteriori.

A posteriori etiam probatur ex multis inconuenientibus, quæ sequuntur ex opposita sententia, & quæ nequeunt ab aduersarijs euitari. Primum est, quod si assensus fidei esset per discursum, cum discursus sit quid naturale, quia fit medio lumine naturali, & pendet ex connexione extremorum cum medio, quæ est quid naturale, & solum importat illationem vnius ex alio, quæ etiam est naturalis, vtique etiam ipse assensus fidei esset naturalis. Secundum, quia alias non differret ab assensu Theologico; ille enim, iuxta commune plautum Theologorum, de quo diximus tom. 1. Tract. 1. disp. 1. quæst. 2. innititur diuinæ reuelationi medio discursu. Tertium, quod fides non esset habitus infusus, sed potius adquisitus nostris actibus, & medio discursu, prout eo loco diximus de Theologia. Quartũ, quod pari licentia dici posset Angelos in prima sui creatione credidisse vtẽdo discursu ex prima veritate reuelante; siquidem nos ita facere existimãt cõtrarij, & Angeli circa supernaturalia possint sicut nos discurrere. Quintum, quia similiter dicere posset aliquis quod veritas primorum principiorum non cognoscatur per seipsam, sed ex vi huius discursus; *Quidquid lumen naturæ ostendit est verum; sed lumen naturæ ostendit quod totum sit maius sua parte, &c. ergo illud est verum*. Sextum, quia valde eneruaretur dignitas fidei, quæ est specialis participatio scientiæ Dei, speciale donum ipsius, & lumen valde supernaturale, non argumentatiuum, aut inquisitiuum, prout de ipso dicunt aliqui Patres. Denique septimum, quia alias non esset in quo distinguerentur habitus fidei & habitus Theologiæ; cum tamen iuxta veram sententiam, de qua tom. 1. eo Tract. 1. disput. 2. diximus, quemadmodũ in alijs scientijs dantur habitus principiorum distincti ab ipsis, sic in Theologia habitus fidei, qui est habitus principiorum Theologiæ, est distinctus ab ipsa Theologia.

Roboratio.

Addendum tamen pro maiori explicatione eorum, quæ dicta sunt, assensum fidei ita exigere ex sui natura esse simplicem actum, & sine discursu, vt oppositum illi repugnet. Ratio est, quia hæc est natura, & essentia ipsius; ac per consequens est inuariabilis, & immutabilis. Esse autem hanc naturam, & essentiam fidei sufficienter probatur ex dictis in probatione nostræ sententiæ, scilicet, quia natura, & essentia ipsius est ferri immediatè in suum obiectum propter primam veritatem reuelantem, tanquam propter rationem formalem *sub qua*: quemadmodum ergo habitus primorum principiorum, quia inclinant ad assensum illorum immediatè propter ipsorum veritatem tanquam propter rationem formalem *sub qua*, repugnat, quod sint discursiui, ita & de fide dicendum. Secundò, quia fides diuina petit ex sua natura esse sententialiter diuersa ab habitu Theologiæ, sicut generaliter loquendo, habitus primorum principiorum in alijs scientijs est essentialiter diuersus ab illis; si autem discursiuus esset, non differret ab illo essentialiter. Tertiò, quia etiam fides petit essentialiter esse habitus infusus, & omnino supernaturalis: si autem assensus fidei haberetur per discursum, ex eo generari posset habitus fidei, & iam non esset infusus, sed adquisitus, nec omnino supernaturalis, vtpotè per discursum, qui est aliquid naturale, productus.

Solutio argumentorum.

Neque argumenta in contrarium oppositum suadent, ad primum enim ex Diuo Thoma dico, ipsum non comparare demonstrationem cum ratione formali fidei quantum ad hoc, quod sicut demonstratio fit per discursum, ita etiam res fidei credantur per illum, sed solum quantum ad hoc, quod quemadmodum demonstratio est ratio, cui immediatè innititur scientia, ita etiam prima veritas reuelans sit ét, cui immediatè innititur fides. Ad 2. concesso antecedẽti, nego consequentiã, quia ex eo, quod in prima veritate reuelante contineantur virtualiter mysteria fidei solum infertur cognosci posse per discursum ex cognitione illius, quod non negamus, sed solum dicimus, quod talis assensus per discursum habitus non est, nec potest esse assensus fidei, quia iste innititur primæ veritati reuelanti sine discursu,

ſcurſu, ſed eſt aſſenſus Theologiæ, quia innititur dictæ primæ veritati reuelanti mediatè ſolum, ſcilicet medio diſcurſu, quod eſt proprium Theologiæ, iuxta dicta eo tom. 1. Tract. 1. diſput. 1. queſt. 2. & 8. [Ex quo etiam ad confirmationem, conceſſa maiori, nego minorem. Non enim fidelis infert myſteria fidei ex prima veritate reuelante, prout cognita vt *quod*, ſeu per diuerſum actum, prout eſt neceſſarium ad rationem diſcurſus, ſed ſolum prout cognita vt *quo*, & vt ratio formalis *ſub qua*: quod ſi id facit per diuerſum actum, & vtendo dicta prima veritate prout cognita vt *quod*, tunc non procedit vt fidelis, ſed vt Theologus.

Roberti.

Soluitio tertij.

Ad tertium, iam diximus poſſe vnum articulum fidei ex alio deduci per diſcurſum, neque hoc negari poteſt. Quod non ſolum eſt verum quando vtraque præmiſſa eſt de fide, vt contingit in illo ſyllogiſmo expoſitorio : *Chriſtus eſt filius Dei ; Chriſtus redemit nos : ergo filius Dei redemit nos*; ſed etiam quando vna eſt de fide, altera lumine naturali nota, vt in iſta demonſtratione : *Omnis homo eſt riſibilis, Chriſtus eſt homo, ergo Chriſtus eſt riſibilis.* Et hoc eſt quod docet S. Thomas locis relatis in argumento. Solum enim dicimus, aſſenſum talis articuli, prout infertur ex vi illius diſcurſus nõ pertinere ad fidem, ſed ad Theologiam. Quod non ſolum conſtat ex dictis ſuperius, ſed vlterius etiam ex eo, quod aſſenſus, qui habetur per diſcurſum ex præmiſſis, quarum vna, vel vtraque ſit de fide, neceſſario debet eſſe minus certus aſſenſu fidei; tum ex illo Ariſtotelico proloquio : *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis* ; tum ex illo *concluſio ſequitur debiliorem partẽ*, quod non ſolum eſt verum quoad *materiam*, quatenus ſcilicet concluſio debet participare imperfectiones præmiſſarum, ſed etiam quoad *formam*, quia ſcilicet debet participare imperfectionem illationis, quæ eſt etiam aliquid naturale : cum ergo ex alia parte talis aſſenſus ſit de obiecto ſupernaturali in alteras vel vtraque ex præmiſſis, & agere de obiecto ſupernaturali ſolum ſpectet ad Theologiam, ideo neceſsè eſt dicere, quod ad illam ſpectet talis aſſenſus. Pro quo videnda, quæ diximus illa quæſt. 2.

Solum tenuerunt.

Dubij ſolutio.

Si quæras, an ſaltem dici debeat, quod aſſenſus fidei ſit ex diſcurſu virtuali, poſito quod nõ eſt ex formali. Reſpondeo quęſt. videri de nomine. Si enim per diſcurſũ virtualem intelligatur aliquis diſcurſus verſus, ad quẽ inclinet aſſenſus fidei, vt ſic nego, quod fidei aſſenſus ſit ex aliquo diſcurſu virtuali ; eo quod ipſe non inclinat ad talem diſcurſum, ſed ſolum ad aſſenſum immediatum : quemadmodum quamuis poſſit aliquis ſyllogizare circa veritatem primorum principiorum, quia tamen ad eum diſcurſum non inclinat ipſorũ veritas, non dicimus eam cognoſci per diſcurſum etiam virtualem. Si verò per diſcurſum virtualem intelligatur ſolum, quod in aſſenſu fidei propter ſui magnam perfectionem contineatur eminenter ratio diſcurſus, vt ſic non debet negari talis diſcurſus : etſi propriè potius eminentialis, quam virtualis appellari debeat.

DISPVTATIO II.

De conditionibus, ſeu qualitatibus credendorum ex fide.

Quæſtio prima.

An credenda ex fide diuina neceſſario debeant eſſe vera.

Primum certum.

ALIQVA ſupponenda ſunt pro huius quæſt. deciſ. Primum eſt, quod credenda ex fide diuina generaliter loquendo non ſolum ſunt ipſe Deus, & quæ ad ipſum intrinſicè ſpectant, ſed etiam omnia creata ſiue naturalia, ſiue ſupernaturalia : eo quod pertinent ad obiectum materiale fidei ; ſiquidem cadunt, vel cadere poſſunt ſub diuina reuelatione, quæ eſt, vt diximus obiectum formale *quo* fidei, & ordinari ad Deum ſub ratione deitatis, quod eſt obiectum formale *quod* eiuſdem fidei, vt diximus diſput. præcedenti quæſt. 2.

Secundũ

Vnde ſecundo certum, credenda ex fide, alia eſſe incomplexa, ſcilicet res ſimplices, vel de quibus aliquid enunciari poteſt, v. g. Deus, Angelus, homo, ſed etiam eſſe complexa, ſcilicet enunciationes ipſas, v.g. Deus eſt incarnatus, Antichriſtus erit, &c. Omnia enim iſta, ſicut ſunt à Deo reuelabilia, ſic etiam poſſunt eſſe fide diuina credenda. Solum ergo quæritur an etiam falſa poſſint à Deo reuelari, & fide diuina credi.

Priſcillianiſtarum hæreſis.

Pro parte affirmatiua referri poſſunt Priſcillianiſtæ, qui ſicut affirmabant licitum eſſe mendacium, ſic etiam dicebant Deum aliquando eſſe mentitum ; ac proinde, quod falſa poſſint à Deo reuelari,

Digitized by Google

& fide diuina credi. Sic enim post Diu. Augustinum referunt noster Carmelita, Guido, Praeolus, Castrus, Bañez, Bellarminus, Valentia, & alij, Fundati possunt in eo, quod Deus Genes. 4. dixit ad Cainum, qui timebat quod esset occidendus, *nequaquam ita fiet*, & tamen occisus est à Lamech, vt tradunt Hebræi, & docent plures Doctores. Secundò, quia *Ironia* est quædam species mendacij, vt communiter approbant Doctores cum Aristotele, & S. Thom. & tamen Deum vsum esse Ironia constat ex Sacra Scriptura Genesis 3. cum dixit: *Ecce Adam, quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum, & malum*. Tertiò, quia multoties in Sacra Scriptura dicitur Deum decepisse aliquos, videlicet Iob 12. *Immutat cor Principum terræ, & decipit eos*: & Ezechiel 14. *Ego Dominus decepi Prophetam*. Quartò, quia etiam ex Sacra Scriptura constat Deum falsum dixisse per alios, vt per Isaiã 4. Regum 20. prænuntiantem mortem imminentem Ezechiæ Regis, quæ tamen in plures annos postea dilata est. Et per Ionam Prophetam Ionæ 3. ex mandato Dei inclamantem: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur, quod tamen non ita contigit*. Ac præsertim, quia in ipsa Sacra Scriptura, quæ à Deo inspirante scripta fuit, reperiantur plures contradictiones: inter contradictorie autem opposita certum est vnum illorum falsum esse.

Fides Catholica.

Verumtamen, impium, blasphemum, & hæreticum est asserere Deum per seipsum aliquando esse mentitũ, ac per consequens fide diuina posse credi falsum, quia Deus illud reuelauit. Ita concorditer Scholastici, & Theologi, ac controuersistæ omnes. Maximè videndi ex nostris Paulus Perusinus circa prim. sentent. in prohem. quæst. 5. Philippus à SS. Trinitate tom. 3. disp. 2. dub. 2. Colligitur primo ex Sacra Scriptura. Etenim Exod 34. Deus vocatur *verax*, & Numerorum 23. de eo dicitur: *Non est Deus quasi homo vt mentiatur*: Ioann. 3. *Qui accepit eius testimonium signauit, quia Deus verax est*: Ad Roman. 3. *Est autem Deus verax*. Et ad Titum 3. *Quæ promisit qui non mentitur Deus*. Colligitur secundò ex plurium Patrum testimonijs, quæ recentiores adducunt. Tertiò, ex dicendis infra, quibus probabimus omnino implicare contradictionem, quod Deus mentiatur, aut dicat aliquid falsum.

Alia conclusio.

Dicendum secundò, eodem modo est impium, blasphemum, & hæreticum, dicere, Deum per alios aliquando locutum fuisse falsum, vel mentitum fuisse. Sic etiam Catholici omnes, & probatur ex testimonijs Sacræ Scripturæ adductis, quæ non solum probant Deum per seipsum, sed nec etiam per alios falsum vnquam locutum fuisse: tum quia in moralibus idem est, & eiusdem malitiæ mentiri per alios, ac mentiri per se: tum quia cum ea testimonia negant Deum vnquam falsum dixisse, aut mentitum fuisse, proculdubio loquuntur de ipso iuxta modũ, quo loqui solet cum hominibus, qui est ferè semper per alios, Angelos v. g. Prophetas, Scriptores Sacros, &c. Tum præterea, quia in eadem Sacra Scriptura non minus tribuuntur Deo quæ per alios loquitur, quã quæ per seipsum: Vt patet Isai. 1. Hieremię 2. Ioann. 14. ad Hebr. 1. & clarè 1. ad Thessalonicen. 2. *Cum accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non vt verbum hominum, sed (sicut est verè) verbum Dei*: Clarissimè etiam Math. 10. *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*. Id etiam constabit ex dicendis, dum ostenderimus tam repugnare Deo falsa loqui per alios, quam per se.

Solutio cõtrarior.

Quare contrarijs argumentis Respondeo, & ad primum dico, non esse certum Caimum fuisse occisum à Lamech, quia nec constat ex Sacra Scriptura, & à pluribus putatur comenticium, vt à Theodoreto quæst. 44. in Genesim. Deinde dato, quod ita fuerit, non ideo fuit mentitus Deus, quia cũ dixit ad Caim *nequaquam ita fiet*, sensus fuit, non fuisse impunè occidendum à quocumque, quemadmodũ ipse Caim existimabat. Vel dicas, si placet, solum Deus in illis verbis negauit, quod Caim timebat, ideſt, quod omnis, qui eum videret, interficeret ipsum, atque ita Deus verè dixit *non ita fiet*. De quo Expositores. Ad illud de *Ironia* dico, quod duplex est *Ironia*, altera est falsa quędam locutio, per quam aliquis fingit, & explicat de se minora, quam sint, quæ quidem per extremum opponitur vitio iactantiæ, quæ fingit, & explicat maiora, inter quæ medium tenet veritas. Hoc autem modo sumpta *Ironia* est vitiũ, & peccatum, & non reperitur in Deo. Alio modo sumitur *Ironia* pro quadam figurata loquutione, qua vtimur verbis, quasi in contrario sensu, & irrisione, quæ non est peccatum, aut malum; quia quãuis verba aliud significent, quam sit, gesta tamen & affectus oppositum dicunt. Hoc igitur tantummodo Deus vti potuit Ironia in loco relato in argumento. Ad illud de locutionibus Sacrę Scripturę, in quibus significatur Deum aliquos decepisse; dico exponendas esse sicut & alias, in quibus dicitur Deum esse auctorem, aut causam peccati, quæ non denotant actionem Dei, sed tantum permissionem ipsius; Vide dicta tom. 2. Tract. 5. disput 9 q 7. Ad quartum dico, comminationes illas

intelligi

intelligi debere, non quidem in sensu absoluto, sed conditionato, ideſt, nisi homines egissent pœnitentiam, vel si alia similis hypothesis non esset: quia ergo illæ conditiones non sunt adimpletæ, ideo comminationes nõ habuerunt effectum. Aliquando etiam dictæ comminationes intelliguntur solum secũdum cursum causarum naturalium, Vide Expositores eorum locorum, & S. Tho. infra quæst. 171. per totam. Ad quintum, prorsus negandum esse aliquam contradictionem in Sacra Scriptura, esto secundum apparentiam oppositum videatur. De quo eiusdem Sacrę Scripturę Expositores.

Difficultas. Maior difficultas est, an saltem de potentia absoluta Dei possit mentiri, aut falsum dicere, siue per se, siue per alium. Dixi *de potentia absoluta Dei*, quia loquẽdo de potentia *ordinaria* non est in eo aliqua difficultas, vt constat ex dictis, & cõstabit ex dicendis. Dixi etiam mentiri, aut falsum dicere, quia non sunt formaliter idem mentiri, & falsum dicere: etenim dicere falsum solum importat dicere id, quod re vera non est; mentiri autem, seu dicere mendacium, vltra hoc denotat etiam ire contra mentem, aut contra propriam sententiam: vnde possunt ab inuicem separari. Qui enim habens opinionem de aliqua propositione falsa, illam affirmat, dicit falsum, sed non dicit mendacium: è contra verò, si quis propositionem veram habet pro falsa, si illam proferat, dicit mendacium, sed non dicit falsum.

Mendacij natura. Supponenda igitur est natura mendacij: est enim *manifestatio alicuius rei contra id, quod existimatur verum*. Addunt aliqui, requiri ad mendacium, animum fallendi, seu decipiendi, ita Diu. Bonauentura, Canus, Bannes, & alij. Primò, quia Diuus Augustinus in *Enchiridion* mendacium definiens ponit quod sit animo, seu voluntate *fallendi*, Secundò, quia si quis proferat falsum, quod enidenter est falsum audienti, neque vllo modo existimat sibi esse credendum, non mentitur; signum ergo est requiri ad mendacium voluntatem fallendi. Sed dicendum est, hanc conditionem, & si implicitè, virtualiter, & interpretatiuè in mendacio includatur, non esse tamen necessariam explicitè, Ita colligo ex S. Thom. infra quæst. 110. art. 1. & tenent Richardus. Alensis, Durandus, Caietanus, Lorca, Tannerus, & Dom. Lugo. Primò, quia mendacium opponitur essentialiter enũciationi veritatis, sed sine animo expresso fallendi reperitur hæc oppositio. ergo & vera ratio mendacij Secundò, quia effectus proprius mendacij est generare falsam opinionem in mente alterius, sed sine animo expresso decipiendi hoc fit: ergo non est necessarius ille animus ad rationem mendacij. Ad Augustinum autẽ dico interpretari debere solum de animo, seu voluntate virtuali, & interpretatiua, & ea præsertim, quia in 2. *Soliloq.* clarè videtur excludere illam; distinguens enim fallacem, & mendacem dicit: *Omnis fallax appetit fallere, sed non omnis qui mentitur vult fallere*, &c. intellige, expresse. Ad rationem etiam nego illud assumptũ, cuius signum est, quod si ille talis, talem falsam assertionem iuramento firmaret, absdubiè esset periurus, signum ergo est ibi esse mendacium.

Sententia quorundam. His positis, circa præsentem quæstionem pro parte affirmante, scilicet Deum posse de potentia sua absoluta mentiri, vel saltem falsum dicere, per se, vel per alium, referuntur Holcoth, Aliacensis, Almainus, Adamus, & Gabriel. Quod probari potest, primò, quia Deus potest per hanc potentiam generare in mente alicuius assensum aliquem erroris, & infundere habitum erroris, ergo & mentiri per se, vel per alium. Secundò, quia multis sanctis Viris diuino spiritu inspirante concessum est mentiri. Qualiter fecit Abraham Genesis 22. dum dixit suis seruis quando ducebat Isaac filium suum ad sacrificium: *Postquam adorauerimus reuertemur ad vos*; & Iacob cum Genesis 27. dixit ad Isaac patrem suum: *Ego sum primogenitus tuus Esau*, & Ioseph cũ fratribus suis dixit Genesis 42. *Exploratores estis*, & cum dixit se Augurem esse. Quartò, quia si propter aliquid Deus nõ posset mentiri, maximè quia mendacium est intrinsicè malum, sed hoc non obstat, ergo, probatur minor, tum quia, quamuis sit intrinsicè malum, potest in eo dispensare, sicut in alijs præceptis naturalibus dispensare potest; tũ quia Deus non habet legem cui sit subiectus, ergo.

Tertia conclus. Nihilominus dico tertiò, etiam de potentia absoluta non potest Deus per se, vel per alium mentiri. In hoc conueniũt Theologi, & est tam certum vt oppositum vel sit hæresis, vel hæresi proximum, vt tenent Bañez, Suarez, Coninck, Granadus, Tannerus, Hurtadus, & Lugo contra aliquos, qui solum, vt veritatem Theologorum id defendunt.

Probatio prima. Probatur primò testimonijs Sacræ Scripturæ, quæ si rectè expendantur, probant etiam de potentia absoluta, Deum non posse mentiri. Primò, ex illo Matth. 24. *Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*: cum enim constet cælum, & terram de lege ordinaria transire non posse; verbum Dei, quod firmius est illis, nec de potentia absoluta præteribit. Item 2. ad Timoth. 2. de Deo dicitur:

citur. *Fidelis permanet, seipsum negare non potest*. Quasi diceret si non permaneret fidelis, hoc est verax, seipsum negaret, id est ageret contra propriam naturam: sed adhuc per potentiam absolutam non potest Deus se negare, aut agere contra propriam naturam, ergo neque mentiri. Tertiò ex illo Pauli ad Heb.6. *Volens Deus abundantius ostendere immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum, vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum firmissimum solatium haberemus*. Ecenim cum in hoc loco agat Apostolus de firmitate, seu stabilitate reuelatorum, seu promissorum à Deo, & eam appellet *immobilitatem*, & *res immobiles*, firmatas iuramento, proculdubio denotat, etiam in ordine ad potentiam Dei absolutam intelligi debere: siquidem certum est, etiã de potentia absoluta ipsius non posse esse transgressorem iuramenti, alias esset periurus, quod aures abhorrent. Id etiam probat illud: *Impossibile est Deum mentiri*; hoc enim *impossibile* etiam intelligi debere in ordine ad potentiam Dei absolutam, colligitur ex verbis, quæ subiungit Apostolus, scilicet: *Firmissimum solatium haberemus*: si enim Deus posset mentiri de potentia absoluta non haberemus *firmissimum solatium*, quia possemus timere an Deus vellet vti illa potentia ad non standum promissis. Alia circa hunc locum recentiores.

Secunda probatio.

Deinde probatur rationibus. Prima, sumitur ex infallibilitate fidei; nam fides habet infallibilitatem in credendo: si autem Deus posset pro sua potentia absoluta mentiri, careret illa, quia possent homines dubitare an vsus esset aliquando ista potẽtia. Similiter spes habet firmitatem in sperando; qua etiam careret si mẽtiri posset Deus de sua potentia absoluta. Nam si mentiri potest, quis scit an aliquando vsurus sit hac potentia, homines fruſtrando. Tertia, sumitur ex natura ipsa mendacij: ex eo enim Deus non potest peccare etiam per potentiam absolutam, quia peccatum opponitur naturæ, & bonitati diuinæ; sed similiter mendacium opponitur naturæ, & veritati diuinæ, quia sicut Deus est summa bonitas, ita & summa veritas, ergo sicut nulla potentia potest peccare, ita nec mentiri. Confirmatur, quia mendacium ita est ex natura sua, & intrinsicè malum, & peccatum, vt nullo fine, nullaque circumstantia possit reddi bonum, vt dicemus suo loco: sed Deus non potest efficere id, quod est intrinsicè malum, & peccatum, ergo nec dicere mendacium.

Concluſ. quarta.

Dico quartò, nec Deus potest de potentia absoluta dicere falsum, aut esse causa falsitatis, vel erroris. Hæc conclusio licet non sit forsan tam certa, quam præcedens, nihilominus verissima est. Pro qua noto, quod quemadmodum in peccato reperiuntur duo, scilicet materiale actus, & formale malitiæ, ita vt ad primum Deus concurrat, & sit causa, non verò ad secundum, nisi tantum permissiuè, quatenus negat gratiam efficacem; sic etiam in errore, aut falso iudicio duo reperiuntur, vnum pro materiali, quod est actus ipse intellectus, & alterum pro formali, quod est falsitas ipsa, aut priuatio veritatis: respectu primi, Deus est causa concurrendo simul cum intellectu; respectu verò secundi, non est causa, sed tantum se habet permissiuè, quatenus negat illud lumen in intellectu, quod si adesset, non esset tale iudicium falsum. Idem dico de falsis iudicijs, quæ contingunt tempore somni, vel amentiæ. Deus enim non concurrit ad illa formaliter vt talia, sed solum ad materialitatem ipsorum.

Quo posito, sic probo conclusionem. Primò, ex adductis, quæ etiam probant illam. Præsertim, quia si Deus posset quacunque potentia falsum dicere, aut falsitatis esse causa, certè nutaret valde authoritas Sacræ Scripturæ, Papæ, & Conciliorum, quia possemus dubitare an Deus iusto suo iudicio aliquid falsum eis suggesserit. Nutaret etiam spes circa promissiones ipsius, vt dictum est. Nutaret quoque charitas erga eum, qui ipsum putare possemus, dolosum, aut fraudulentum. A priori etiam secundò, quia veritas in dicendo est perfectio simpliciter simplex, vt per se patet: non ergo potest ab ipso abesse. Confirmatur, quia non minus Deus est verax, quam sit bonus, sicut enim est summè bonus, ita summè verax: sed ex eo, quod sit summè bonus, nullo modo potest etiam de potentia Dei absoluta peccare, aut esse causa malitiæ, ergo ex eo, quod sit summè verax, non poterit falsum dicere, aut esse causa falsitatis. Præterea, quia dicere aliquem falsum, vel esse causam falsitatis prouenit, vel ex eo, quod habet ignorantiam illius, quod dicit, vel ex eo, quod habet malitiam ratione cuius vult alios decipere; sed Deus, quia est summè sapiens, non potest habere ignorantiam, & quia est summè bonus, non potest habere malitiam, ergo. Ex quo etiam efficaciter probatur intentum, quia, vt constat ex dictis in præcedentibus conclusionibus, Deus per nullam potentiam potest mentiri: ergo, nec falsum dicere. Patet hæc consequentia, quia cum Deus non possit falsum dicere ex ignorantia, oportet, quod si falsum diceret, id esset ex certa scientia, & contra mentem suam, quod est mentiri. Denique

Probatio.

gene-

generaliter, tam hæc, quam præcedens conclusio probatur, quia Deus nihil potest facere, nisi propter seipsum, aut sui gloriam; mendacium autem, & falsitas potius sunt indecora, & ignominiosa Deo; imo contraria suæ naturæ, cum contrarientur iudicio vero, quod habet de omnibus rebus, quod iudicium est ipsa essentia, & substantia Dei: imo etiam directè ipsi Deo, qui est prima veritas indicendo, & essendo.

Solutio primi argumenti.

Vnde ad primum pro contraria sententia adductum, nego Deum posse sua absoluta potentia generare in aliquo intellectu aliquem assensum erroneum; quia, vt probatum est, non potest esse causa falsi formaliter vt talis, sicut neque formalis malitiæ peccati. Si dicatur, Deum posse causare omnia mala pœnæ, error autem est malum pœnæ: ergo. Respondeo primò, posse causare omnia mala pœnæ, quæ non sunt contraria eius naturæ, prout est error, falsitas, & mendacium. Secundo, dico, quod quamuis talis error si à Deo infunderetur esset malum pœnæ respectu hominis, cui imprimeretur, respectu tamen Dei esset malum culpæ, quia esset mendacium, & testimonium falsum. Hinc quoque habetur, Deum non posse producere habitum erroris, quia ille directè inclinat ad mendacium, & assensum falsum, non solum pro materiali, sed etiam pro formali, quod Deo repugnat. Prout diximus to. 2. Tra 4. dis. 7. q. 2 cũ Victoria, Suarez, Montesinos, & alijs, quibus iunguntur Medina, Aragonius, Granadus, Salas, Coninck, & Tannerus, contra Vasquez, Hurtad. & Dom. de Lugo. Præter dicta autem eo loco, vlterius hęc sententia roboratur, quia, si semel admittatur Deum posse de sua potentia absoluta generare aliquem actum, vel habitum erroris in aliquo intellectu, certè valde vacillaret nostra fides, qua posset aliquis formidare an Deus vsus fuerit hac potentia cum Scriptoribus Canonicis, Sũmis Pontificibus, Patribus Conciliorum, &c. qui fidei veritates Ecclesiæ proponãt.

Solutio secundi.

Ad secundum nego antecedens; ad cuius probationem, quantum attinet ad illud de Abraham, dico non fuisse mentitũ, quia etiam si haberet intentionem sacrificandi suum filium, iuxta Dei præceptum, nihilominus fretus diuina promissione, quod haberet posteritatem ex ipso, certo sperabat, quod Deus eum à morte liberaret, vel immolatum resuscitaret. Quod attinet verò ad illud de Iacob, nec ipse mentitus est cum dixit: *Ego sum filius tuus Esau*, quia ipse ex Dei voluntate repræsentabat illum; & ita figurate erat ille. Nec etiam fuit mendacium illud, quod dixit Ioseph: *Exploratores estis*; idem enim est, ac dixisse, quod videbantur Exploratores, vel tales apparebant, in quo sensu Sanctus alter Ioseph sponsus Virginis vocatur in Euangelio *Pater Christi*, quia scilicet talis putabatur. Quo etiam sensu idem Ioseph dixit ibidem se esse *augurem*, quia ab Aegyptijs vocabatur talis, cum esset verus Propheta, & non augur. Ad quartum concessa maiori, nego minorem, & ad probationem, iuxta dicta tom. 2. Tract. 6. disput. 3. quæst. 7. nego etiam ex dispensatione Dei posse proferri mendacium, propter ibi adducta. Et ad probationem in contrarium dico, quod quamuis Deus non habeat legem, quæ sit supra se, sua tamen natura est ipsimet lex, ratione cuius obligatur ad non mentiendum, vel non dicendum falsum, neque per se, neque per alium. Quia seipsum negare non potest, vt ait Apostolus 2. ad Timoth. 2.

Corollar.

Ex dictis autem in tota hac quæstione soluitur difficultas, quam Theologi communiter hoc loco tractant cum S. Thom. scilicet, vtrum fidei subesse possit falsum; hoc est, an per fidem diuinam possimus credere aliquid falsum. Respondendum enim est negatiuè cum S. Thom. hic art. 3. Ratio efficax est, quia nihil potest cadere sub fide, aut credi per fidem, nisi quod cadat sub prima veritate reuelante, aut, quod ab ipsa reuelatum sit; sed, vt ostensum est, falsum non cadit sub prima veritate reuelante, nec potest ab ipsa reuelari: ergo; Confirmatur ex Concilio Trid. sess. 6. cap. 9. dum dicitur; *Cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutũ.*

Difficultas.

Adhuc tamen restat difficultas, an per fidem diuinam possimus credere aliquid falsum, quod tamen appareat, seu existimetur verum. Videtur enim vera pars affirmatiua. Primò, ob plura exempla. Primum est de Iudæo, qui fide diuina credebat ante aduentum Christi, ipsum esse venturum, & postquam venit, quia existimabat nõdum venisse, etiã credebat esse venturum. Secundum, de eo, qui Hostiam, quæ exponitur in Pixide existimat esse consecratam, & re vera consecrata non est, nihilominus credit fide etiam diuina sub ea esse Corpus Christi. Tertium, de puero, aut rustico Christiano, qui cũ non habeat alium modum, quo instruatur in fide, quam doceri à Parocho, vel parente, credit fide diuina, quæ ab illis sunt proposita, & tamen potest contingere, quod Parochus, vel parens, vel ex ignorantia, vel malitia, proponat illi credendum aliquod falsum. Deinde secundò, quia cæteris virtutibus potest subesse falsum, existimatum verum; ergo & fidei: consequentia patet, & antecedens etiam

constat

sine respectu ad existimationem alicuius.

Dubium. Dubium tandem supereſt, an saltem mediatè possit fides esse causa erroris, vel falsitatis, ita vt propterea dici possit, quod fidei subsit falsum. Affirmant nonnulli, inter quos refertur Victoria: eo ducti argumento, quod potest aliquis conficere syllogismum, in quo vna ex præmissis sit de fide, altera vero falsa, vt si dicat, *nullus homo est risibilis; Christus est homo, ergo non est risibilis*: vel si dicas, *vbi datur duplex natura, ibi est duplex suppositum; in Christo est duplex natura, ergo duplex suppositum*: in hoc enim, & similibus, præmissa illa de fide elicitur ab habitu fidei, & tamen est causa conclusionis fuisse; cum certum sit secundum artem syllogisticã, quod conclusio causetur ab vtraq; præmissa: saltem ergo mediatè habitus fidei potest esse causa assensus falsi: ac per cõsequens fidei subesse falsum. Dicendum tamen, nullatenus admittendũ, quod adhuc mediatè fides sit causa assensus falsi, aut illi subsit falsum. Ratio sumitur non solum ex vulgari illo *ex vero semper sequitur verum*; sed ex dictis, scilicet, quia habitus fidei non solum est intrinsicè, & essentialiter virtus intellectualis, ac per consequens infallibiliter verus, sed etiam specialis participatio luminis diuini, cui repugnat omnino esse causa falsi, etiam mediatè. Vnde ad rationem dubitandi omissis multis, in quibus multum laborant recentiores, dicendum, quod quemadmodum claudicatio non tribuitur potentiæ progressiuæ, sed tibiæ deficienti, etiam si vtraque concurrat ad substantiã claudicationis: nec defectus scripturæ egregio Scriptori, sed calamo non bene aptato. quamuis vterque ad substantiam scripturæ concurrat, & in terminis Theologicis malitia peccati non tribuitur Deo, sed voluntati creatæ, eo quod quamuis Deus concurrat ad actum malum cum voluntate, non tamen concurrit ad malitiam ipsius; sic etiam in præsenti, falsitas illius conclusionis nõ tribui debet illi præmissæ, quæ est de fide diuina, sed solum alteri naturali, quia etsi vtraque concurrat ad substantiam actus falsi, tamen ad falsitatem ipsam formaliter solum cõcurrit illa præmissa naturalis. Sic fermè Gabriel, Bañez, Suarez, Serra, & alij Thomistæ. Ratio autem quare falsitas illius conclusionis solum refundatur in illam præmissam naturalem, non vero in aliam, quæ est de fide, ea est, quia illa tantum præmissa potest esse causa falsitatis, in qua continetur virtualiter falsitas, hæc autem nullo modo potest contineri in propositione, quæ est de fide, sed solum in propositione falsa.

Quæstio tertia.

An credenda fide diuina debeant esse obscura.

Notatio. DVplici in sensu procedere potest hæc quæstio. Primo quidem, ex parte obiectorum materialium fidei, an scilicet ea, seu res, quas credimus fide diuina, necessario debeant esse obscura, ita vt nullatenus possint alias esse clara, & euidentia. Secundò, ex parte obiecti formalis, an scilicet, formaliter quatenus credita sunt, necessario debeant esse obscura.

Primum dictum. Et in primo sensu quæstionis dicendum, obiecta materialia fidei, seu credenda per fidem posse esse alias clara, & euidentia, & ita non petere necessario quod sint ex se obscura. Ratio est euidens, quia inter obiecta materialia fidei numerantur plura, quæ alias claré, & euidenter cognosci possunt solo lumine naturali à Philosophis, vel Metaphisicis, vt sunt *Deum esse, esse vnum, infinitum, animam esse immortalem*, &c. Obiecta ergo fidei non sunt obscura, loquendo in primo sensu quæstionis.

Secundũ. Loquendo autem in posteriori sensu, dicendum est, quod credenda per fidem debeant esse necessario obscura, ex parte scilicet obiecti formalis, seu quatenus ab illa attinguntur. Ita tenet communis sententia DD. specialiter Diu. Tho. quæst. 1. art. 4. 5. & 6. Caietani, Bañez, Aragonij, Valentiæ, ac ex nostris Bachonis in 3. distinct. 24. quæst. 2. art. 2. Philippi à SS. Trinitate tom. 3. disput. 2. dub. 3. & aliorum contra Manichæos apud Diu. Augustinum lib. de vtilit. credendi cap. 1. Abailardum apud Diuum Bernardum epistola 190. Caluinum, & quendam alium Sectarium, apud Valentiam; imò ex Catholicis contra Franciscum de Marchia, & HolKot apud recentiores alios. Probatur primò, ex Sacræ Scripturæ testimonijs. Etenim 1. Corinth. 13. dicitur: *Videmus nunc per speculum, & in ænigmate*, & ad Hebr. 11. vocatur fides *argumentum non apparentium*, & 2. Pet. 1. comparatur *lucernæ lucenti in caliginoso loco*. Secundò, ex Patribus, quorum plura testimonia leguntur in recentioribus, & vulgare illud ex Diuo Augustino desumptum: *fides est credere quod non vides*. Tertiò, ratione S. Thom. hic articulo 4. quia actus fidei est liber etiam quoad specificationem, vt proinde nõ eliciatur. nisi præuia motione voluntatis, quæ vocatur pia affectio, per quam inclinetur intellectus ad credendum, vt constabit ex dicendis infra disp. 9. ergo signum est, quod ratio formalis obiecti fidei

reuelata sunt magis expresse.

Hic tractant aliqui an fides ita sit obscura, vt nullatenus consistere possit cum euidentia testimonij diuini, aut Dei reuelantis. Sed de hoc commodius dicemus infra quæst. 6.

Quæstio quarta.

An credenda fide diuina possint esse simul scita, aut visa euidenter.

HAec quæstio eadem est cum celebri illa, quæ quæritur, an actus fidei diuinæ compati possit cum actu scientiæ, & visionis claræ eiusdem obiecti, & ideo simul cum ipsa tractanda. Præsupponenda tamen aliqua, quæ sunt certa. Primum est, quod successiuè vnum post aliud possunt esse in eodem subiecto, actus fidei, actus scientiæ, & actus visionis: potest enim Philosophus Christianus modo credere hanc propositionem; *Deus est*, postea per euidentem demonstrationem habere scientiam de illa, & tandem in Patria habere claram visionem illius. Secundum, non esse quæstionem de habitibus, scilicet de habitu fidei, & scientiæ: isti enim benè possunt esse simul; vt patet in Philosopho Christiano, in quo sunt simul habitus fidei, & habitus scientiæ de Deo, & eius attributis; cum ex eo, quod Philosophus fiat Christianus, non perdat habitum scientiæ de veritatibus naturalibus Dei. Pro quo videndi ex nostris Paulus Perusinus circa 1. sent. artic. 2. con. 3. & Syluestranus in 3. lect. 74. & apud ipsum Gerardus quod lib. 2. quæst. 12. artic. 3. Idem è contra dico, si Christianus fiat Philosophus, & addiscat Philosophiam, nõ enim propterea perdet habitum fidei. De habitu autem luminis gloriæ, quod saltem de facto non sit cum habitu fidei, constat ex dictis tom. 2. Tract 4. disput 3. quæst. 11. & constabit ex dicendis alijs locis, ac ex Syluestrano lect. 75. conformiter ad doctrinam Bachonij. Tertium, quod si comparemus habitum scientiæ cum actu fidei, vel habitum fidei cum actu scientiæ, rectè etiam possunt esse simul. Ratio est, quia Philosophus Christianus, qui habet fidem habitualem huius propositionis, *Deus est*, non ex eo priuatur, quo minus per demonstrationem etiam illam cognoscat, ac per consequens habeat actualem scientiam illius. Similiter, qui habet habitum scientiæ de vna propositione, si illi proponatur, vt à Deo reuelata, poterit illam credere: benè ergo esse possunt habitus fidei cũ actu scientiæ, & habitus scientiæ cum actu fidei. Difficultas ergo est, & non leuis de actibus ipsius fidei ex vna parte, & visionis, aut scientiæ ex alia, & quærimus an possint esse simul in eodem intellectu, ita vt credenda per fidem diuinam non possint simul esse actu scita, aut visa; an verò è contra.

Præsupponenda.

Prima sententia tenet actum fidei, & visionis simul posse esse in eodem intellectu. Ita Alensis, Albertus, Altisiodorensis, Bonauentura, Durandus, Gabriel, & ex nostris Syluestranus supra lect 77. quibus ex recentioribus magna ex parte adhærent, Valentia, Suarez, Dom Lugo, Hurtadus, Conink, & alij. Probari potest primo ex illo, quod Christus dixit ad Thomam Ioann. 20, Quia *vidisti me Thoma, credidisti*; ergo simul vidit, & credidit. Secundò, quia Beatissima Virgo euidenti experientia cognouit se concepisse sine opera viri: similiter Apostoli experimento cognouerunt humanitatem, passionem, & Resurrectionem Christi; & tamen crediderunt hæc mysteria, quia inconueniés est dicere eos caruisse merito fidei, & solum habuisse naturalem cognitionem eorum. Tertio, quia si propter aliquid hi actus non possent esse simul, maximè quia actus fidei dicit imperfectionem repugnãtem cum actu visionis, aut scientiæ: sed etiam cognitio creaturarum in proprio genere, quæ vocatur *vespertina*, dicit imperfectionem respectu visionis earum in verbo, quam vocant *matutinam*, & tamen sunt simul in Beatis, ergo. Quartò, quia tota oppositio inter visionem, seu scientiam, & actum fidei, est propter euidentiam, & ineuidentiam, determinationem, & indifferentiam actuum, sed quamuis hæc repugnent respectu vnius actus, tamen respectu plurium actuum, nõ dicunt repugnantiam, ergo. Quintò, quia fides humana potest esse simul cum scientia: si enim alicui dicat Magister aliquam propositionem, & simul ostendat principia, ex quibus deducitur, iste talis simul habere potest actum fidei humanæ propter auctoritatem dicentis, & actum scientiæ propter principia. Sextò, quia Sacra Scriptura, & Concilia proponunt multoties credenda à fidelibus ea, quæ per scientiam naturalem cognosci possunt vt *Deum esse, esse vnum*, &c. Signum ergo hæc omnia simul credi, & sciri. Septimò, quia medium scientiæ, & fidei scilicet demonstratio, & testimonium diuinũ possunt simul applicari ad hanc propositionem, *Deus est*, ergo de illa erit simul actus scientiæ, & fidei; probatur consequentia, quia si ista duo media applicantur, vnum istorum non impedit aliud,

Prima sẽtentia.

Digitized by Google

quia nec medium scientiæ impediet medium fidei, cum illud sit naturale, istud verò liberum; neque è contra medium fidei impediet medium scientiæ, quoniam efficacius est medium fidei, quam scientiæ; ergo possunt esse simul scientia, & fides.

Secunda sententia,

Secunda sententia negat actum fidei posse esse in eodem intellectu cum actu scientiæ, se visionis de eodem obiecto. Ita S. Thomas in his articulis, & 1.2.q 67. artic.3. & alibi, Scotus, Ricardus, Caietanus, Zumel, Sotus, Molina, Bañez, Lorca, Turrianus, Granadus, & alij. Maximè ex nostris Bachonius in tertio distinct.24. artic.1. Philippus à SS. Trinitate, tom.3. disput.2.dub.4. Quam sententiam vt probabiliorem defendo, loquendo de facto, & potentia ordinaria, secus verò de potentia absoluta, per quod forsan ad concordiam reduci possunt sententiæ relatæ.

Prima conclusio

Dico ergo primò, non possunt de facto, aut potentia ordinaria esse simul in eodem intellectu actus fidei, & scientiæ, seu visionis eiusdem obiecti. Colligitur primò ex testimonijs Sacræ Scripturæ quæstione præcedenti adductis, & testimonijs PP. ibi commemoratis, quibus dicitur, obiectum fidei non posse esse visum, aut euidens: si enim simul essent scientia, aut visio, & fides de eodem obiecto, iam obiectum fidei esset visum, & euidens eodem temporis instanti. Deinde quia experientia constat, quod cum quis proprijs oculis aliquid videt, v.g quod *Sol lucet*, aut *dies est*, etiam si aliquis testificetur id ipsum, nihilominus nullum assensum præbeat, aut præbere possit propter testimonium illud testificantis, quod signum est cum actu fidei, etiam humanæ, non posse consistere visionem claram eiusdem obiecti. Tertiò, & à priori, quia ea, quæ opponuntur priuatiuè non possunt esse simul in eodem subiecto: ideo enim diximus tom.2. Tract.7. disput. 7. quæstio. 4. gratiam, & peccatum non posse esse simul: sed actus visionis, & actus fidei opponuntur priuatiuè, nam actus visionis dicit claritatem, & euidentiam; actus verò fidei obscuritatem, quæ est priuatio claritatis, ergo actus fidei, & visionis nequeunt esse simul in eodem intellectu. Idem argumentum fieri potest de actu scientiæ: etenim etiam habet oppositionem priuatiuam cum actu fidei: siquidem ille includit claritatem, & euidentiam, iste verò obscuritatem, quæ est priuatio claritatis. Confirmatur, quia non minus repugnant esse simul actus clarus, & actus obscurus de eodem obiecto, quam assensus verus, & assensus falsus circa idem obiectum; & actus temperantiæ, & intemperantiæ circa eandem materiam; sed isti actus repugnant esse simul; ergo & illi. Maior huius discursus probatur, quia in omnibus his actibus est eadem oppositio, scilicet priuatiua, nam sicut assensus falsus dicit priuationem veritatis, & actus intemperantiæ priuationem rectitudinis temperantiæ, sic actus fidei dicit priuationem claritatis, & euidentiæ, quæ est in actu scientiæ, & visionis. Si dicatur, ex hoc sequi contra id, quod supra diximus, nec etiam esse posse simul in eodem intellectu habitum fidei, & habitum scientiæ: si quidem alter est clarus, & alter obscurus. Respondeo, esse diuersam rationem inter actus, & habitus, quia claritas, & obscuritas conueniunt formaliter actibus visionis, & fidei, & quia obscuritas est priuatio claritatis, ideo diximus hos duos actus non posse simul reperiri: at verò claritas, & obscuritas conueniunt habitibus solum virtualiter, vel eminenter, quatenus sunt principia actuum, & ita non est in illis tanta oppositio priuatiua, vt non possint esse simul. Præterea generaliter probatur hæc sententia ratione indicata à S. Thom. quia impossibile est, saltem naturaliter loquendo, quod intellectus noster assentiatur eidem obiecto cõuictus, determinatus, & coactus à veritate illius, & simul liberè; indifferenter, & indigens motione alterius; sed si intellectus posset simul habere actum visionis, seu scientiæ clarę, & actum fidei, hoc modo operaretur: ergo impossibile est, saltem naturaliter loquendo, ita de facto cõtingere. Minor est certa, & constat ex dictis, & dicendis, nam intellectus in actu scientiæ, seu visionis clarę operatur determinatus, conuictus, & coactus à veritate obiecti, ita vt non possit vllo modo ab illo desistere, perseuerante cognitione veritatis illius; & è contra in actu fidei ita operatur liberè, & indifferenter, vt possit non elicere illum; imo ad hoc, quod illum eliciat indiget necessario motione voluntatis, seu pia affectione, vt dicemus quæstione sequenti. Maior verò probatus, tum quia incredibile videtur, quod modi tam diuersi operandi conueniant intellectui, qui est potentia valde limitata, tum exemplo voluntatis, quæ nunquã operatur simul, saltẽ naturaliter loquẽdo, vtroq; illo modo, sed vno, vel alio ex ipsis. Denique, quia medium, seu motiuum fidei, scilicet testimonium manifestans obiectum fidei, non est sufficiens mouere intellectum in præsentia motiui scientiæ, seu visionis, ergo cum actu scientiæ, seu visionis non potest esse simul actus fidei, consequentia patet, quia præsentia horum actuum requirit præsentiam motiuorum. Antecedens verò probatur, quia motiũ fidei, scilicet testimonium alterius, cum

non

non manifeſtet obiectum, niſi obſcurè, & dependenter à libera voluntate credentis, eſt nimis debile, fragile, & infirmum, at verò motiuum ſcientiæ, vel viſionis. ideſt, demonſtratio, vel præſentia obiecti, cum illud manifeſtet clarè, & independenter à voluntate, ac determinet intellectum ad aſſenſum, eſt nimis efficax, validum, & forte; ergo motiuum fidei non eſt ſufficiens in præſentia motiui viſionis claræ, aut ſcientiæ claræ, ad mouendum intellectum: ſicut nec lumen ſtellarum, vt experienti patet, eſt ſufficiens mouere potentiam viſiuam in præſentia luminis Solis.

De qua ſcientia eſt ſermo

Loquimur autem in hac concluſione de ſcientia clara, & euidentia, quales ſunt ſcientiæ naturales; aſſenſus enim talis ſcientiæ, eſt de quo dicimus non poſſe eſſe cum aſſenſu fidei; aſſenſus enim ſcientiæ obſcuræ, qualis eſt Theologia, benè pōt eſſe cū aſſenſu fidei. Ratio eſt, quia ratio præcipua quare actus fidei nequit eſſe cum actu alterius ſcientiæ naturalis, aut ēt viſionis, eſt, quia actus fidei eſt obſcurus dicēs priuationē claritatis reperţ in actu alterius ſcientiæ naturalis, & viſionis: ſed actus Theologiæ eſt obſcurus, ſicut & actus fidei, cum procedat ex principijs de fide, ac per conſequens, habet etiam obſcuritatem illius: benè ergo poſſunt eſſe ſimul actus fidei, & actus ſcientiæ Theologiæ. Secundò, quia nulla ratio aſſignari poteſt, quare dum intellectus credit aliquam propoſitionē de fide, v. g. *in Chriſto ſint duæ voluntates*, ex teſtimonio diuino; etiam aſſentiatur ſimul eidem propoſitioni per diſcurſum Theologicum. Si inſtes obſtare huic doctrinæ id quod ſupra diximus, videlicet, quod repugnet intellectū aſſentiri ſimul vni veritati liberè, & neceſſario; quod etiam contingit in caſu, quo intellectus aſſentiatur alicui concluſioni per fidem, & per demonſtrationem Theologicam; ſiquidem per fidem aſſentitur ei liberè, per demonſtrationem autem Theologicam neceſſario. Reſpondeo, quod cum demonſtratio Theologica, iuxta dicta tom. 1. Tract. 1. diſputat. prima, q. 4. & 6. neceſſario debeat conſtare ſaltem vna præmiſſa obſcura, quæ ſit de fide, quemadmodum iſti præmiſſæ intellectus aſſentitur liberè, ſic etiam concluſioni ex illa deductæ. Quod ſecus contingit in demonſtrationibus aliarum ſcientiarum, quia in illis vtraque præmiſſa eſt euidens.

Secunda concluſio

Dico ſecundò, loquendo de potentia abſoluta Dei, non repugnat eſſe ſimul in eodem intellectu actum fidei etiam diuinæ, cum actu cuiuſcunque ſcientiæ, aut viſionis, quamcumuis claræ, prout eſt viſio beatifica, de eodem obiecto. In hac concluſione non ſolùm conueniunt Authores primæ ſententiæ, ſed etiam plures ex Authoribus ſecundæ. Et ratio eſt, quia cum iſti actus ſint boni, nec repugnent alicui perfectioni diuinæ, poſſunt à Deo infundi etiam ſimul intellectui creato; & impediri quominus vnus non expellat alium, non obſtante naturali oppoſitione, quam inter ſe habent: ſicut non obſtante naturali repugnātia, quæ eſt inter qualitates contrarias in gradibus intenſis, & in corpora ad eſſendum in pluribus locis circunſcriptiuæ; aut quam habent duo corpora ad eſſendum in vno loco, poteſt Deus eas qualitates in vno ſubiecto conſeruare, & ponere vnum corpus in duobus locis, & duo corpora in vno. Poterunt ergo ſimiliter eſſe tales actus ſimul de potentia Dei abſoluta, in eodem intellectu. De quo rectè noſter Bachonius in 3. diſtinct. 25. quæſt. vnica.

Ex dictis autem infertur non poſſe etiam eſſe ſimul in eodem intellectu, aſſenſum fidei diuinæ, & opinionem de eadem re. Ratio eſt, quia, cum opinio ſit ex natura ſua formidoloſa, & dubia, fides autem diuina certiſſima, includeret opinio priuationem perfectionis, quæ eſt in actu fidei, atque ita non poterunt eſſe ſimul. Secus eſt de fide humana, & opinione: cū enim fides humana non includat certitudinem, ſed falibilitatem, non habet tantam oppoſitionem cum opinione, vt non poſſint eſſe ſimul. Corollar

Vnde argumentis pro prima ſententia adductis reſpondendum. Et ad primum, communis expoſitio eſt Auguſtini, Greg. & aliorum; aliud vidiſſe Thomæ, & aliud credidiſſe: vidit enim humanitatem, & credidit diuinitatem: vnde non ſequitur, quod de eodem obiecto fuerit viſio, & fides. Ad ſecundum dico, non eſſe vllum inconueniens, quod quatenus Beata Virgo, & Apoſtoli cognouerunt illa myſteria, ſolum per cognitionem experimentalem; vt ſic, & pro tunc, non habuerint fidem actualem illorum; abſolutè tamen non eſt concedendum caruiſſe fide illorum, quia poterant illa credere propter motiuum formale fidei ſolum, & vt ſic habere meritum fidei; præſertim, quia etiam habebant fidem illarum veritatum, quatenus connectebantur cum alijs, quarum non poterat eſſe euidentia: fides enim Beatæ Virginis non erat ſolum eius, quod eſt concepiſſe ſine viri conſortio, ſed etiam eius, quod eſt concepiſſe Deum, & hominem. Similiter fides Apoſtolorum, non erat ſolum de Chriſti humanitate, paſſione, & reſurrectione, ſed quod ille homo eſſet Deus. Addendum etiam, quod in his omnibus, in quibus fuit euidentia alicuius articuli, licet forſan non eſſet fides formaliter illius, fuiſſe tamen fidei meri- Solut. ad. ōrarietū.

tum in præparatione animi, qua parati erant credere illud, si alias non esset euidēs. Ad tertium respondetur, assensum fidei, & visionem non repugnare esse simul in vno subiecto præcisè, & solum, quia fides sit cognitio imperfecta, visio verò perfecta: assensus enim conclusionis scientificæ est simul cum assensu principiorum eiusdem, cum tamen assensus conclusionis sit minus perfectus, quam assensus principiorum. Ratio ergo quare repugnat esse simul in vno subiecto, sumenda est ex dictis, scilicet, quia inter assensum fidei, & visionis est oppositio priuatiua, quia vnus dicit priuationem alterius, at verò, cum tam cognitio vespertina, quam matutina sint euidentes, non habent hanc oppositionem, esto vna sit perfectior alia. Adde, rationem illam repugnantiæ desumptam ex eo, quod actus fidei debeat esse liber, actus verò visionis, seu scientiæ necessarius, non procedere in cognitione matutina, & vespertina, cum vtraque possit esse necessaria. Ad Quartum, concedo maiorem, & nego minorem; etenim non solum repugnat esse euidentiam, & ineuidentiam, determinationē, seu indeterminationem, aut indifferentiam in eodem actu, sed etiam in eodem intellectu ratione diuersorum actuum simul existentium; eo quod huiusmodi actus recipiuntur in eodem intellectu, denominant illum, & ab ipso eliciuntur, & ideo cum habeant rationes tam oppositas omnino habent repugnantiam respectu ipsius ad essendum simul, sicut propter similem rationem, veritas, & falsitas, bonitas temperantiæ, & malitia intemperantiæ non solum repugnat, quod sint simul in eodem actu, sed etiam in eadem potentia, intellectu scilicet, vel appetitu.

Ad 5 consequenter ad dicta dicendū est, quod quāuis successiuè possint esse actus fidei humanæ, & cognitio clara, non tamen possunt esse simul, propter fundamenta adducta; quamuis simul forsan proponantur motiua vtriusque: vnum enim impediet alterum, vt dicemus in solutione ad septimum. Ad sextum dico, quod quamuis multa, quæ per rationem naturalem cognosci possunt sint etiam reuelata à Deo, & cadāt sub obiecto fidei, non tamen inde infertur posse esse simul actus fidei, & scientiæ claræ, ob rationes adductas. Ad septimum; quod est difficile, primò negare posset aliquis antecedens argumenti, scilicet; quod possint simul eidem intellectui applicari motiuum fidei, & motiuum scientiæ. Sed hoc facilè impugnatur: euidens enim apparet cōtrarium, quia dum Philosophus Christianus vtitur demonstratione circa hanc propositionē, *Deus est*, potest simul illi proponi à Deo, vel ab Ecclesia, quod sit reuelata talis propositio, vel ipse recordari, quod contineatur expressè in Sacra Scriptura: nihil ergo obstat quominus vtrumque motiuum fidei, & scientiæ simul applicetur. Posito ergo, quod vtrumque motiuum, aut medium simul applicetur; Quidam dicunt in illo casu generari quēdam assensum medium, qui nec sit scientiæ, nec fidei, sed aliquid participet de vtroque. Verumtamen iste assensus medius videtur confictus, tum quia est incognitus, & innominatus, neque vnquam à Philosophis inuentus; tum etiam, quia duo motiua non mouent intellectum ad assensum medium, sed ad duos assensus diuersos, ergo, vel erit vnus tantum illorum, vel vterque simul, & non medius iste. Propterea alij dicunt, quod si æqualiter aduertat intellectus ad vtrumque medium, nullus sequetur assensus. Sed neque hoc placet, tum quia incredibile videtur, quod in tali casu moneat intellectus sic anceps, & ambiguus; tum quia alterum medium illorum, scilicet motiuū scientiæ conuincit necessario intellectum, rapit, & cogit illum ad assensum, & ita non potest, non saltem esse iste assensus.

Quare dicendum est in tali casu futurū esse in intellectu assensum scientificum, & per illum impediri assensum fidei. Ratio est, quia, quando duo motiua applicantur intellectui, illud, quod est fortius magis mouet illum: sed motiuum scientiæ est fortius motiuo fidei, quia illud mouet intellectum naturaliter, necessario, & sine dependentia à libertate voluntatis; motiuum autem fidei mouet liberè, & cum dependentia à voluntate; ergo, in casu, quo simul applicentur hęc duo motiua, dummodo sit æqualis aduertentia, erit in intellectu assensus scientię, & impedietur assensus fidei. Neque obstat, quod motiuum fidei videatur efficacius motiuo scientię. Dico enim esse efficacius quantum ad certitudinem, quia est productiuum assensus certioris, non tamen esse efficacius, sed potius inefficacius quantum ad modum mouendi, quia motiuum scientię mouet voluntatem ad assensum necessarium, naturalem, & determinatum; motiuum verò fidei mouet liberè, & cum indifferentia, per quod patet ad septimum argumentum. Verior solutio.

Adhuc tamen restat difficultas contra secundam conclusionem à nobis propositam, scilicet, quod loquendo de potentia absoluta Dei non repugnet esse simul prędictos actus visionis, aut scientię, quantumuis clarę, & euidentis cum actu fidei. Repugnantia enim præcipua, quam adduximus vt de facto non possint esse simul, est ea, Difficultas.

eſt ea, quę ſumitur ex obſcuritate, quę eſt in actu fidei, & euidentia, quę eſt in actu viſionis, ſeu ſcientię eiuſdem obiecti, cum fundetur in oppoſitione priuatiua, videtur procedere etiam reſpectu potentię abſolutę Dei, cum etiam reſpectu talis potentię non poſſint eſse ſimul priuatiuè oppoſita, vt diximus de macula peccati cum gratia, & omnes fatentur de tenebris cum luce. Reſpondetur tamen, quod ſi hęc priuatio competeret actui fidei eſſentialiter, vt tota eſſentia, vel vt pars eſſentiæ, quemadmodum tenebris competit eſse priuationem luminis, & maculę peccati, competit eſse priuationē gratię, vtique non ſolum de potentia ordinaria, ſed etiam de potentia abſoluta nequirent eſse ſimul prędicta actus. Quia tamen non competit iſto modo obſcuritas actui fidei; eo quod cum ſit aliquid poſitiuum non poteſt habere pro prędicato eſſentiali priuationem; ſed ſolum ipſi cōpetit vt aliquid cōſequens eius eſſentiam, ideo in ordine ad potentiam Dei abſolutam non habet repugnantiam cum actu viſionis, & ſcientiæ clarę: ſicut propter eandem rationem repugnantia, quę eſt inter qualitates contrarias in gradibus intenſis; in corpore ad eſſendum in multis locis, & pluribus corporibus ad eſſendum in vno loco, non eſt tanta, vt per potentiam Dei abſolutam ſuperari non poſſit, eſto quod de ordinaria ſit id impoſſibile, vt dictum ſupra.

Quæſtio Quinta.

An myſteria noſtræ fidei ſint euidenter credibilia.

Notatio. NOta, quod quemadmodum diuerſa propoſitio eſt iſta: *credibile eſt Deum eſſe trinum*; & iſta: *Deus eſt trinus*, ita quod prima ſit *modalis*; ſecunda vero *de ineſſe*, ſic etiam longè diuerſum eſt, myſteria fidei eſſe euidenter credibilia, ac eſſe euidentia, ſeu euidenter vera: nam ad hoc ſecundū oporteret, quod ſeipſis clarè, & euidenter apparerent, ad primū verò ſufficit, quod ſint aliquæ rationes ſuadētes conforme eſſe rationi, & prudentiæ adhibere aſſenſum illis: ſeu, quod idem eſt, quæ ſint dignæ, vt propter illas iudicetur eſſe neceſſarium præbere aſſenſum rebus fidei. In ſuperioribus egimus de ſecundo, nunc agimus de primo.

Rationes dubitandi. Ratio dubitandi eſt, quia, ſi myſteria fidei ſunt euidenter credibilia propter rationes ſuadentes aſſenſum illorū, ſequitur, quod omnes illi, quibus innotuerint tales rationes, reciperent fidem: at conſtat multis ex aduerſarijs noſtræ fidei innoteſcere clarè argumenta, & rationes credibilitatis illius, & tamen non recipere illam: ſignum ergo eſt, non eſſe euidenter credibilia. Probatur ſequela, quia quod eſt euidenter credibile à nullo reijcitur. Secundò, quia ſi myſteria fidei ſunt euidenter credibilia, ergo, & euidenter vera: probatur conſequentia, tum quia nihil falſum eſt credibile: tum etiam, quia euidenter ſcibile, eſt euidenter verum, ergo multo magis euidenter credibile erit euidenter verum. Tertiò, quia; aut eſt euidens doctrinam fidei eſſe credibilem fide infuſa, aut ſolum fide humana: hoc ſecundum dici non poteſt, quia adhibemus ei fidem diuinam, & eam debemus adhibere. Si verò dicatur primū, ſequitur eſſe euidentem doctrinam fidei, hoc argumento. Vt aliquid ſit euidenter credibile oportet vt euidens ſit teſtimonium fide dignum, quo confirmetur: ergo vt ſit euidenter credibile fide diuina neceſſe eſt, vt euidenter conſtet teſtimonium Dei reuelantis: ſi autem hoc teſtimonium euidenter conſtat, euidens erit id, quod creditur eſſe verum; ſic enim argumentari licebit: *Omne reuelatum à Deo eſt verum, & non poteſt eſſe falſum: hoc eſt reuelatum à Deo, ergo eſt verū, & non falſum*. Vbi maior eſt euidens lumine naturali, & minorem conceditur eſſe euidentem, ſi affirmatur euidens eſſe Deum teſtificari: ergo tam conſequens, quam conſequentia ſunt euidentia. Tandem quartò, quia ſi obiectum fidei eſt euidenter credibile, aut hæc euidentia eſt ex apprehenſione terminorū, aut ex diſcurſu, prout eſt in ſcientijs: primum non eſt verum, quia hac ſola apprehenſione huius propoſitionis *Deus eſt trinus*, non redditur credibilis euidenter: nec ſecundum, quia maximè colligeretur hæc euidentia credibilitatis ex rationibus, & fundamentis, quæ ſunt ad credendum eſſe vera quæ proponuntur ab Eccleſia: ſed ſi hoc eſſet, etiam dici poſſet eſſe euidenter credibilia ea, quæ pertinent ad ſectas infidelium, ſaltem reſpectu minorum; quia illa ſimiliter habent ſimilia fundamenta, & proponuntur illis ab aliquibus, qui putantur fide digni. Propter hæc argumenta quidam tenent partem negatiuam quæſtionis, quibus fauent ex antiquioribus Capreolus, & nonnulli moderni.

Animad. uerſio. Nihilominus, pro deciſione aduertendum eſt, quod aliud eſt dicere, & diuerſa propoſitio eſt; *credibile eſt Deum eſſe trinum*, aliud verò; *credendum eſt hic, & nunc Deum eſſe trinum*. Prima enim propoſitio iſtarum eſt ſcientifica, ideſt cognoſci poteſt per ſcientiam, vt dicemus: ſecunda verò, eſt prudentialis, quia dictatur à pru-

prudentia. Declaratur hoc exemplo. Ista propositio, *temperatè est viuendum*, est scientifica, vtpote pertinens ad Philosophiam moralem, tamen ista propositio, *hic, & nunc temperatè viuendum* pertinet ad prudentiam: in hac ergo quæstione non est difficultas de secunda propositione, sed de prima scientifica, & quærimus an de illa habeatur euidentia. Rursus aduertendum, quod quemadmodum euidentia huius propositionis; *possibile est hominem currere*, aliunde iudicatur, quam istius, *homo currit*, siquidem euidentia prioris constat ex natura ipsius hominis, posterioris verò ex experientia, sic in proposito, euidentia huius propositionis modalis *credibile est Deum esse trinum*, aliunde sumi debet, quam istius, *Deus est trinus*, quoniam euidentia credibilitatis sumitur ex rationibus, & congruentijs, præcipuè ex eo quod sit dictum ab aliquo fide digno, quod est extrinsecum ad rem dictam: at verò euidentia illius, *Deus est trinus*, non potest sumi, nisi ex eo, quod videatur clarè, & manifestè in se ipso.

Hoc posito, respondendo ad quæstionē dico, mysteria fidei esse euidenter credibilia; v.g ista propositio, modalis, *credibile est Deum esse trinum*, est euidens, ita vt de illa habere possimus euidens iudicium. Ita docuit S. Th; & cum eo eius Expositores; hic, & colligitur ex Ps. 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*. Si enim non essent euidenter credibilia, non possent dici *nimis credibilia*.

Conclus.

Probatur hac ratione, quia illud est euidenter credibile, quod habet rationes, & fundamenta, quibus homines persuaderi possunt ad prudenter credendum illud: sicut illud est euidēter probabile, quod habet rationes, & fundamenta ad hoc, quod illi probabiliter assentiamur: sed mysteria fidei habēt rationes, & argumenta, quibus licet nō cognoscatur euidenter eorum veritas, persuadetur tamen intellectus ad assentiendum illis: ergo, sunt euidenter credibilia. Minor huius argumenti non aliter probatur, nisi adducendo rationes istas, & argumenta, quibus homines prudenter allici possunt ad recipiendam fidē; & quia de hoc perdocte scripserunt antiquiores Ecclesiæ Patres, præsertim Tertullianus, Iustinus, Lactantius, Augustinus, & ex nouis Doctoribus Michael Medina, Bañez, Bellarminus, Valentia, & ex nostris Philippus à SS. Trinitate, ac alij, ideo ad ipsos remittimus lectorem, solum summam eorum ad aliqua capita reducendo.

Probatio.

Et primò, loquendo de illis, quibus immediatè reuelata fuere à Deo mysteria fidei, quales fuerunt Angeli viatores, præsertim supremus omnium, habuerunt euidentiam credibilitatis mysteriorum fidei, quia euidenter cognoscebant esse sibi reuelata à Deo: cum enim cognoscerent illa esse supra captum suum, & proprias vires, & ex alia parte videbant sibi ea reuelari à quodam ente supremo omnium, quia non ab æquali, vel infimo, quia alias ipsi etiam ea cognoscerent; habebant euidentiam Dei reuelantis quæ dici solet, *euidentia in attestante*: in illis igitur euidentia credibilitatis mysteriorum fidei sumebatur ex eo, quod essent à Deo reuelata, cum enim scirent esse reuelata ab ipso, qui nec fallit, nec fallere potest, euidenter cognoscebant esse credibilia. Idem dico de Apostolis, & alijs, qui acceperunt immediatè fidem à Christo: habebant namque euidentiam credibilitatis mysteriorū, eo quod erant reuelata à Christo, quia quamuis non cognoscerent euidenter eū esse Deum; ex miraculis tamen, vita, sanctitate, doctrina, & prædictionibus Prophetarum euidenter fuit hoc illis credibile: & per consequens, quod ea, quæ ab ipso dicebātur, erant etiam euidenter credibilia. Idem etiam proportionabiliter est dicendum de Prophetis, aut Patriarchis, quibus Deus loquebatur: quamuis enim non habuerint euidentiam, quod Deus esset, qui loquebatur illis, tamen hoc fuit illis euidenter credibile, siue per cognitionem futurorum, quæ Deus illis reuelabat, siue per miracula, quæ ab ipsis, vel ab alijs fiebant: & supposito, quod erat euidenter credibile Deum loqui, etiam erant euidenter credibilia, quæ ab ipso dicebantur.

Fundamenta.

Deinde loquendo de euidentia credibilitatis ex parte nostra, ex multis capitibus desumi potest. Primum est, rectitudo ipsius fidei, in qua nihil absurdum, nihilque contra rationem naturalem, prout in infidelium sectis cernitur; vt propterea Psal. 18. lex Domini vocetur *immaculata, & conuertens animas*. Secundum, sanctitas, puritas, & innocentia Christi Domini, qui fuit primus Magister, & Legislator noster: quæ adeo magna fuit, vt de ipsa nec inimici ipsius aliquid calumniare ausi fuerint, dicente eo Ioann. 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Tertium, miracula tam ipsius Christi, quam Apostolorum, & aliorum, qui fidem nostram per Orbem disseminauerunt. Quartum, qualitas, & conditio eorum, qui eam prædicarunt: fuerunt enim numero pauci, pauperes, humiles, & omni fauore humano destituti: è contra verò ij, quos fidei iugo subiecerunt, non solum numero prope infiniti, diuites, & Magnates, quin & Imperatores, Reges, & Dynastæ totius Orbis. Etenim, vt Paulus dixit 1. Corinth. 1. *Infirma mundi elegit Deus vt*

Ex parte nostra.

con-

Digitized by Google

confundat fortia &c. Quod argumentum maioris ponderis eſt, ſi animaduertatur fidem noſtram eſſe contra inclinationem naturalem carnis, vtpote inordinatos eius motus, affectus, & inclinationes coercęs. Quintum, innumerabiles Martyrum, myriades, adeo ingenti numero, vt iuxta quoſdam, ſi per omnes anni dies diſtribuerentur, ſingulis diebus triginta millia tribui poſſent: inter quos, plures pueri, fœminæ, ſenes, infirmi, & imbecilles, horribilia tormenta tolerantes. Sextum, qualitas, & conditio eorum, qui fidem in principio ſuſceperunt: fuerunt enim plures eorum ſapientiſſimi, iuſtiſſimi, & fermè immaculati; nihil commodi, aut lucri in ipſius receptione, quin potius omnium temporalium bonorum iacturam, adquirentes. Omitto plura alia, quæ ſumuntur ex continuatione Monarchię Eccleſiaſticæ; permanentia Eccleſiæ in tot aduerſitatibus quot perpeſſa eſt; concordia noui, & veteris Teſtamenti; adimpletio omnium Prophetiarum; teſtimonijs inimicorum fidei, & ſimilibus, de quibus relati Doctores. Propter quæ merito laudatur ſententia illa Ricardi de S Victore, lib. 1. de Trinitate: *Domine, ſi error eſt, quod credimus, à te decepti ſumus*. Ac ſi diceret, tam impoſſibile eſt, quod nos decepti ſimus tenendo fidem propter motiua relata, quam quod tu nos deceperis illa permittendo.

Neceſſitas credibilitatis.

Fuit autem neceſſarium myſteria fidei eſſe euidenter credibilia; eo quod actus credendi fide Catholica, non eſt credendi vtcunque, ſed credendi firmiſſimè; ita vt non obſtante quocunque alio motiuo, aut tentatione in cõtrarium, homo teneatur credere propoſita ab Eccleſia, quod non eſſet ſi ſolum eſſent probabiliter credibilia dicta myſteria.

Solutio prim. rat. dub.

Vnde ad primam rationem dubitandi nego ſequelam; cum enim myſteria fidei non ſint euidentia, ſed potius obſcura, vt dictum eſt in ſuperioribus, ideo etiam ſi ſint euidenter credibilia, non recipiuntur ab omnibus: propter malitiam, vel ignorantiam, & aliquando propter obſtinationem in peccatis, quibus fides Chriſtiana contradicit. Ad probationem autem ſequelæ, nego etiam maiorem, cum conſtet, doctrinam Chriſti, prout ab ipſo prædicatam, fuiſſe euidenter credibilem, & tamen non ab omnibus fuiſſe receptam, propter cauſas aſſignatas.

Secundæ.

Ad ſecundam rationem dubitandi nego etiam ſequelam: non enim ex eo quod myſteria fidei ſint euidenter credibilia, ſequitur, quod ſint euidenter vera: aliunde namque ſumitur euidentia credibilitatis & euidẽtia veritatis: euidẽtia nãq; credibilitatis, ſumitur ab extrinſeco; ſcilicet ex teſtimonio dicentis, & ſignis quæ ſunt quod dicat verum; at vero euidentia veritatis ſumitur ab intrinſeca rei veritate, & quod talis in ſe appareat: vnde cum myſteria fidei ſint intrinſicè, & ex natura ſua obſcura, quamuis habeatur euidentia credibilitatis ipſorum, non tamen habetur euidentia veritatis. Et ad primam probationem ſequelæ nego quod nihil falſum ſit credibile: ſicut enim multa falſa ſunt probabilia, & opinabilia, ſic etiam multa falſa ſunt credibilia, & patet hoc in ruſtico, cui ſi ſuus Parochus proponat aliquid falſum, v. g. quod *Deus ſit corporeus*, aut *mundus ab æterno*, eſt ipſi hoc credibile propter authoritatem dicentis. Ad ſecundam autem probationem, conceſſo antecedenti nego conſequentiam, propter dicta; eſt enim diuerſa ratio inter euidenter ſcibile, & euidenter credibile: euidenter namque ſcibile ſumitur ex principijs intrinſecis rei, vel illis, ad quæ dicit intrinſecam habitudinem, videlicet, cauſæ, vel effectus; & ita quod eſt euidenter ſcibile eſt euidenter verum: at verò euidenter credibile ſumitur ab extrinſeco, & ita non eſt neceſſario euidenter verum.

Ex quo etiam patet ſolutio ad ſimile argumentum, quod fit de poſſibilitate myſteriorum fidei; videlicet, quod ſi illa ſunt euidenter credibilia, ergo etiam erũt euidenter poſſibilia: neganda enim eſt conſequentia propter dicta, quia videlicet rei poſſibilitas ſumitur ex principijs intrinſecis rei, credibilitas verò ſolum ab extrinſeco: & ita ſæpius impoſſibilia poſſunt eſſe euidenter credibilia alicui, vt patet in exemplo adducto de ruſtico, cui Parochus proponit impoſſibilia, ſcilicet, Deum eſſe corporeum, aut eſſe quatuor perſonas in diuinis. Quid verò dicendum ad vulgare illud ſophiſma; *Quod eſt euidenter impoſſibile eſt euidenter incredibile; ergo quod eſt euidenter credibile eſt euidenter poſſibile*, deſumptum ex illa regula Sumuliſtarum, *Ex oppoſitis conſequentis ad oppoſitum antecedentis, recta eſt argumentatio*, latè Bañez, Hurtadus, Granadus, & Card. Lugo.

Obiectio

Obſtare tamen videtur contra hæc, quod vt dicemus in ſequentibus, myſteria fidei non quomodocunque ſunt credibilia; ſed etiam ſunt credibilia fide diuina; ſed fides diuina non poteſt credere, niſi verum: ergo ſunt vera. Reſpondetur enim, relicta ſolutione Card. Lugo, tantum probari ex credibilitate ex fide diuina id quod diximus, ſcilicet quod ſint vera, veritate quidem extrinſeca, & in teſtificãte, ſub ratione credibilis, nõ verò intrinſeca, & in ſe ipſis. Quia hoc, & nõ alio modo habent connexionem cum credibilitate.

Difficultas.

Tertium argumentum tangit difficultatem.

tatem, an supposito, quod mysteria fidei sint euidenter credibilia, an sint credibilia fide diuina, vel fide humana. Et inter varias DD. sententias videtur dicendum sub distinctione, quia aut argumenta credibilitatis mysteriorum sunt rectè proposita, benè cognita, & ponderata, qualiter fuerunt in Angelis, Apostolis, & Prophetis, imò & in nostris fidelibus, præsertim maioribus, qui rectè callent, & penetrant vim, & efficaciam argumentorum, quæ pro credibilitate fidei fiunt; aut non sunt huiusmodi argumenta rectè expensa, aut ponderata, prout contingit in aliquibus, qui de nouo veniunt ad fidem, & non sunt instructi in rebus ad eam pertinentibus, imo etiam in multis fidelibus rusticis. In priori casu loquendo, mysteria fidei sunt euidenter credibilia fide diuina, tum quia cum sint tam vrgentibus, & mirabilibus signis roborata, absurdum est existimare solum exigere ab eo qui ipsa perfectè cognoscit, fidem humanam, quæ est valde imperfecta, & fallibilis: tum quia prudentissimè iudicari possunt esse à Deo reuelata, ac per consequens, digna, vt fide diuina credantur, quod est esse credibilia fide diuina. Vnde isti, quibus ita perfectè sunt proposita hæc argumenta credibilitatis, non solum possunt, sed etiam tenentur conari in quantum possunt credere fide diuina talia mysteria: at verò loquendo in posteriori casu, & respectu eorum, quibus non sunt sufficienter hæc argumenta cognita, adhuc distinguendũ est: quia, aut credunt prudenter, aut non; si primum, tantum credent fide humana, quia nullus prudens credit, aut credere potest fide diuina, ea quæ non sunt rectè proposita iuxta illud Ecclesiast. 19 *qui cito credit, leuis est corde*: si verò imprudenter credunt, credent illa fide diuina, posita opinione illorum, qui dicunt actum fidei diuinæ posse vitiari, de quo infra: vel saltem conari id facere; nisi fortè ex speciali Dei motione, & instinctu ducantur ad sic credendum. Quia tunc talis actus non erit imprudens, & per illam motionem, seu impulsum Dei supplebitur perfecta propositio credibilitatis fidei. Difficultas autem, quę tangitur in argumento, quomodo scilicet cum euidentia credibilitatis, stet, fidem non esse euidentem, expedietur quæstione sequenti.

Solutio quarti.

Ad quartum argumentum respondeo, euidentiam mysteriorum fidei non esse ad modum principiorum ex apprehensione terminorum, sed esse per discursum, & scientificam. Colligitur enim illa euidentia ex motiuis adductis isto discursu. *Doctrina illa, quæ est rationi consentanea; Maiestati, & Excellentiæ diuinæ conformis; innumerabilibus testibus fide dignissimis firmata; signis, & miraculis communita*: & habens ea, quæ supra diximus, &c. *est credibilis: sed talis est doctrina fidei Christianæ: ergo est credibilis*. Cum enim Maior illa sit euidens ex terminis ipsis, & definitione rei credibilis: minor quoque etiam sit euidens ex facto ipso, & experimento; rectè infertur euidentia consequentiæ: & cum iste discursus sit demonstratio quædam, & hæc generet scientiam, proculdubio erit scientificus. Ad impugnationem autem nego esse euidenter credibilia ea, quæ proponuntur in sectis infidelium. Tum quia in illis continentur turpia multa, & sibi contradicentia, vt in Mahumetanorum secta, quibus nullus ratione vtens assentiri debet: tum plura (vt in Paganorum, & Mahumetanorum sectis) contra rationem naturalem, quæ nullus etiam tenetur credere: tum quia quamuis non omnia, quæ proponuntur in his sectis à maioribus illarum sint contra rationem naturalem, quia tamen proponunt plura huiusmodi, ideo redduntur indigni quod credantur à minoribus, etiam in alijs quæ non sunt contra ipsam, & ita inexcusabiles sunt etiam dicti minores talia credentes. Tum denique de Iudaismo, & Hæresi, quia contra Sacram Scripturam pugnant, & carent miraculis, & alijs motiuis, quę pro doctrina Ecclesiæ Catholicę, & Romanæ adducta sunt.

Ex dictis autem infertur, habitum illum intellectus, ad quem pertinet iudicare de euidentia illa, seu, quod idem est, iudicium illud, quo intellectus iudicat, credibilia esse mysteria fidei, non esse ipsum habitum fidei, prout Caietanus, Bañez, Aragon, & nonnulli alij existimant. Ita Gabriel, Capreolus, Vega, Valentia, Suarez, Lorca, Turrianus, & ferè communiter recentiores. Primò, quia fides non inclinat nisi ad assensum obscurum, & ineuidentem, ac omnino liberum: at verò assensus euidentiæ credibilitatis est clarus, & euidens, & necessarius, quia ad ipsum cogitur intellectus ex cognitione illorum motiuorum, tanquam ex principijs, seu præmissis. Confirmatur efficaciter, quia nullus habitus potest operari, nisi ex ratione formali sui obiecti; cum ergo ratio formalis obiecti fidei solum sit testimonium diuinum omnis actus fidei debet esse ex isto motiuo: sed motiuum assensus istius de credibilitate mysteriorum fidei non est testimonium diuinũ, sed illa congeries signorum, vel motiuorum, quæ suadent vera esse illa, quæ per fidem docentur: ergo talis assensus non est à fide, sed ab alio habitu. Præterea, quia fides, vt diximus in superioribus, nõ est discursiua; at vero habitus eliciens tale iudicium est discursiuus, vt patet; ergo non est

Corollarium.

Digitized by Google

non est habitus fidei. Secundò dicendum, talem habitum non esse opinionem, aut fidem humanam. Ratio est euident, quia fides humana, & opinio non sunt principia assensus euidentis, sed dubij, formidolosi, & obscuri: talis autem assensus est euidens, clarus, & certus. Ex quo etiã colligitur talem habitum non esse habitũ Theologiæ: vt enim sæpius diximus, habitus Theologiæ solum inclinat ad assensum obscurum, & ineuidentem, quia innititur mediate testimonio Dei obscuro: hic autem assensus, vt sæpè dictum est, est clarus, & euidens. Tertiò dicendum, talem habitum non esse prudentiæ, siue adquisitæ, siue infusæ, prout Valentia existimare videtur. Quia prudentia solum inclinat ad actus, seu iudicia practica: iudicium autem de euidentia credibilitatis mysteriorum fidei non est practicum, sed speculatiuum: esto quod iudicium aliud quo iudicamus semel sufficienter propositis hic, & nunc esse credendum, de quo in sequentibus dicetur, sit verè practicum. Ita benè Turrianus.

Resolutio. Quare consequenter ad dicta dicendum est cum eodem Turriano, & alijs, huiusmodi iudicium de credibilitate mysteriorum elici ab habitu illo scientiæ, quem supra diximus generari ex argumentis, quibus probatur eorum credibilitas. Ratio est, quia generaliter loquendo omnis habitus intellectualis inclinat ad assensum earum veritatum, ex quarum cognitione genitus fuit, sicut habitus Logicę inclinat ad assensum veritatum Logicaliũ, ex quibus fuit acquisitus; pariter ergo in proposito, per huiusmodi habitum scientificum, qui ex cognitione credibilitatis mysteriorum fuit genitus, inclinamur ad cognoscendam talem euidentiam credibilitatis mysteriorum.

Quæstio sexta.

Quomodo cum cognitione euidenti credibilitatis stare possit assensus fidei de rebus reuelatis.

Suppositio. HAec quæstio præcipuè procedit de Angelis viatoribus, qui habuerunt euidentiam credibilitatis mysteriorum, eo quod euidenter cognoscebant, saltem primus Angelus, Deum esse, qui reuelabat illis mysteria: procedit etiam suo modo de omnibus fidelibus, qui licet non habeant tantam euidentiam, tamen saltem maiores, & doctiores habent moralem euidentiam huius, quod est Deum reuelasse, eo enim ipso, quod miracula, & argumenta ostendunt mysteria esse credibilia fide diuina, ostendunt etiam ea mysteria esse reuelata a Deo, quia nihil nisi reuelatum à Deo est credibile fide diuina. Ecce ergo difficultas quæstionis est, quomodo cum euidentia huius, quod est Deum reuelare mysteria, possit esse assensus obscurus fidei circa illa.

Rationes dubitandi. Ratio dubitandi est primò, quia diuina reuelatio, seu Deus vt reuelans, est ratio formalis obiecti fidei, sed actus fidei est obscurus, & ineuidens, ergo, & ipsa reuelatio debet esse obscura, & ineuidens, & non euidenter cognita. Confirmatur, quia actus specificatur à rõe formali *sub qua* obiecti; sed actus fidei est obscurus, non ergo poterit specificari à diuina reuelatione cognita euidenter, & clarè. Secundò, quia qui habuerit euidentiam diuinæ reuelationis, poterit formare hunc syllogismum; *Omne reuelatum à Deo est verum, mysterium Trinitatis est reuelatum à Deo, ergo est verum*; vbi maior est euidens etiam lumine naturæ, minor etiam supponitur euidenter cognosci, ergo & consequens erit euidens; atque ita non poterit esse fides de illo, posita euidentia diuinæ reuelationis. Secundo, quia ex eo possumus credere fide humana homini dicenti, *India est*, quia quamuis cognoscamus euidenter illius testificationẽ, & testimonium, nihilominus cum hoc cognoscimus posse falli, & fallere nos, sed Angelus v.g. non solum habet euidentiam diuini testimonij, vt supponitur, sed etiam cognoscit euidenter Deum esse ita veracem, vt nec fallere, nec falli possit, ergo haberi non potest fides diuina de reuelatis ab ipso cum euidentia testimonij diuini ipsius. Propter hęc Durandus, Bañez, Card. Lugo, Suarez, Hurtadus, & aliqui alij tenent hanc euidentiam testificationis aduersari fidei, ita vt nequeat esse cum ipsa.

Sententia tenenda. Sed tamen nobis oppositum dicendum est, scilicet, quod cum assensu euidenti, de diuina testificatione, & reuelatione; imo etiam de Dei summa veracitate possit stare assensus fidei de ipsa re reuelata. Non dico assensum illius conclusionis; *ergo verum est mysterium Trinitatis*, esse de fide, quatenus deducitur ex illis præmissis: *Omne reuelatũ à Deo est verũ; mysterium Trinitatis*, &c. hoc enim est falsum, cum constet ex dictis disput. 1. quæst. 8. assensum fidei non posse esse per discursum: solum ergo dico, quod cum tali assensu; imo, & cum assensu maioris, & minoris, de euidentia diuinæ reuelationis, possit stare assensus fidei de illo consequenti, seu propositione reuelata. Ita fermè Alensis, Scotus,

Digitized by Google

Gabriel, Carthusianus, Caietanus, Ferrara, Aragon, Zumel, Valentia, Vasquez, Granadus, Tannerus, Caspensis, & multi alij, quibus valde fauet S. Th. infra qu. 5. ar. 2. in corpore.

Rationes pro illa.

Rationibus probatur. Prima desumitur ex D. Th. loco relato, quæ sic formari potest. Quoties adest ratio formalis obiectiua alicuius actus potest adesse ille actus; sed etiam in casu quo cognoscatur euidenter testimonium diuinum, & Deum esse summè veracem, nec posse mentiri, adhuc adest ratio formalis obiecti fidei; ergo potest esse tunc actus fidei. Minor probatur, quia ratio formalis obiecti fidei est testimonium diuinum obscurè manifestans rem reuelatam; in hoc autem casu adest testimonium diuinum solum obscurè manifestans rem reuelatam: ergo Probatur autem hęc minor, quia talis res reuelata, etiam posito testimonio, seu reuelatione ipsius, manet intrinsicè, & in se obscura, & ineuidens, cum non manifestetur per propriam speciem, aut per se ipsam immediate; quemadmodum principia per se nota manifestari solent; nec per propriam, & intrinsecam causam, aut effectum; cum testimonium nec sit causa rei reuelatæ, quia non producit illam; nec etiam sit effectus, quia non procedit ab ea, sed solum à Deo; sed sit res omnino extrinseca illi, & nullam cum ipsa habens ex natura rei connexionem. Secunda est ferè ad idem, quia si propter aliquã rationem cum euidentia testificationis, seu testimonij diuini, maximè adiuncta etiam euidentia de Dei veracitate, non possit esse assensus fidei circa rem reuelatam, maximè quia talis res reuelata cognosceretur euidenter; ex eo enim proueniret, quod non posset simul per fidem cognosci, iuxta dicta supra quæstione 4. sed est falsum consequens, ergo, & antecedens. Probatur minor, quia quadrupliciter aliquod obiectum cognoscitur euidenter, primò per se ipsum immediatè, & sine discursu, qualiter prima principia cognosci possunt. Secundo, per intuitionem eius, vt est in se, sicut Beati vident Deum, vt Trinum. Tertiò, per propria principia, & causas sicut euidenter cognoscitur conclusio scientifica à priori. Quarto, per proprios effectus, & à posteriori, quemadmodum cognoscit Philosophus Deum esse. Sed nullo ex his modis cognoscitur euidenter mysterium reuelatum ex eo quod euidenter cognoscatur reuelatio, seu manifestatio ipsius à Deo, & Deum ipsum esse veracem, ergo uullo modo tale mysterium reuelatum cognoscitur euidenter. Minor patet quantum ad primam & secundam partem, quia etiamsi Angelus cognoscat illa duo, mysterium tamen nec cognoscit per se, aut propriam illius speciem, & multo minus intuitiuè: quantum verò ad alias partes probatur, quia, cum tale mysterium non respiciat Dei testimonium, aut ipsius veracitatem, vt causam, vel effectum sui, aut habeat aliquam connexionem ex natura rei cum illis sicut me dicere v.g. alicui *Indiam* esse, nec est causa, nec effectus existentię Indię, nec habet cum illa prędictam connexionem; ideo nullo modo potest cognosci euidenter mysterium reuelatum ex cognitione euidenti testimonii diuini, & veracitatis Dei. Tertio, quia in Angelis, Beatiss. Virgine, Apostolis, & forsan alijs ex Patriarchis, & insignioribus Prophetis, ac viris insignis sanctitatis, fuit euidentia testimonii diuini, ex Dei speciali reuelatione, vel etiam ex miraculis à Deo factis in confirmationem mysteriorum fidei, vel eorum quę ab ipso dicuntur: & tamen valde durum est, ne dicam absurdum, caruisse fide illorum; tum ex illo Pauli, *Sine fide impossibile est placere Deo*; tum quia proprium est viatorum ambulare per fidem, iuxta illud, *Per fidem ambulamus non per speciem*, signum ergo euidens est, cum euidentia testimonii, & veracitatis Dei posse stare assensum fidei. Idē dicendum de animabus SS. PP. qui erant in sinu Abrahę ante Christi mortem, ac de animabus Purgatorii, in illis enim sicut ponitur spes, & charitas, sic etiam fides, etiam actualis misteriorũ; & tamē prorsus sine fundamento dici potest caruisse euidentia testimonii diuini, & Dei summæ veracitatis. His & similibus argumentis respondent aduersarii, sed minus probabiliter.

Solutio rationũ dubit.

Vnde ad rationes dubitandi respondeo & ad primam cum sua confirmatione dico, quod vt constat ex dictis disp. 1. qu. 5. diuina reuelatio, quę est ratio *sub qua*, obiecti fidei, potest dupliciter considerari vno modo, vt est cognita, vt *quod*, alio modo, vt *quo*, seu vt est ratio assentiendi rebus fidei, dico ergo, quod quamuis in casu quæstionis reuelatio sit cognita euidenter vt *quod*, quatenus tamen est ratio assentiendi rebus fidei, seu vt *quo*, non est cognita euidenter, sed solum est ratio sub qua aliud cognoscitur, & ita potest esse ratio assensus obscuri fidei: vnde patet distinguendum esse consequens argumenti, & etiam solutio confirmationis.

Secundę.

Maior difficultas est in solutione secundę rationis dubitandi, ad quam omissis aliis, respondeo, re vera concludere argumentum, quod illa conclusio, *Verum est Deum esse Trinum*, sit euidens, secundũ quid, extrinsicè, & sub ratione credibilis; nõ tamen quod sit euidẽs simpliciter, in se ipsa, & intrinsicè, quia nõ est euidens neq;

per

per se ipsam, neque per principia intrinseca, aut propriam causam, aut proprios effectus: & hoc est quod communiter dicitur, quod sit euidens euidentia in attestante, & secundum quid. Quod sic explicatur. Verum est semper, quod quando ambæ præmissæ sunt euidentes, conclusio, quæ ex illis deducitur per necessariam consequentiam, etiam sit aliquo modo euidens: sed hoc debet intelligi respectiuè, & iuxta habitudinem, quam habet medium præmissarum ad conclusionem: vnde, si medium sit causa, vel effectus conclusionis, conclusio erit euidens in se ipsa, & intrinsicè, quia habitudo rei ad suam causam, vel effectum est intrinseca ipsi: si verò medium nec sit causa, neque effectus, sed ratio quædam omnino extrinseca, & accidentalis, solum infertur euidentia conclusionis quantum ad istam rationem extrinsecam. Quia ergo medium in his præmissis, ideſt *reuelatum à Deo*, seu *reuelatio Dei*, est quid accidentale, & extrinsecum mysterio reuelato; non causa, vel effectus ipsius; neque aliquid habens ex sua natura connexionem cum eo, ideo ex illo euidenter etiã cognito solũ infertur quod conclusio sit euidens secundum rationem communem credibilis, & extrinsicè, scilicet in testificante, non intrinsicè, & in se ipsa. Et ita relinquitur locus assensui fidei circa illam in se ipsa, etiam libero, & ex pia affectione procedenti; eo quod in se ipsa manet obscura, & non conuincit intellectum. Per quæ, si recte expendantur, patet solutio ad plura, quæ obijci solent.

Solutio ad aliud.

Patet etiam ad confirmationem; dico enim, quod etiam si haberemus euidentiam, quod Petrus dicens nobis *India est*, non mentiretur, nihilominus, quia res ipsa visa est nobis obscura, ideo fide humana crederemus Indiam esse. Imo ex hoc sumitur argumentum pro nostra conclusione, quia quamuis habeamus euidentiam moralem non mentiri eos, qui dicunt, esse Indiam, nihilominus, quia præcisè attendendo ad testimonium id dicentium, res ipsa non est nota nobis, neque per seipsam, neque per causam, aut effectus, aut per aliquid quod habeat connexionem ex natura rei cum ipsa, sed solum per aliquid omnino extrinsecum, & accidentale; ideo manet locus actui fidei etiam liber, & ex pia affectione procedens, circa ipsam secundum se.

Quæstio septima.

An credibilia sint per certos articulos distinguenda.

Notatio.

NOtandum, omissis varijs acceptionibus huius vocis *articulus*, de quibus S. Th. quæst. 1. ar. 6. & alij Theologi, articulum fidei, iuxta doctrinam Soti, quam recipit Cardinalis Lugo de Eucharistia disp. 5. num. 2. sumi tripliciter. Primo, pro veritate fidei in Concilijs definita. Secundo, pro veritate in S. Scriptura expressa. Tertio, pro veritate contenta in Symbolo. Articulus autem in hac tertia acceptione, est veritas aliqua principalis, ad quam reducuntur alia credibilia. Vnde non omnes veritates fidei sunt in hac acceptione articuli fidei, sed tantum, principales, ea nẽpe quæ sunt veluti capita aliarum, & ad quas aliæ reducuntur. Ex quo fit, quod quamuis veritas de præsentia Christi in Eucharistia, principalis, imo principalissima in Ecclesia sit, vt propterea veluti per antonomasiam appelletur *mysterium fidei*, cæterum inter articulos fidei, prout in præsenti de articulo loquimur, non numeratur, quia ad ipsam non reducuntur aliæ veritates fidei, sed potius ea reducitur ad alias; ad articulum videlicet *omnipotentiæ*, vt aliqui volunt; vel *Christi Saluatoris*, vt alij, de quo alibi.

Conel. 1.

Dico ergo primò, credibilia, seu credenda per fidem iure optimo distingui debent per certos articulos. Ita S. Thom. eo ar. 6. & alij communiter. Probatur, tum ex praxi Ecclesiæ, in qua sic habetur; tum quia sic fuit necessarium, vt memoriæ mãdarentur; tum vt proponerentur humano modo: homini enim naturale est, vt non percipiat plura, nisi pro vt ad vnum ordinantur.

Secunda.

Dico secundo, huiusmodi articuli fidei conuenienter numerantur, quod sint videlicet quatuordecim, septem pertinentes ad diuinitatem, & alij septem ad humanitatem Christi: vel secundum alios duodecim, sex ad diuinitatem, & alij sex ad humanitatem. Ita S. Th art. 8. & alij cum ipso. Et quidem conuenientia numeri quatuordecimi sumitur ex distinctione mysteriorum, ad quæ videlicet alia credibilia reducuntur, & ita in multis Cathechismis, in Hispaniç præsertim partibus, referuntur, quod etiam facit Vvaldensis noster tom. 1. lib. 2. doctrin. fidei ar 2. c. 22. num. 2. quatuordecim articulos fidei recipiens. Conuenientia verò numeri duodecim, sumitur ex numero authorum Symboli, in quo continentur, videlicet duodecim Apostolorum, & ita referentur in Ca-

Digitized by Google

thechismo Romano, & in Italia. Probari etiam potest, quia ad istos articulos, siue quatuordecim, siue duodecim appellentur, reducuntur omnia credibilia per fidem. Vnde ad articulum Dei Saluatoris reducitur veritas de sanctitate Ecclesiæ, quę per Christum sanctificatur; imo, & veritas Sacramentorum, quę sunt instrumenta talis sanctitatis. Ad quos autem articulos reducantur alia credibilia non difficile poterit colligere doctus Theologus.

Tertia. Dico tertio, huiusmodi articulorum fidei semper fuit in Ecclesia, nec successu temporis creuit quantum ad substantiam, seu notitiam implicitam ipsorum; bene tamen quoad explicitam, & expressam. Ita etiam S. Th. ar. 7. colligiturque ex nostro Vvaldensi supra, & DD. concorditer. Prima pars probatur, primo ex plurium PP. consensu apud recentiores dicentium vnam, & eandem fidem esse nostram, & antiquorum PP. quod saltem intelligi debet de fide quoad substantiam, & quoad notitiam implicitam mysteriorum. Secundò, quia semper fuit in Ecclesia fides duorum illorum mysteriorum, de quibus Apostolus ad Hebr. 11. *Accedentem ad DEVM oportet credere quia est, & quia remunerator est*: sed in illis includuntur omnia credibilia: in primo quidem ea quę pertinent ad diuinitatem Dei; in secundo autem illa quæ spectant ad ipsius prouidentiam circa salutem hominum: semper ergo fuit vna, & eadem fides in Ecclesia, quoad substantiam quidem, & implicitè. Tertiò, quia cum semper fuerit vna, & eadem Ecclesia in mundo; vna & eadem sanctitas, & iustitia in hominibus viatoribus, vna etiam, & eadem beatitudo in patria, cum fides sit veluti forma constituens Ecclesiam; fundamentum iustitię, & sanctitatis; & primum medium ad beatitudinem, oportuit sane quod vna, & eadem, saltem quoad substantiam, & notitiam implicitam fuerit semper. Secunda etiam pars probatur, ex eo quod multa sunt curtu temporis in Ecclesia à Summis Pontificibus, & Concilijs definita, & declarata, quę tamen primitus non solum in lege naturæ, & scripta, sed nec etiam in principio legis Euangelicæ declarata, aut expressè definita erant; aut explicitè credita, saltem à vulgaribus fidelibus; esto ab insignioribus membris illius, inter quos præcipui sũt Apostoli, qui propterea à PP. vocantur *fontes*, admitti debeat fides explicita ipsorum: creuit ergo Ecclesia quantum ad fidem explicitam mysteriorum. Vnde merito propterea in Canticis Canticorum comparatur *Aurorę*, cuius lux semper crescit. Notant etiam ex Vvaldensi nostro supra Castrus, Canus, Suarez, Turrianus, & Card. Lugo, nullam fidei veritatem definiri aut declarari ab Ecclesia, Pontificibus, aut Concilijs, quæ alias implicite non sit contenta in S. Scriptura vel traditionibus. Idem etiam colligitur ex D. Th. hic ar. 10. ad 2.

Quarta. Dico quarto, articuli isti fidei conuenienter ponuntur in Symbolis Ecclesiæ. Ita S. Th. artic. 9. & cęteri Doctores. Et probatur ex ipsorum Symbolorum authoritate. Pro quo aduertendum, hoc nomen *Symbolum*, duo significare, primum, indicium, notam, seu signum, quo aliqui ab alijs distinguntur: qua ratione, nota, quæ datur militibus in bello, vt distinguãtur ab hostibus, dicitur *Symbolum*: secundo, contributionem, seu collationem multorum ad aliquid faciendum. Vtroq; ergo modo *Symbolum* dicitur in proposito, primò, quia est signum fidei, cuius confessione distinguũtur fideles ab infidelibus: secundò quia fuit contributio, seu collatio facta ab Apostolis, ita vt singuli Apostoli singulos articulos confecerint, vt communiter habetur ex D. Augustino & aliis. Est autem triplex Symbolum in Ecclesia, primum est Apostolorum, quod diximus à singulis Apostolis dictatum fuisse, & quotidie in Horis Canonicis recitamus. Secundum Symbolum est Niceęnum, quod solet, in Missa recitari, vocaturque Niceęnum, non quia quoad singulas eius partes à Concilio Niceęno fuerit compositum; sed quia ab ipso componi ceptum est, postea verò auctum & explicatum ab alijs Concilijs, præsertim Constantinopolitano primo, & Florentino. Tertium Symbolũ est D. Athanasii, quod Dominicis diebus in Prima recitamus; quod quamuis in se non habeat infallibilem authoritatem ad differentiam aliorum duorum, habet tamen illam ab Ecclesia illud recipiente, vt Orthodoxum. Dicitur autem hoc Symbolum Athanasij, quia ab ipso fuit compositum, vt constat ex traditione Ecclesiæ, & ex Augustino & aliis PP. vt probant Bellarminus, Valentia, Suarez, & alii. Primũ Symbolum videtur ordinatum ad confessionem fidei; secundum ad defensionem ipsius contra hæreticos: vt enim Vvaldensis noster supra cap. 18. per illud destruũtur omnes errores; tertium verò ad maiorem explicationem.

Notatio. Aliqua quæ in hac parte difficultatem habere videntur, sicut etiam id quod quęrit S. Th. ar. 10. videlicet, *An ad Summum Pontificem pertineat Symbolum fidei ordinare*, commodius discutientur infra disp. 8. vbi agemus de Regulis fidei, Ecclesia, scilicet, Papa, Conciliis, traditionibus, &c.

DISPV-

DISPVTATIO III.

De actu interiori fidei.

Quæstio prima.

Quid sit credere.

Fidei definitio.

DEFINIT S. Thomas q. 2 ar. 1 *credere*, seu actum credendi, dicens, quod est cum *cum assensione cogitare*, quam definitionē sumpsit ex Augustino *de prædest. Sanctor. cap.* 2. sed non videtur bona. Primo, quia conuenit cuicunque iudicio intellectus, siue sit clarum, siue obscurum: fides autē est iudicium obscurum, ergo. Secundò, quia etiam actus fidei humanæ, imo, & opinio, comprehenduntur sub hac definitione. Tertiò, quia saltem conuenit actibus donorum Spir. S. qui sunt in intellectu, vt *sapientiæ*, *scientiæ*, &c.

Defenditur.

Verumtamen non est deserenda hæc definitio, vtpote tradita ab Augustino, S. Thoma, & alijs. Pro qua nota; hanc vocem *credere*, etiam apud Augustinum dupliciter sumi, vno modo *latè* pro quocunque iudicio intellectus tam claro, quā obscuro; alio modo *strictè*, prout significat actum intellectus obscurum: in præsenti autem sumitur hoc modo. Rursus notat S. Thomas, quod cogitare in hac definitione non sumitur pro actu cogitatiuę, quæ est sensus internus, & materialis, sed pro actu speciali intellectus, & non quocunquè, sed illo solum, qui est ita imperfectus, vt per illum tendamus in rem non visam, ac per consequens sit obscurus, & ineuidens. Præterea obseruandum est, particulam illam *assensionem* non sumi pro quocunque iudicio, seu assensu intellectus, quo determinatur ad alteram partem, in quo differt à dubitatione, & suspicione; sed pro assensu, quo firmiter, & certo adhęret intellectus alicui parti; in quo differt ab opinione, & fide humana, quæ sunt incerta ex parte sui obiecti formalis.

Explicatur.

Sic ergo explicata hæc definitio actus fidei non solum est vera, sed etiam coincidit cum alia, quæ communiter traditur, scilicet, quod sit *iudicium ineuidens, & certum de rebus reuelatis à Deo, prima veritati innitens*. Nam per hoc, quod dicitur in definitione Augustini *assensio*, seu *assensus*, denotatur, quod debeat esse *iudicium certum, & firmum*. Et quia hæc firmitas, & certitudo non potest prouenire, nisi ex prima veritate, ideo etiam denotatur, quod innitatur illi: similiter per hoc quod in definitione Augustin. dicitur, quod sit *cogitatio* denotatur quod sit assensus imperfectus, & obscurus: vnde eadem est vtraque definitio, & cum illis coincidit etiam clarior altera Diui Basilij dicentis, *Fides est assensus non hæsitans de his, quæ audita sunt certitudine summæ veritatis.*

Solut. rat. dub.

Patet etiam ex dictis solutio rationum dubitandi: ad primam enim, & secundam constat dicendum, per illam particulam, *cogitare* explicari quod fidei assensus sit obscurus, & per illam particulam *assensio*, vel *cum assensione*, indicari quod debeat esse certus, & firmus, atque ita nec conuenit hæc definitio aliis actibus intellectus, nec fidei humanæ, aut opinioni. Ad tertiam, nego hanc definitionem conuenire actibus donorū Spir. S. pertinentibus ad intellectū: eo quod non sint assensus essentialiter obscuri, sed abstrahentes ab obscuritate, & euidentia, sicut prophetia. De quo suo loco.

Quæstio secunda,

An actus fidei conuenienter distinguantur per hoc quod est credere Deo, credere Deum, & credere in Deum.

Conclus. affirmatiuè.

RESpondet S. Thomas art. 2. affirmatiuē; sumpsitq; hanc distinctionem ex Augustino serm. 181. *de tempore*, & 61. *de verbis Domini*, & Tract. 29 in *Ioan.* quam etiam amplectuntur Scholastici, & Magister in 3. dist. 23. Quæ sic explicatur: *credere Deum*, denotat Deum esse obiectum materiale, quod credimus per fidem, *credere Deo* denotat obiectum formale, seu rationem sub qua credendi, *credere in Deum* denotat tendentiam in Deum, vt in vltimum finem: vnde licet peccatores dici possint credere Deo, & credere Deum non dicuntur tamen rigorosè credere in Deum, eo quod non sunt in charitate, cuius proprium obiectum est Deus vltimus finis.

Difficultas.

Sunt tamen aliquæ difficultates contra hoc. Prima est, quia etiam peccatores, in quibus non est charitas, possunt dici credere in Deum, vt patet non solum ex aliquibus locutionibus PP. sed etiā ex Io. 12. vbi dicitur quod *ex Principibus multi crediderunt in eum*; & tamen inter illos erāt multi peccatores. Secunda est, quia etiam dicimus *Credo in S. Ecclesiam*, prout aliqui PP. legisse videntur in Symbolo; & tamen Ecclesia non est ipse Deus. Sed respon-

ſpondetur ad primam, primò quidem, peccatores poſſe dici *credere in Deum* in perſona Eccleſiæ, cuius membra poſſunt eſſe propter fidem. Secundo, vſitate, & minus rigorosè, non autem in rigore ſcholaſtico, aut conformiter ad Diuum Auguſtinum, & Sanct. Thom. qui ſunt primarij Principes Theologiæ. Ad ſecundam dico, quod licet apud aliquos reperiatur ille modus loquendi, ſed ille vt minus conformis rigori ſcholaſtico non extat in Symbolis Apoſtolorum, & Niczno, in quibus ſolum dicitur *Credo Sanctam Eccleſiam*, ſed etiã correctus eſt in Diuo Hieronymo; & Auguſtino, vt notat Card. Lugo.

Quæſtio tertia.

An neceſſarius ſit ad ſalutem actus ſupernaturalis fidei.

Manichęo rũ error.

HAc in re, teſte Diuo Auguſtino, fuit error Manichæorum id negantium, & dicentium, nihil aliud eſſe credendum, quam quod poſſit ratione naturali demõſtrari. In eundem poſtea incidit Abailardus, teſtante Diuo Bernardo, & ex parte etiam aliqui Catholici referendi *quæſt. ſequenti*. Fundamenta ſunt. Primò, ex Paulo ad Roman. 1. vbi loquens de Philoſophis Gentilibus, dicit eos eſſe inexcuſabiles; eo quod *cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt*, vbi ſupponit cognitionem naturalem Dei, qualis eſt ea, quam habuerunt Gentiles, ſufficere ad ſalutem. Secundo, ex eodem Apoſtolo ad Hebr. 11 vbi pro eis qui accedere ſunt ad Deum ſolum requirit, vt credant *Deum eſſe*, & *remuneratorem eſſe*: quę duo ſolum per rationem naturalem cognoſci poſſunt. Tertiò, quia ſi eſſet neceſſarius actus fidei ſupernaturalis ad ſalutem maxime quia eſt neceſſarius ad iuſtificationẽ: ſed iuſtificatio poteſt haberi ſine illo; ergo. Minor probatur, quia per fidem humanã, ſeu cognitionem naturalem, qualem habet hæreticus, poteſt cognoſci malitia peccati, & offenſa Dei: ergo poterit ex illo excitari voluntas ad deteſtandum peccatum; & diligendum Deum. Tandem quarto, quia eſto, quod ad ſalutem ſit neceſſaria aliqua cognitio ſupernaturalis, orta ex auxilio gratiæ, etiam ſupernaturalis, quod tamen talis cognitio ſupernaturalis debeat eſſe fidei, nullo videtur fundamento ſolido firmari.

Veritas de fide.

Veritas tamen eſt certa de fide; actum ſupernaturalem fidei eſſe neceſſarium adultis ad ſalutem, tam inchoatam, quæ habetur per iuſtificationem; quam completam, & perfectam, quæ habetur in Patria: ita vt nulli pateat via ad iuſtificationem, ſeu ad gloriam, niſi per fidem tanquam per primum fundamentum, & initium illius. Ita non ſolum Theologi cum Sancto Thoma, & Scholaſtici cum Magiſtro, ſed etiam Patres, quorum plures referunt recentiores. Colligitur primò ex Sacræ Scripturæ teſtimonijs, quale eſt illud Marci vltimo: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui vero non crediderit condemnabitur*. Secundò, addunt aliqui illud Sapientiæ 9. *Per Sapientiam ſanati ſunt quicunque placuerunt tibi Domine à principio*, intelligendo *per Sapientiam* fidẽ. Sed ſaltem tertio id conſtat ex tota Epiſt. Pauli ad Rom. cuius ſcopus eſt oſtendere neceſſitatem fidei. Vnde cap. primo adducit illud: *Iuſtus autem ex fide viuit*, quod deſumptũ eſt ex Habacuch 2. vbi Propheta inquit: *Qui incredulus eſt non erit recta anima eius in ſemetipſo: iuſtus autem in fide ſua viuet*. Item, ex Epiſtola ad Galatas, & ad Epheſ. 2. & alias paſſim, vbi adſcribit fidei iuſtificationem tanquã primo fundamento, & radici illius. Maximè quoque id conſtat ex Epiſtola ad Hebræos *cap.* 11. vbi non ſolum commemorat eos, qui fuerunt iuſti per fidem, ſed etiam addit: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*. Vnde ex eo, quod de Henoch dicat Scriptura, *Placuiſſe Deo*, infert Paulus habuiſſe fidem, quod argumentum eſſet infirmum, ſi aliquis poſſet conſequi ſalutem ſine fide. Præterea etiam id conſtat ex Concilijs; ſpecialiter Mileuitano can. 4. & Arauſic. can. 5. vbi additur illud ad Epheſ. 2. *Gratia ſaluati eſtis per fidem* maximeque ex Tridentino *ſeſſ. 6. cap. 7.* vbi dicitur, quod *ſine fide nulli vnquam contingit iuſtificatio*, & cap. 8. Vbi dicitur, quod fides eſt *humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis iuſtificationis, ſine qua, impoſſibile eſt placere Deo* &c. Plura etiam ex Patribus congerunt recentiores.

Probatio ex rationibus.

Deinde rationibus probatur. Prima eſt ea, quam adducit artic. 3. Sanct. Thomas, & ad hoc reducitur, quod cum ad viſionem Dei, in qua conſiſtit vltima hominis beatitudo, non poſſit pertingere ſolis viribus naturæ, opus eſt, vt intellectus à Deo inſtruatur, iuxta illud Ioann. 6. *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me*: atqui nemo poteſt diſcere à Deo niſi ipſi docenti, ac reuelanti credat, iuxta illud Philoſophicum, *Addiſcentem oportet credere*: ergo ad ſalutem eſt neceſſarius actus fidei. Secunda, quia nemo poteſt conſequi ſalutem niſi per motum ſupernaturalem liberi arbitrij, ſed ad iſtũ motum debet præſupponi fides; ergo fi-

des

des. eſt neceſſaria ad ſalutem; maior eſt certa ex his, quæ diximus Tomo præcedenti, Tract. 7. diſp. 7. quæſt. 7. minor autem etiam conſtat, quia ad omnem actū ſupernaturalem voluntatis debet præſupponi actus ſupernaturalis intellectus, qui ſolum poteſt eſſe fides, vt infra dicetur.

Limitationes. Limitanda tamen eſt tradita doctrina, primò, vt ſolum ſit vera reſpectu adultorum, non reſpectu paruulorum. Sicut enim paruuli iuſtificari poſſunt ſine proprio motu, ſola ſuſceptione Baptiſmi in Lege noua, & Circumciſionis in Lege veteri; ita etiam conſequi ſalutem tam inchoatam huius vitæ, quam perfectam alterius, ſine actu fidei. Dico ſine actu, quia reuera illi non conſequuntur ſuam ſalutem ſine habitu fidei, qui illis infunditur cum gratia, per quam iuſtificantur. Limitanda etiam eſt ſecundo, loquendo de potentia ordinaria; nam de abſoluta poteſt homo iuſtificari, & conſequi ſalutem ſine vllo actu, aut habitu fidei, iuxta dicta Tomo præcedenti ea diſput. 7. quæſtio. 6. De quo etiam Turrianus, & alij. Videndus ex noſtris Silueſtranus, in. 3. lect. 72.

Solutio obiectorū contrariorū. Quare ad primum in contrarium dico, nihil ex eo loco colligi ad intentum; ſed tantum, quod Gentiles, qui Deum ex creaturis naturali cognitione cognouerunt, aut cognoſcere potuerunt, non eſſent excuſabiles in ſua Idololatria. Ad ſecundum dico, quod quamuis cognitione naturali poſſit cognoſci aliquo modo Deū eſſe, & remuneratorē eſſe, nihilominus cognitionem, quam requirit Apoſtolus in eo loco eſſe debere ſupernaturalem, & per fidem. Id enim conſtat ex contextu totius illius capitis, vbi agit de fide quæ eſt *ſubſtantia*, ideſt fundamentum, *rerum ſperandarum*, & de ea, per quam Patres antiqui commendati ſunt, iuſtitiam operati ſunt, & adepti promiſſiones; ac pro qua mortui ſunt, quæ ſolum competūt fidei ſupernaturali. Ad tertium conceſſa maiori, nego minorem, ad cuius probationem dico, quod quamuis per vires naturæ cognoſci poſſit malitia peccati, & Deum offendi illo vt auctorem naturalem, tamen non poſſumus per eaſdem vires cognoſcere malitiam peccati, quatenus eſt contra Deum auctorem ſupernaturalem, aut prout eſt offenſa Dei, vt auctoris ſupernaturalis; & ita requiritur cognitio fidei ad iuſtificationem; eo quod requiritur deteſtatio peccati, quatenus eſt offenſa Dei, & auctoris ſupernaturalis. Ad quartum dico, quod quamuis ex recentioribus Ripalda, & Hurtadus ſatis inclinare videantur in id, quod ab ipſo intenditur, ſcilicet ſufficere ad ſalutem aliquam cognitionem ſupernaturalem Dei, etiam ſi non ſit actus fidei; nihilominus tamen hæc ſententia, ſaltem de facto, nullatenus admitti debet, vtpote contraria generalibus locutionibus Sacræ Scripturæ, & Conciliorum, in quibus fides omnino neceſſaria eſſe dicitur ad ſalutem, & adeo ſtrictè vt Joann. 3. dixerit Chriſtus. *Qui autem non credit iam iudicatus eſt*. Præſertim, quia omnis cognitio ſupernaturalis, quæ de facto communicatur à Deo viatoribus, eſt ſolius fidei, vel ad fidem reducibilis, quia includit obſcuritatem, quæ eſt propria cognitionis viatorum, iuxta illud 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate*. Vide Canum, Bañez, Valentiam, Sanchez, Suarez, Palaum, & Lugo.

Quæſtio quarta.

Quomodo actus fidei ſit neceſſarius ad ſalutem.

'Neceſſarium duplex. SVpponendum eſt ex communi doctrina Theologorum dupliciter poſſe aliquid dici neceſſarium ad ſalutem, primò, *neceſſitate medij*: ſecundò *neceſſitate præcepti*: primo modo dicitur neceſſarium illud, quod vel ex natura rei, vel inſtitutione diuina, eſt medium per ſe requiſitum ad ſalutem, v. g. Baptiſmus reſpectu paruulorum: illud verò dicitur neceſſarium ſecundo modo, quod ſolum eſt neceſſarium, quia eſt præceptum; quomodo ſunt neceſſaria, v. g actus eleemoſynæ, ieiunium, & alia huiuſmodi. Eſt autem duplex diſcrimen inter hęc duo neceſſaria, primum eſt, quod id quod eſt neceſſarium neceſsitate medij, eſt etiā neceſſarium neceſſitate præcepti ſi ſit in noſtra poteſtate, vt patet in Baptiſmo, & pœnitentia reſpectu adultorum; at verò non quicquid eſt neceſſarium neceſſitate præcepti eſt neceſſarium neceſſitate medij, vt pater in eleemoſyna, ieiunio &c. Secundum diſcrimen eſt, quod ab eo quod eſt neceſſarium neceſſitate præcepti excuſare poteſt ignorantia, aut impotentia: vnde qui inuincibiliter ignorat aliquod præceptum, excuſatur ab illo: at verò ab his, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medij nulla ignorantia, aut impotentia excuſat: & ideo paruulus nullo modo poteſt ſaluari ſine reali Baptiſmo. Quæſtio ergo præſens quærit, quo ex iſto modo ſit neceſſaria fides ad ſalutem.

Rationes dubitandi. Videtur autem non eſſe neceſſariam neceſſitate medij. Primò, quia poteſt dari ignorantia inuincibilis fidei, vt probatur, vel ſupponitur fere communiter in ſchola: ſed habenti huiuſmodi ignorantiam non eſt impoſſibilis ſalus; tum quia

Deus

Deus vult omnes saluos fieri; tum quia nullum tempus est, in quo non possit homo consequi salutem, ergo poterit homini salus contingere sine fide; ex quo sequitur eam non esse medium necessarium ad salutem. Confirmatur exemplo communi de puero nutrito in siluis, qui nunquam audiuit aliquid de nostra fide, & tamen negari non potest quin possit saluari, non ergo est necessarium medium ad salutem fides. Secundò, quia non minus sunt necessaria necessitate medij Baptismus, & Pœnitentia in adultis, quam fides: sed habentibus ignorantiam inuincibilem istorum Sacramentorum sufficit votum ipsorum, ergo idem erit dicendum de fide. Tertiò, quia, iuxta commune axioma, *facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam*, ergo infidelis, qui habet ignorantiam inuincibiliter fidei, si faciat, quod in se est, seruando legem naturæ, prout potest, iustificabitur, atque ita non erit necessaria fides necessitate medij.

Quorundam sententia.

Propter hæc argumenta aliqui Theologi affirmãt, quod si aliquis haberet ignorantiam inuincibilem fidei, posset saluari, & iustificari sola cognitione naturali. Ita tenuit quondam Sotus, licet postea id retractauerit, tenet tamen Vega, & refertur Victoria: fauent Erasmus, & Zuinglius Sectarius apud Tannerum, dum de aliquibus Ethnicis; Cicerone videlicet, Socrate, Catone, Seneca, & alijs, dicunt saluos esse, etiam si fidem non habuerint,

Veritas certa.

Veritas tamen est, quæ absque errore negari non potest, fidem esse necessariam, necessitate etiam medij, in quocunque euentu ad salutem. Hanc conclusionem docent, tam Theologi antiqui quam moderni, specialiter Canus, Bañez, Valentia, Tãnerus, Turrianus. Nec oportet alia fundamenta adducere, quam adducta quæstione præcedenti. Specialiter tamen ponderari debent Conciliorum auctoritates, & illud Marci vltimo; *Qui verò non crediderit condemnabitur*, & illud Pauli ad Hebr. 11 *sine fide impossibile est placere Deo*, ac illud Ioann. 3. *Qui non credit iam iudicatus est*. Ex ijs enim, & alijs regulis generalibus sic licet argumentari. Sacræ Scripturæ testimonia generalia, semper, & vniuersaliter accipienda sunt, nisi forte ab ipsa Sacra Scriptura, vel ab Ecclesia fiat aliqua exceptio; sed hæc testimonia vniuersaliter negant aliquem posse saluari sine fide, in nullo ergo casu admittendum est oppositum: Si dicatur, hęc testimonia non significare necessitatem medij, sed præcepti. Contra hoc est primo, quia ex communi Ecclesiæ, & Patrum traditione constat oppositum. Secundò, quia alias non posset dicere Conc. Trid. sess. 6 cap. 7. & 8. *nulli vnquam sine fide* contigisse iustificationem; & sine illa *impossibile est placere Deo*; quia sine illo, quod est necessarium solum vt præceptum, potest quis saluari, & placere Deo, si adsit ignorantia, aut impotentia.

Specialis probatio.

Specialiter etiam pro casu quo detur homo habens ignorantiam inuincibilem fidei. Nã si talis homo posset saluari absque fide, aut posset saluari sine aliquo motu supernaturali, tam ex parte intellectus, quam voluntatis, aut posset saluari sola cognitione naturali ex parte intellectus, ad quam sequatur motus supernaturalis ex parte voluntatis: primum est Pelagianum, quia hoc esset refundere totum negotium nostræ salutis in naturales vires liberi arbitrij, vt Pelagiani dicebant, & impugnauimus Tom. 2. Tract. 7. de gratia, disput. 2. quæst. 1. & 3. Secundum est etiã adminus Semipelagianum, iuxta dicta eo loco, quia in hac sententia conceditur dari aliquod initium nostræ salutis ex viribus liberi arbitrij, ergo quomodocumque defendatur opposita sententia admitti non potest sine errore in fide. Confirmatur, quia omnia argumenta, quibus contra errorem horum Hæreticorum, quorum aliqua eo loco retulimus, dimicant Theologi, etiam habent vim contra hanc sententiã: qualia sunt illud Pauli, *non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*. Similiter illud, *Quis est qui te discernit*: & illud: *Quid habes quod non accepisti*: & illud Christi: *Sine me nihil potestis facere*, &, *nemo venit ad me, nisi Pater meus, &c. traxerit eum*.

Alia.

Prętera principaliter, quia fides supernaturalis Christi explicita, vel implicita est necessaria necessitate medij ad salutem, vt dicemus infra: sed fides Christi nõ põt vllo modo contineri in cognitione naturali; ergo quantũuis adsit ignorantia inuincibilis ad salutem, requiritur aliqua fides supernaturalis, in qua contineatur saltem implicitè fides Christi. Minor probatur quia fides Christi non potest contineri implicitè in cognitione, quę sit diuersi ordinis, & rationis à fide, sed in cognitione eiusdem ordinis cum illa: etenim in semine plantæ etsi contineatur implicitè fructus eiusdem, non tamen continetur animal, aut homo, quæ sunt diuersi ordinis, & rationis: è contra verò in puero continetur vir implicitè, quia sunt eiusdem rationis puer, & vir: hac etiam ratione in fide antiquorum Patrum continebatur fides Euangelica implicita, quia fides in illis, & nobis est eiusdem speciei: vnde Paulus ad Galatas 3. comparat fidem antiquorum *puero*, qui sub pedagogo est, fidem autem Euangelicam *viro*. Cum ergo cognitio naturalis sit non solũ

diuersæ

diuersę speciei à cognitione fidei, sed & diuersi generis, imo diuersi ordinis, quia naturalia, & supernaturalia sunt talia, non poterit cognitio fidei, seu fides Christi contineri in cognitione naturali.

Quomodo necessarius actus fidei.

Sequitur autem ex dictis, actum fidei in adultis esse necessarium ad salutem, etiã necessitate præcepti. Ratio est, quia quicquid est necessarium necessitate medii, est etiam necessarium necessitate præcepti, si pendeat aliquo modo ex hominum voluntate. Dixi *in adultis*, quia Baptismus est necessarius paruulis necessitate medij, & nõ præcepti, quia non sunt capaces præcepti. Dixi etiam secundò, *si pendeat ex eorum voluntate*, quoniam gratia excitans, & prima vocatio est necessaria necessitate medii, & non præcepti, quia non pendet ex voluntate hominum. Ratio autem propositionis sic intellectæ est, quia omnis prudens legislator præcipit suis subditis id quod est medium simpliciter necessarium ad eorum salutem, alias imperfecte nimis illis prouideret: cum ergo fides, vt ostensum est, sit necessaria necessitate medii, infertur etiam esse necessariam necessitate præcepti: & ita passim habetur hoc præceptum in Sacra Scriptura, præsertim Euangelio, & Epistolis Pauli, vt constat ex dicendis in sequentibus.

Solutio cõtrariorum.

Vnde ad primum in contrarium concessa maiori, scilicet posse dari ignorantiam inuincibilem fidei, ac per consequẽs infidelitatem negatiuam, de quo alias; concedo similiter minorem, scilicet, habenti talem ignorantiam esse possibilem salutem: nego tamen consequentiã, quia quamuis ille possit saluari, sed non aliter, nisi quia ab illa potest purgari, & habere fidem, & ita saluari. Quia tamen contra hoc vrget confirmatio posita de puero enutrito in siluis, seu de illis, qui apud barbaras nationes remotissimas à fidelibus nascuntur; isti enim videntur non posse habere fidem, cum nullus sit qui eam ipsis proponat, & Paulus ad Romanos 10. dicat, *Quomodo audient sine prædicante?* Respondetur, omnes istos saluari posse, & habere fidem, quia potest Deus intellectum eorum circa res fidei illustrare immediate per se ipsum, aut mediate per Angelum, Custodem præsertim; aut hominem, ad illud munus missos. Imo dico quod de facto ita illuminabuntur, si per illos nõ steterit non vtendo bene auxiliis, quibus Deus eos excitat ad opera bona elicienda: si enim illis bene vtantur Deus illuminabit eos ad fidem modo dicto, iuxta ea quę diximus *tom. 1. tract 4. disp 12. de reprobatione quæst. 7.* Nec hoc est miraculum, vt contendit Vega, quia potius est debitum perfectissimæ prouidentiæ, qua *vult omnes homines saluos fieri*, & quæ *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, & qua statuit neminem accedere posse ad eum nisi præuia fide. Est quoque debitum meritis Christi, qui pro omnibus mortuus est. Si dicas, quid si Deus non illuminet illos, saluarentur, an non? Respondeo non esse admittendum Deum non illuminaturum illos si per illos non steterit modo dicto, dato autem casu quod Deus illos non illuminaret, damnarentur, non quidem propter infidelitatem illam, quia illa non est peccatum sed propter alia peccata, originale videlicet vel actualia: vnde damnabuntur ex defectu fidei non quia defectus ille sit peccatum in eo qui habet ignorantiam inuincibilem illius & non illuminatur à Deo, sed quia est defectus medij necessarij ad salutem, sicut damnatur puer sine baptismo decedens ex defectu baptismi, non quia in illo sit peccatum carere baptismo, sed quia est defectus medii necessarii ad remissionem originalis. Vide Suarez, Sanchez, Card. Lugum, Caspensem, Serram, & alios recentiores.

Solutio secundæ rationis.

Ad secundam rationem concessa maiori, & minori, nego consequentiam, & ratio est, quia baptismum, & pœnitentiam præcedere possunt aliqui motus supernaturales, v. g. charitatis, aut contritionis, in quibus continentur in voto, cum sint eiusdem ordinis supernaturalis cum illis: at vero actus supernaturalis fidei est primum in genere supernaturalium, neque illum præcedit aliud supernaturale in quo contineri possit. Cognitio enim naturalis, quæ est ante illum, cum sit inferioris ordinis ipso, nullatenus potest illum continere, neque explicite, neque etiam implicitè, & ita ista sacramenta possunt suppleri per votum illorum, non vero actus fidei. Ad tertium constat ex dictis to 2. tract. 7 disp. 6. quæst 3. sensum illius axiomatis non esse quod facienti quod in se est ex viribus naturæ Deus conferat gratiam; hoc enim sapit Semipelagianorũ errorem; sed quod facienti quod in se est ex auxilio gratiæ Deus conferat vlteriorem gratiam, quæ doctrina est verissima, & conformis illi, quam adduximus in hac quæstione.

Quæstio quinta.

An actus fidei sit supernaturalis quoad substantiam.

Supernaturale quotuplex.

NOta, communiter à Theologis distingui hoc quod est esse *supernaturale*, ita vt aliud sit supernaturale *quoad*

substantiam, aliud vero supernaturale *quoad modum*. Id dicitur supernaturale *quoad substantiam*, quod secundum totam entitatem, essentiam & substantiam suam est supernaturale; ita vt in illo nihil sit non supernaturale: supernaturale vero *quoad modum* est id quod secundum suam substantiam naturale est, modus tamen aliquis illius, est supernaturalis. Exempli gratia, quando actus alicuius virtutis naturalis, scilicet temperantiæ, aut fortitudinis, ordinatur in finem charitatis, talis actus secundum suam substantiam naturalis est; quoadmodum vero ordinationis, & directionis in finem supernaturalē charitatis est supernaturalis. Quærimus ergo quo ex istis duobus modis supernaturalitatis, actus fidei supernaturalis sit.

Prima sententia

Prima sententia tenet actum fidei solū esse supernaturalem quoad modum, itaut quoad substantiam naturalis sit. Ita Caietan. Paludan. Capreol. tribuiturque Scoto, Molinę, & Nominalibus. Primò, ex verbis S. Thomæ in hac 2.2. quæst. 171. artic. 2. ad tertium, vbi ponit differentiā inter actum fidei, & dilectionis Dei ex vna parte, atque operationem miraculorum, & prophetiam ex altera, quod hæc duo sunt supernaturalia secundum substantiam actus, alia verò quantum ad modum. Secundò, quia obiectum materiale fidei non solum comprehendit id, quod est supernaturale, scilicet Deum esse trinum, incarnatum, &c. sed etiam id quod est naturale, videlicet Deum esse, vnū esse &c. ergo saltē circa ea, quæ naturalia sunt, actus fidei erit quoad substantiānaturalis, & solum supernaturalis quo ad modum, scilicet ex parte modi credendi, qui est propter primam veritatem reuelantem. Tertiò, quia fides Hæreticorum, & nostra debet esse eadem quantum ad substātiam; siquidem ipsi credunt propter primam veritatem, aut propter auctoritatem Sacræ Scripturæ, sicut & nos, sed fides illorum solum est naturalis quoad substantiam, ergo & nostra.

Contluſ.

Sed tamen dicendum est, actum fidei esse supernaturalem quoad substantia. Ita colligitur ex S. Thom. infra quæst. 6. artic. 3. quem communiter Doctores sequuntur. Et probatur primo, ex testimonijs S. Scripturę, Conciliorum, & Patrum, quæ retulimus Tom. 2. Tract. 7. disput. 1. quæst. 1. & alijs, quæ passim referuntur à Theologis, in quibus habetur, quod actus credendi, seu credere, sit donum gratuitum Dei, aut ex gratia, & supra naturam. Ex eis enim manifestè elicitur actum credendi non esse naturalem, sed supernaturalem quoad substantiam. Si enim naturalis esset, profecto omnino gratis diceretur esse necessarium pro illo auxilium supernaturale. Secundò, ferè ad idem quia habitus fidei, qui de facto requiritur ad eliciendum saltem connaturaliter, actū fidei est omnino supernaturalis quoad substantiam: ergo & ipse actus. Probatur consequentia, tum quia habitus ipse fidei concurrit ad productionem actus secundum suam substantiam; tum etiam, quia ex illo specificatur, sicut generaliter omnis habitus specificatur ex actibus. Antecedens verò probatur primò, quia totus habitus fidei est per se infusus, ergo supernaturalis. Secundò, quia si habitus fidei est naturalis quoad substantiam, ergo est per se acquisitus, & solum per accidens infusus. Tertiò probatur conclusio ratione à priori, quia naturalitas, vel supernaturalitas actus debet desumi ex naturalitate, vel supernaturalitate obiecti formalis, seu rationis formalis sub qua illius, prout schola semper tenuit cum Caietano, Conrado, Medina, Vasquez, Suarez, Turriano, Curiele, & alijs; ita vt Molina, Coninck, & nonnulli alij, quibus ex parte fauet Dom. de Lugo, fermè singulariter oppositum sentiant. Sed obiectum formale, aut ratio formalis sub qua actus fidei est omnino supernaturalis, ergo & ipse actus fidei etiam est omnino, & quoad substantiam supernaturalis: minor verò probatur, quia ratio formalis *sub qua* fidei est prima veritas reuelans, seu testimonium diuinum: prima autem veritas reuelans, seu testimonium diuinum non possunt non esse supernaturalia quoad substantiam; tum quia essentialiter dependent, vel includunt diuinam auctoritatem, quæ est quoad substantiam supernaturalis; tum etiam, quia hoc quod est Deum reuelare, vel testificari aliquid, maximè interponendo ad hoc suam auctoritatem est omnino supra debitum naturæ, ac per consequens supernaturale quoad substantiam; tum denique, quia prima veritas reuelans, seu testimonium diuinum non est quomodolibet ratio formalis sub qua fidei, nisi quatenus est tangens, & mouens cor hominis ad credendū certo, & sine vlla formidine dictis à Deo, quod cum fiat supernaturaliter, quia fit omnino supra debitum naturæ, non potest non esse supernaturale quoad substātiam.

Alia probatio.

Denique quartò, quia si actus fidei est naturalis quoad substantiam, & supernaturalis quoad modum, sequitur, quod in illo debeamus assignare duas rationes essentialiter diuersas, sicuti assignamus v.g. in actu temperantiæ facto propter motiuum charitatis, duas etiam rationes essentialiter diuersas, quarum altera sumitur ex obiecto temperantiæ, & altera ex

fine

fine charitatis. Sumo ergo illam rationem, ex qua specificatur substantia actus fidei, tunc sic: hęc ratio non potest habere aliud specificatiuum, nisi primam veritatem reuelantem, aut testimonium diuinum, quæ sunt aliquid supernaturale, ergo, & ipsa est aliquid supernaturale. Omitto alia, de quibus recentiores,

Corollar. Ex dictis autem infertur, actum fidei humanæ, atque diuinæ non solum differre quoad modum, sed etiam quoad substantiam; nam actus fidei humanæ specificatur ex testimonio humano, humana auctoritate, & veritate, mouente solum ad actum fallibilem, & incertum, & subiectum falsitati: actus verò fidei diuinæ specificatur ex testimonio diuino, & diuina auctoritate, & veritate mouente supernaturaliter cor hominis ad actum infallibiliter certum, & incapacem falsitatis: ergo distinguuntur essentialiter, & secundum substantiam.

Solutio contrarior Quare argumentis in contrarium respondeo, & ad primum ex testimonio Sancti Thomæ, respondeo differentiam traditam à S. Thom. inter actus fidei, & charitatis ex vna parte, & operationes miraculorum, ac prophetiam ex alia, esse, quod ista duo ita sunt supernaturalia, vt non habeant actus alios similes sibi circa materiam eorundem, qui sint naturales; & ideo absolutè dici possunt secundum substantiam supernaturales: at verò, quia quamuis actus fidei, & charitatis sint supernaturales quoad substantiam, sunt tamen alij actus similes illis circa ipsorum materiam qui sunt ordinis naturalis, scilicet credere Deum fide naturali, & diligere dilectione naturali, ideo dici possunt esse secundum suam substantiam naturales. Ad primam rationem, concesso antecedenti, nego consequentiam, quamuis enim per fidem credamus ea, quæ naturalia sunt, quia tamen credimus sub ratione primæ veritatis reuelantis, seu testimonij diuini, quæ, vt dixi, sunt quid supernaturale, ideo etiam actus fidei, quo res naturales credimus est supernaturalis quoad substantiam. Ad secundam verò rationem nego etiam antecedens, seu maiorem, scilicet fidem nostram, & Hæreticorum esse eandem quantum ad substantiam; & ad probationem, respondeo, negando etiam Hæreticos credere propter primâ veritatem reuelantem, aut propter auctoritatem Sacræ Scripturæ, eo modo, quo Catholici credunt, & debent credere, scilicet propter illa, vt regulata per Ecclesiæ authoritatem, & non per proprium iudicium, aut motiuum aliquod humanum, prout ipsi Hæretici credunt. Vnde fallunt, & falluntur, dum dicunt se credere propter primam veritatem reuelantem, aut Sacram Scripturam, eo modo, quo pertinent ad obiectum fidei.

Quæstio sexta.

Quæ sunt necessario credenda necessitate medij ad salutem.

Notatio. NOtandum, quod fidei mysteria dupliciter credi possunt, primo quidem explicitè; secundò, implicitè. Ea creduntur explicitè, quæ in seipsis terminant actum fidei, vt cum credimus *Deum esse*, &c. Ea verò creduntur implicitè, quæ in seipsis non terminant actum fidei, sed prout cõtinentur in alio, vt cum credimus omnia quæ Deus reuelat, aut Ecclesia proponit, credimus etiam implicitè mysteria Trinitatis, & Incarnationis, quę continentur in illis.

1. Concl. Dico ergo primò, in omni statu est, & fuit necessariũ sẽper necessitate medij credere explicitè hæc duo, scilicet Deum esse, & remuneratorem esse. Ita communiter Doctores, & merito quidem, quia id clarè videtur colligi ex Paulo ad Hebr 11. vbi postquam dixit: *Sine fide autem impossibile est placere Deo*, per quod, vt diximus quæst. 4. denotatur necessitas medij ad salutem, subiungit immediatè, quasi reddens rationem illius, & determinans ea, quæ sunt explicitè credenda ea necessitate medij. *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit*. Secundò, quia in his duobus propter eorum vniuersalitatem aptissimè, & congruentissimè continentur omnia alia, quæ sunt necessaria ad salutem hominum. Nam in hoc, quod est *Deum esse*, includuntur omnia siue naturalia, siue supernaturalia, quæ spectant ad Deum in se, siue quoad se; scilicet esse vnum, Omnipotentem, Trinum, &c. in secundo autem, scilicet *remuneratorem esse*, includuntur omnia siue naturalia etiam, siue supernaturalia, quæ spectant ad Deum quoad nos, seu in ordine ad nos: hoc est, prout habet prouidentiam de hominibus; scilicet esse non solum gubernatorem, prouisorem, creatorem, &c. sed etiam esse saluatorem, iustificatorem, glorificatorem, &c. Tertiò, nam per illa duo dirigitur homo sufficienter ad exercendos actus spei, & charitatis, per quos maximè homo accedit ad Deum, & sine quibus non consequitur suam salutem.

Secunda. Dico secundò, ante legem Euangelicam non fuit necessarium necessitate medij credere explicitè mysterium Trinita-

tis, aut Incarnationis; erat tamen neceſſarium credere illa implicitè. In hac etiã conueniunt ferè omnes Doctores, tam ſcholaſtici cum Magiſtro in tertio diſt. 25. quam Expoſitores S. Thom. cum eo in hac quæſt. 2 art. 7. & 8. Corduba, & paucis alijs exceptis. Videndi etiam ex noſtris Bachonius in 4. circa prologum q. 6. artic. 3. Silueſtranus in 3. ſect. 76. & Philippus à Sanct. ſs. Trinitate Tom. 3. diſp. 4. dub. 4. Prima pars probatur generaliter de vtroque myſterio, quia cum ea ſint tã ſublimia, & ſupra captũ humanũ; homines autem legis naturalis, & ſcriptæ, regulariter eſſent rudes, tardi, & parum capaces conueniens non erat, vt Deus exigeret ab eis vt medium neceſſarium ad eorum ſalutem fidem explicitam horum myſteriorum. Secundo ſpecialiter de myſterio Incarnationis, ex teſtimonijs Sacræ Scripturæ, in quibus id denotatur. Etenim Paulus ad Galatas 3. inquit, *Priuſquam veniret fides* (ſcilicet Ieſu Chriſti, de qua loquebatur) *ſub lege cuſtodiebamur concluſi in eam fidem, quæ reuelanda erat*, Vbi ſtatum legis antiquæ videtur vocare obſcurum, implicitum, & nebuloſum quantum ad Chriſti cognitionem, reſpectu legis Euangelicæ. Et ad Epheſ. 3. *In myſterio Chriſti, quod alijs generationibus non eſt agnitum filijs hominum, ſicuti nunc reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis eius*: & ad Hebræos 10. generaliter dicit: *Vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum*. Item ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. vbi loquens de eo myſterio, inquit, *Ante legem, & legis tempore multis ſanctorum Patrum declaratur*: non ergo generaliter omnibus. Præterea quoque ex pluribus PP. relatis à recentioribus. Tertiò, ſpecialiter de myſterio Trinitatis, quia, vt habet Sanctus Thomas quæſt. 4. art. 8. & ſequuntur alij communiter, illud continetur in myſterio Incarnationis, quia ex illo habetur, quod Filius Dei, qui eſt ſecunda Trinitatis Perſona, fuerit Incarnatus; & fuerit conceptus de Spiritu Sancto, qui eſt tertia Perſona Trinitatis: ſi ergo fides explicita myſterij Incarnationis non fuit neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem ante legem Euangelicam, ergo neque fides explicita myſterij Trinitatis.

Probatio 2. partis.

Secundam verò partem concluſionis probant plurima loca Sacræ Scripturæ, in quibus fides Chriſti commendatur, vt omnino neceſſario ad ſalutem omnibus hominibus, & omni tempore: quę loca ſicut probant neceſſitatem fidei myſterij Incarnationis, ſic etiam probant de myſterio Trinitatis, quod in illo includitur, vt diximus; & cum non probent de fide explicita, propter dicta, adminus tamen probant de implicita. Ea porro præcipuè depromptа ſunt ex Paulo in ſuis Epiſtolis: etenim ad Roman. 3. inquit: *Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti, in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum*. Et infra. *Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, &c. propter remiſſionem præcedentium delictorum* Et inferius: *Iuſtificans eum qui eſt ex fide Ieſu Chriſti*. Et ad Galatas 2. clarius, *non iuſtificatur homo, niſi per fidem Ieſu Chriſti* 1 & 1. Corinthiorum 10 loquens de PP. veteris teſtamenti, *Omnes eandem eſcam ſpiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritalem biberunt (bibebant autem de ſpiritali, conſequente eos, petra; petra autem erat Chriſtus)*. & ad Hebr. 11. quod id quod dixit, *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*, de fide Chriſti accipiendum eſſe declarat, dum dicit de Moyſe: *Maiores diuitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti*. Id etiam conſtat ex alijs locis Sacræ Scripturæ Io. 11. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius*; & cap. 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te Deum verum; & quem miſiſti, Ieſum Chriſtum*. Optimus etiam locus eſt ille Actor. 4. in quo Apoſtolorum Princeps Petrus publicè prædicans dixit de Chriſto: *Non eſt in alio aliquo ſalus, nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum omnibus in quo oporteat nos ſaluos fieri*. Alia teſtimonia, tam Sacræ Scripturæ, quam SS. PP. pro hac veritate apud recentiores reperiuntur: ſicut & rationes, ſeu congruentiæ. Præcipua autem ſumi poteſt ex ordinatione, & voluntate diuina, qua ſicut voluit Chriſtum eſſe propitiatorem pro peccatis omnium, ſic etiam voluit nullum ſaluari ſine fide ſaltem implicita ipſius; per conſequens myſterij etiam Trinitatis, quod, vt diximus, in myſterio Incarnationis includitur.

Difficultates.

Sunt tamen duæ difficultates contra ea quæ dicimus in hac ſecunda concluſione. Prima eſt contra primam partem ipſius, ex aliquibus teſtimonijs SS. PP. præſertim Nazianzeni, & Auguſtini, quibus denotari videtur, fidem explicitam Chriſti fuiſſe ſemper neceſſariam hominibus. Secunda eſt contra ſecundam. Nam fides implicita alicuius obiecti ſupernaturalis neceſſario debet contineri in explicita alterius obiecti ſupernaturalis; eo quod in cognitione obiecti naturalis, cum illud non habeat proportionem cum ſupernaturali, ſed ſit ordinis inferioris, nullatenus contineri poteſt cognitio obiecti ſupernaturalis: ſed in antiquis fidelibus, qui Chriſtũ præceſſerunt, non fuit (ſaltem in omnibus) fides explicita alicuius obiecti ſupernaturalis, in qua fides implicita

Chriſti

Chriſti, aut myſterij Trinitatis continere-tur. Ergo. Sed ad hęc reſpõdeo breuiter. Et ad primum dico, nullum me vidiſſe teſtimonium PP. pro hac parte, quod non poſsit ſufficienter exponi de fide implicita, vel ſaltem, ſi de fide explicita intelligi debeat, quod oporteat accipi reſpectu omnium fidelium ante Chriſtum, & non ſolum reſpectu aliquorum, maiorum videlicet, peritiorum, & inſigniorum, eorum nempe, quibus expreſsè à Deo fuit reuelatum Incarnationis myſteriũ, quales fuerunt Iob, & Abraham in lege naturæ; Dauid, & Prophetæ, & alij ſimiles in lege ſcripta. De his enim loquendo facilè admitti poteſt neceſſariam illis fuiſſe fidem explicitam Chriſti, & Trinitatis. Ad ſecundum verò dico, quod loquendo de antiquis fidelibus legis naturæ, fides implicita Chriſti continebatur in fide explicita huius quod eſt Deum eſse *remuneratorem*, quod eſt obiectum ſupernaturale, vt diximus. In eo enim continebatur fides implicita Chriſti, quia in eo continebatur fides prouidentiæ Dei, & in fide prouidentiæ Dei includuntur implicitè illa omnia, quæ in tempore diſpenſantur à Deo ad ſalutem hominum, vt docet Sanctus Thomas ſupra quæſt. prima art. 7. & ibi continebatur fides Incarnationis Chriſti, quæ eſt pręcipua cauſa noſtræ ſalutis. Loquendo autem de fidelibus legis ſcriptę, ſeu Moſaicæ, quia lex illa erat perfectior quam lex naturæ, ideo credebant explicitè vnum mediatorem Dei, & hominum, Meſsiam, in quo implicitè continetur Chriſtus, qui erat futurus talis mediator, & Meſsias, ac proinde myſterium Incarnationis. Legendi Valentia, Suarez, Sanchez, & Coninck: & notandum hoc ſolum debere intelligi de vulgaribus hominibus, etenim peritiores, ſanctiores, & inſigniores, tam legis naturæ, quam ſcriptæ, ſine dubio magis explicitam cognitionem de Chriſto habebant, vt dictum eſt. Quid verò dicendum de Angelis, & hominibus in ſtatu Innocentiæ, primo Tomo diximus.

Difficultas. His iam poſitis, ſolum reſtat grauis difficultas de tempore legis Euangelicæ, & poſt illius promulgationem, an ſcilicet ſit neceſsaria fides explicita Chriſti, & per conſequens, vt dictum manet, myſterij Trinitatis, neceſsitate videlicet medij, taliter, vt nullo modo ab ea excuſari poſsimus. Prima enim ſententia vniuerſaliter affirmat. Pro qua referuntur Bonauentura, Alenſis, Gabriel, Scotus, & Durandus; & ex recentioribus Molina, Valentia, Lorca, Peſantius, Tannerus, Caſpẽſis, & alij. Probatur hæc ſententia plurimis teſtimonijs Sacræ Scripturæ: & primò ex illis, in quibus fides Chriſti exigitur ad ſalutem, ſicut fides Dei, Ioan. 14. *Creditis in Deum, & in me credite*: & cap. 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcat te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*. Secundò, ex illis, in quibus fides Chriſti exigitur tanquam fundamentum, & radix ſalutis, Marci 16. *Prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit*. Actorum 16. *Crede in Dominum Ieſum, & ſaluus eris*. Et cap. 26. *vt accipiant remiſſionem peccatorum*, & 1. Corinth. 3. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus*. Tertio, ex illis, in quibus excluduntur à ſalute, qui non habuerint fidem Chriſti. Marci 16 *Qui non crediderit, condemnabitur*, Ioann. 3. *Qui non credit in filium Dei iam iudicatus eſt*. Idem conſtat ex comparatione illa Chriſti Ioann. 3. ad ſerpentem æneum: quemadmodum enim neceſsarium erat morſis à ſerpentibus in deſerto aſpicere illum; pariter etiam neceſsarium ſit morſis à ſerpente peccati originalis aſpicere Chriſtum per fidem ad ſalutem, Et quod Chriſtus Dominus appelletur in Euangelio *via*, & *oſtium*, eo ſcilicet, quod neceſsarium ſit intranti in cęlum ire per ipſum. Probatur ſecundo hęc ſententia ex auctoritate Eccleſiæ nam in cap *firmiter de Summa Trinitate*, dicitur, quod *extra Eccleſiam non eſt ſalus, ſicut nec extra arcam in diluuio quiſquam fuit ſaluus*: ex quo ſic arguitur ad intentum: qui non habet fidem explicitam Chriſti eſt extra Eccleſiam, ergo non eſt illi ſalus. Deinde ex Patribus, ſpecialiter Ireneo, Iuſtino, Cyrillo, Ambroſio, Hieronymo, Gregorio, & maximè ex Auguſtino pluribus in locis. Quartò, rationibus; prima eſt, quia non eſt minus neceſsaria fides Chriſti explicita adultis, quam Baptiſmus paruulis tempore legis Euangelicę: ſed niſi per Baptiſmum in re ſuſceptum ſalus paruulorum nequit eſſe, ergo, nec ſine fide Chriſti explicita ſalus adultorum. Confirmatur, quia paruulis neceſsaria eſt fides Chriſti per Baptiſmum, ergo, & adultis neceſsaria erit eadem fides explicita; alias minor fides exigetur ab adultis quã à paruulis. Secunda eſt, quia tempore legis Euangelicę requiritur fides Chriſti aliter quam in lege naturę, aut ſcriptę: ſed tunc ſufficiebat fides implicita Chriſti; ergo modo eſt neceſsaria explicita. Tertia, quaſi à priori, quia nemo ſaluatur, nec poteſt ſaluari ſine iuſtificatione, ſed Deus non dat auxilia efficacia ad iuſtificationem, niſi habentibus fidem explicitam Chriſti; ergo, hæc eſt neceſsaria, probatur minor ex illo Ioann. 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius*; ergo eis, qui non credunt

in no-

in nomine eius non dedit talem potestatem, idest auxilium, vt possint esse filij Dei. Denique, quia nullus Catholicus audebit cõcedere hoc tempore aliquem saluari, qui non sit Christianus; sed nemo est Christianus nisi per fidem explicitam Christi; ergo illa est necessaria. Confirmatur, quia alias Iudæus, etiam si habeat plures errores contra fidem, posset saluari, si haberet fidem Christi implicitam.

Secunda sententia. Secunda sententia media affirmat fidē explicitam Christi esse necessariam necessitate medij ad salutem consummatā, scilicet beatitudinem; non tamen ad salutem inchoatam, scilicet iustificationem. Ita Canus, Bañez. Aragon. & alij. Prima pars probatur argumentis primæ sententię, & secunda argumentis tertię, de qua postea: vtraque verò exemplo de Cornelio, qui Act. 10. dicitur: *Vir religiosus, ac timens Deum*, & per consequēs, iustus; & tamen, quia habebat solum modo fidem Christi implicitam, vt docet Sanctus Thomas infra quæst 10. artic. 4. ad tertium, missus est ad illum Petrus, fine dubio, vt haberet explicitam, ad hoc, vt saluari posset. Vnde Diuus Augustinus *de prædestinatione Sanctorum cap. 7.* ponderans, quod oraret, quia ibidem dicitur: *Deprecans Deum semper*, inquit: *nec tamen sine aliqua fide orabat, nam quomodo inuocaret in quem non crediderat? sed si posset sine fide Christi esse saluus non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apostolus Petrus*. Idem argumentum fieri potest de Eunucho Reginę Candacis, & de Lydia, de quibus dicitur in Actibus Apostolorum fuisse *timentes Deum* antequam acciperent fidem explicitam Christi: vnde videtur sequi solum implicitam sufficere ad iustificationem: ad Beatitudinem verò requiri explicitam.

Tertia. Tertia sententia docet, tam ad iustificationem, quam ad vitam æternam sufficere fidem implicitam Christi, etiam hoc tempore. Ita Michael de Medina, Vega, Zumel, Suarez, Turrianus, Hurtadus, Domin. Lugo, Serra, & tenuit Ludouicus Montesinus Complutēsis Magister meus, & credo probabiliorem, iatellectam tamen cum aliqua limitatione, scilicet, respectu eorum, qui hoc tempore habent ignorantiam inuincibilem Christi.

Conclus. tertia. Dico ergo tertio in hac quæstione contra secundam sententiam, fides Christi eodem modo requiritur ad iustificationem, & ad vitam æternam: ita quod si fides implicita sufficit ad iustificationem, sufficit etiam ad vitam æternam. Ita Auctores primæ, & tertiæ sententiæ. Colligitur primò ex testimonijs Sacræ Scripturæ, Concilijs, & Patribus; dum enim loquuntur de fidei necessitate ad salutem, nunquam distinguunt de salute huius vitę, vel de salute æterna. Secundò, quia, vt quis possit beatitudinem consequi, satis est si habeat ius ad illam pergratium, & filiationem adoptiuam, iuxta illud ad Romanos 8. *Quod si filius, & hæres*. Sed ad hoc, vt quis habeat ius ad beatitudinem per gratiam, sufficit, vt aduersarij fatentur, fides implicita Christi; non ergo requiritur alia fides ad beatitudinem. Confirmatur, quia gratia ipsa affert semper ius ad gloriam; est enim *semen gloriæ*: ergo ea solum requiruntur ad gloriam, quæ requiruntur ad gratiam. Deinde nam propterea reijcitur vt vanum dogma Pelagianorum affirmantium Baptismum requiri pro paruulis, vt ingrediantur Regnum Cælorum, non verò vt iustificentur, quia vt optimè inquit Sanct. Thom. 4. *contra gent. cap.* 50. absurdum, & contra Ecclesiasticam traditionem est aliquid amplius requirere, vt quis ingrediatur in Regnum Cęlorum, quam vt habeat gratiam.

Quarta. Dico quartò, hoc tempore post promulgationem Euangelij, est necessaria fides Christi explicita necessitate medii ad salutem, iis, quibus est expressè, & explicitè proposita, & prædicata. Hanc cõclusionem admittunt Auctores primæ sententiæ. Pro quo videndi ex nostris Philippus à Sanctissima Trinitate Tom 3. disput. 4. dub. 5. & Vrbanus ab Ascensione in Theologia moral. Tract. 1. cap. 19. Et probatur ex fundamentis pro ea adductis. Secundò, quia ex eo omni tempore fuit necessarium explicitè credere *Deum esse, & remuneratorem esse*, quia hoc erat omnibus explicitè propositum: pariter ergo in lege Euangelica illis, quibus fuerit propositus Christus explicitè, erit necessaria fides explicita ipsius. Ratio etiam à priori huius reddi potest, ex voluntate, & ordinatione diuina, qua voluit neminem saluari, nisi per fidem explicitam Christi; si illi fuerit explicitè proposita; huiusmodi autem voluntas, & ordinatio diuina colligitur satis ex prædictis fundamentis.

Quinta. Dico quintò, habentibus tamen ignorantiam inuincibilem Incarnationis Christi etiam hoc tempore post promulgationem Euangelii non est necessaria necessitate medii fides explicita Christi, sed sufficit implicita. Hanc conclusionem statuo cum Auctoribus tertiæ sententię; quia re vera est magis pia, & conformior Diuinæ misericordiæ, & bonitati Probatur etiam rationibus. Prima est, quia, vt constat ex dictis, ante Euangelii prædicationem sufficiebat ad salutem fides implicita Christi, iis, quibus explicitè non erat propo-

propoſita: cum ergo in lege Euangelica remedium ad ſalutem non ſit difficilius, ſufficit etiam eadem fides implicita, ijs, quibus non eſt explicitè manifeſta. Secunda, quia re vera homini habenti ignorãtiam inuincibilem Chriſti, habenti tamẽ fidem implicitam alicuius obiecti ſupernaturalis, v. g. *Deum eſſe*, & *remuneratorem eſſe*, in quo continetur implicitè fides Chriſti, non eſt impoſſibilis ſalus: ergo poſſibilis: poterit ergo cum tali fide, accedente etiam charitate iuſtificari, & ſaluari. Si dicas, ſaluari poſſe, quia Deus prouidebit illi Prædicatorem Euangelij, & Chriſti, ſicut prouidit Cornelio. Contra hoc eſt, quia etſi verum hoc ſit, tamen dum Deus non prouidet poterit iuſtificari; ſicut Cornelius, qui antequam ad illum mitteretur Petrus, erat iuſtus. Rurſus ſi iuſtificari poterit; ergo etiã ſaluari, ſi in illo ſtatu moreretur: quia proſus abſurdũ eſt quod homo exiſtẽs in gratia, ſi in eo ſtatu moriatur nõ ſaluetur. Tertia, quia ex eo diximus neceſſariam eſſe ad ſalutem fidẽ de obiecto ſupernaturali, quia ſine illa nemo poteſt iuſtificari: ſed cum fide implicita Chriſti inclusa in aliquo obiecto ſupernaturali, illo ſcilicet, quod requirit Paulus, videl cet, *credere Deum eſſe*, & *remuneratorem eſſe* poteſt homo iuſtificari; ergo & ſaluari. Probatur minor, quia ex illa fide ſupernaturali poteſt excitari ad amorem Dei, & deteſtationem peccatorum: cum enim ſit cognitio Dei finis ſupernaturalis, & vt eſt ſummum bonum in ſe, quid prohibet quominus diligat Deum, vt eſt tale ſummum bonum, & propter ipſum deteſtetur peccatum? Confirmatur primò, quia Cathecumenus ſine fide explicita, ſolum cum implicita, ſimul cum attritione ſupernaturali poteſt baptizari; ergo iuſtificari, & ſaluari. Conſequentia eſt certa, quia per Baptiſmum iuſtificatur homo. Antecedens verò probatur, quia talis Cathecumenus habens ſolam fidem implicitam poteſt verſari in periculo mortis, itaut non ſit tempus inſtruendi illum de fide explicita; imo etiã ſi ſit tempus inſtructionis, poteſt illum baptizare aliquis, qui ignorauerit myſteriũ Incarnationis, vt ſi baptizans ſit Ethnicus, aut Mahumetanus. Quid ergo prohibet quominus talis homo baptizatur, atque ita ſit iuſtus ſolum per fidem implicitam Chriſti? Confirmatur vrgentius, ſupponendo, talem hominem obligari præcepto ſupernaturali Charitatis priuſquam proponatur illi fides explicita Chriſti. Cum enim per fidem implicitam cognoſceret Deum vt ſummum bonum, obligatus eſſet ad diligendum illum, vel pro primo inſtanti vſus rationis, vt ſententia plurium eſt cum S. Thom. 1. 2. quæſt. 89. artic. 6. vel ſaltem pro tempore, quo eſt periculum mortis, quod euenire poterat homini in illo ſtatu. Tunc ſic, in hoc caſu obligaretur iſte homo habens fidem ſolum implicitam Chriſti præcepto dilectionis; ergo poſſet diligere Deum, ac per conſequens iuſtificari: probatur prima conſequentia, quia abſurdum eſt aſſerere, quod nõ poſſit iſte adimplere præceptum, ad quod obligatur; ſi enim obligatur ad illud, neceſſario dicendum eſt poſſe illud adimplere, alias non obligaretur: quemadmodum ante aduentum Chriſti habentes fidem implicitam ipſius, non ſolum obligarentur præcepto Charitatis, ſed etiam poterant illud adimplere. Secunda verò, quia actus charitatis eſt vltima diſpoſitio, ad quam infallibiliter ſequitur gratia iuſtificans.

Obiectio

Sed obijci poteſt contra dicta, ex his quæ in ſuperioribus diximus, ſcilicet, in eo diſtingui id, quod eſt neceſſarium neceſſitate medij ab eo, quod eſt neceſſarium neceſſitate præcepti, quia iſtud excuſari poteſt propter ignorantiam, non illud: ſi ergo fides explicita Chriſti eſt neceſſaria neceſſitate medij, vt diximus in quarta concluſione, non excuſabitur homo ab illa: atque ita etiam habentibus ignorantiam inuincibilem Chriſti, erit etiam neceſſaria, quod eſt contra quintã. Reſponderur tamen inter ea, quæ ſunt neceſſitate medij, alia eſſe, quæ abſolutè, & ſine vlla limitatione ſunt neceſſaria, vt baptiſmus reſpectu paruulorum; alia verò ſunt neceſſaria neceſſitate medij non ita abſolutè, & ſine reſtrictione, ſed cum aliquibus circumſtantijs; quemadmodum eſt neceſſaria pœnitentia formalis ad remiſſionem peccatorum mortalium, niſi ſit obliuio naturalis, aut non ſit locus cogitandi de peccatis: tunc enim ſufficit pœnitentia virtualis, ſcilicet actus charitatis. Hoc ergo ſecundo modo fides explicita Chriſti eſt neceſſaria neceſſitate medii, non quidem abſolutè, ſed tantum illis, quibus fuerit propoſita explicitè. Niſi velis dicere, ſecundo, quod quemadmodum aliqua Sacramenta ſunt neceſſaria neceſſitate medii, ita tamen, vt hæc neceſſitas ſuppleri poſsit per votum illorum, quando non poſſunt in re haberi, ita ſimiliter fides explicita Chriſti ſit neceſſaria ex vi ſuę inſtitutionis neceſſitate medii, ita tamen, vt in aliquo caſu, ſcilicet in caſu quæſtionis, poſsit ſuppleri per fidem implicitam, quæ eſt quaſi votum illius.

Solutio argumẽt

His iam poſitis, facile iam eſt ſatisfacere argumentis contrariis; etenim quæ allata ſunt pro prima ſententia in primo, & tertio argumento ex locis Sacræ Scripturæ, & PP. vnico fermè verbo ſoluuntur, iuxta

iuxta doctrinam superius traditam, vt videlicet intelligantur de fide implicita Christi, vel de fide explicita, pro casu videlicet quo fuerit expressè proposita, seu prædicata. Cum enim iuxta doctrinam Apostoli ad Roman. 10. *Fides sit ex auditu, auditus autem per verbum Christi*, id est, per prædicationem, de qua antea dixerat, *quomodo audient sine prædicante?* rectè sequitur, fidem Christi esse necessariam vt medium ad salutem, iuxta modum quo fuerit prædicata, siue proposita, itaut si explicitè fuerit proposita, seu prædicata, requiratur fides explicita ipsius; si autem solum implicitè, & in confuso, sufficiat implicita. Ad secundum ex testimonio Ecclesiæ *cap. firmiter*, dico ex communi doctrina Theologorum, dupliciter aliquos posse esse intra Ecclesiam vno modo *secundum numerum*, alio modo secundum *meritum*: priores sunt illi, qui sunt baptizati; per Baptismum namque signatur, & numeratur homo intra membra Ecclesiæ: posteriores verò sunt illi, qui habent fidem Christi, etiãsi actualiter Baptismum non receperint, cuiusmodi sunt Catechumeni; eo quod per fidem constituitur quis membrum Ecclesiæ. Quo posito, dico ad argumentum: verum esse extra Ecclesiam nullo modo esse salutem; tamen ille, qui habet fidem implicitam Christi, dicẽdus est esse intra Ecclesiam *secundum meritum* licet non *secundum numerum*.

Rationũ. Ad rationes respondendo, ad primam nego maiorem, quia cum paruuli nequeãt habere aliquem actum, per quem suppleatur Baptismus, ideo pro illis requiritur ad salutem Baptismus in re susceptus; adultus autem, cum possit habere actum fidei supernaturalis, in quo implicitè cõtinetur fides Christi, ideo in casu quo habuerit ignorantiam Christi, sufficit fides implicita illius. Ad confirmationem verò concesso antecedenti, nego consequẽtiam, & ad illius probationem dico, maiorem fidem requiri pro adultis, quam pro paruulis: tum quia regulariter, & per se loquendo, nisi adsit ignorantia, requiritur pro adultis fides Christi explicita, & elicita per proprium actum; pro paruulis autem sufficit susceptio actualis Baptismi: tum etiam, quia adhuc pro casu ignorantiæ inuincibilis requiritur pro adultis fides explicita, & per proprium actum alicuius obiecti supernaturalis, in quo cõtinetur implicitè fides Christi, quod non requiritur pro paruulis. Ad secundam rationem facilis est solutio; concessa enim maiori, & minori nego consequentiàm, & ratio est clara, quia tempore legis Euangelicæ regulariter, & quantum est ex se requiritur fides explicita Christi, vt dictum est. Licet in casu ignorantiæ inuincibilis sufficiat implicita; cæterum ante aduentum Christi non requirebatur regulariter, & vt in plurimum fides explicita illius, sed solum tempore legis naturæ fides explicita huius, quod est, *Deum esse & remuneratorem esse*: & tempore legis scriptæ fides vnius *mediatoris Dei, & hominum*: Dixi regulariter, & vt in plurimum, quia illis, quibus reuelatus erat Christus, etiam ante aduentum ipsius necessaria erit fides explicita illius. Addendum etiam est maioris claritatis gratia, quod quemadmodum tempore legis scriptæ regulariter requirebatur ad salutem fides explicita vnius mediatoris, ita tamen, quod si aliquis haberet ignorantiam ipsius posset saluari per fidem huius obiecti, quod est Deum esse, & remuneratorem esse; sic etiam tempore Euangelii, licet regulariter, vt diximus; requiratur talis fides explicita Christi; habenti tamen ignorantiam inuincibilem illius sufficiet fides eiusdem obiecti, scilicet Deũ esse, & remuneratorem esse. Vnde patet solutio ad id, quod aliqui quærunt, scilicet quid sit necessarium credere explicitè illi, qui ignorantiam inuincibilem Christi hoc tempore habet. Respondeo enim: quod si aliqua mysteria sunt illi proposita, illa tenetur credere explicitè; sin autem ad minus tenetur credere Deum esse, & remuneratorem supernaturalem esse, itaut sine fide ad minus huius obiecti saluari non possit, vt dictum est in superioribus.

Tertiæ. Ad tertiam, concessa maiori, nego minorem; prorsus enim voluntarium est dicere, Deum non dare auxilia ad iustificationem nisi solum habenti fidem explicitam Christi, maximè loquendo in casu ignorantiæ inuincibilis ipsius Christi, prout loquimur: imò oppositum est magis conforme diuinæ bonitati, qua *vult omnes saluos fieri*. Locus autem ille Ioannis primo explicari debet sicut alia loca, de quibus supra.

Quartæ. Ad quartam concessa maiori, dico ad minorem, quod quemadmodum dictum est supra, habens fidem Christi implicitã pertinet ad Ecclesiam quantum ad meritum, licet non quantum ad numerum; ita sic etiam dici potest Christianus quantum ad meritum, licet non quantum ad numerum, ille, cui deficit Baptismus, si habeat fidem Christi implicitam.

Confirmationis. Ad confirmationem autem respondeo cum distinctione, aut enim ille Iudæus haberet notitiam Christi, aut non; si primum saluari non potest sine fide explicita illius. Si verò dicatur secundum, quamuis hoc videatur fermè impossibile; præsertim loquẽdo de maioribus Iudæorum, dico, quod si iste haberet fidem implicitam Christi simul cum actu dilectionis Dei,

Dei, aut contritionis, iuſtificaretur, & ſaluaretur. Neque inde ſequitur ſaluari in ſuo Iudaiſmo, non enim ſaluaretur virtute Sacramentorum, & cœremoniarum veteris legis, ſed per gratiam Chriſti, & aliqualem fidem ipſius. Addo vlterius, quod qui ſemel habuerit fidem hanc ſupernaturalem, non erit multo tempore cum ignorantia Chriſti, quia ad prouidentiam Dei ſpectat, vt per modos ſibi placitos prædicetur illi Euangelium, ſicut prædicatum fuit Cornelio, & Eunucho Reginæ Candacis.

Solutio fundam. 2. ſentent.

Solum ad fundamentum ſecundæ ſententiæ reſtat reſpondere; conſiſtit autem in eo difficultas illius, quod verè Cornelius erat iuſtus, & ſanctus, antequã à Petro inſtrueretur de fide Chriſti, & tamen, iuxta mentem Auguſtini, indiguit tali inſtructione; ex hoc enim videtur inferri, quod quamuis ad ſalutem huius vitæ ſufficiat fides implicita Chriſti; tamen ad ſalutem alterius, ſcilicet, beatitudinem, requiratur explicita. Et primo quidem ab hac difficultate facilè ſe expediret aliqui negantes illũ Cornelium fuiſſe verè iuſtũ antequam ad Petrum accederet, ſolumque fuiſſe iuſtum iuſtitia morali per obſeruantiam legis naturæ. Quæ quidem ſolutio videtur eſſe iuxta mentem Chriſoſtomi, Baſilij, & aliorum. Verumtamen, verior, & communior eſt oppoſita ſententia affirmans eum fuiſſe verè iuſtũ antea. Sic enim tenent plures Scholaſtici cum Magiſtro, Theologi cum Sancto Thom. infra quæſtio. 10. articulo 4. ad 3. conformiter ad textum cap. 10. Actuum Apoſtolorum, vbi vocatur *religioſus*, *iuſtus*, & *timens Deum*, qui tituli in Sacra Scriptura ſolum tribui ſolent veris iuſtis. Sed hic intrat difficultas ſuprapoſita. Si enim erat iuſtus, ad quid miſſus eſt ad illum Petrus? Reſpondet Sanct. Thomas, miſſum fuiſſe ad illum, vt plenius inſtrueretur in fide. Si autem vrgeas, ſi erat fidelis, & iuſtus, ad quid indigebat maiori inſtructione in fide? Reſpondeo, quod quemadmodum dictum eſt, quamuis habenti ignorantiam inuincibilem Chriſti, ſufficiat fides implicita illius, dum tamen non fuerit talis ignorantia, neceſſaria eſt fides explicita: quia ergo Euangelium iam promulgabatur, præſertim in ea parte Paleſtinæ, in qua morabatur Cornelius, & incipiebat ceſſare ignorantia inuincibilis Chriſti, & neceſſaria eſſe fides explicita illius, tum neceſſitate medij, tum præcepti, ideo miſſus eſt Apoſtolus ad eũ: & hoc eſt quod Auguſtinus intendit loco adducto in argumento. Ad illud autem de Eunucho Reginæ Candacis, & de Lydia, reſpondeo, illos non fuiſſe iuſtos; antequam acciperent fidem ab Apoſtolis, quamuis appellentur *timentes Deum*: vel ſi erant iuſti per fidem implicitam Chriſti, quia iam diuulgabatur Euangelium, tenebantur habere fidem explicitam: & ideo ad illos mittuntur Prædicatores. Conſule dicta Tom. 2. Tract. 6. de legibus diſp. 5. quæſt: 4.

Quæſtio ſeptima.

Quæ ſint neceſſario credenda neceſſitate præcepti.

Suppoſitum.

SVppono in primis, ea omnia, quæ in ſuperioribus diximus eſſe neceſſaria, ſeu neceſſario credenda neceſſitate medij, eſſe etiam neceſſario credenda neceſſitate præcepti. Ratio eſt, quia ea, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medij, etiam ſunt neceſſaria neceſſitate præcepti, quando videlicet ſunt in noſtra poteſtate, prout eſt actus fidei. Difficultas ergo quæſtionis eſt de alijs, qua non ſunt neceſſario credenda neceſſitate medij, quæ nam ſcilicet ex his ſint credenda neceſſitate præcepti?

Duo gradus fidelium.

Et maioris claritatis gratia diſtinguẽdi ſunt duo gradus hominum fidelium, alij ſunt, & vocantur *maiores*, & alij *minores*: *maiores* ſunt illi, quibus incumbit munus docendi, & fidei defenſio, quales ſunt Epiſcopi, Prælati, Concionatores, Doctores: *minores* autem ſunt alij communes de plebe fidelium. Loquendo etiam de *maioribus* certum eſt, plura, & perfectius quam *minores* teneri credere: cum enim ipſi ſint, qui teneantur reddere rationem eius, *quæ in nobis eſt fidei*, & minores inſtruere, manifeſtum eſt obligari non ſolum ad hoc, quod perfectè calcent myſteria fidei, ſed etiam ad hoc, quod ſciant plura alia, quæ vulgares ignorant. Controuerſia ergo eſt de minoribus.

Prima conclusio

Et dico primò, omnes fideles, quicunque ſint, teneri explicitè credere articulos fidei, ſeu Symbolum Apoſtolorum. Ita communiter cum Sanct. Thom. quæſt. 2. artic. 5. Theologi, ſpeciatim Caſtrus, Valentia, Sayrus, Malderus, Azor, Suarez, Vaſquez, & Coninck, ac de noſtris Ioãnes Beetz de præcept. præcept. 1. expoſ. 1. cap. 7. & Vrbanus ab Aſcenſione in Theologia moral cap. 19. Probatur primò, ex conſuetudine Eccleſiæ, quæ ſemper fuit, vt priuſquam baptizentur adulti, per aliquos dies inſtruantur circa hæc myſteria; & pueri, qui baptizantur ante vſum rationis, curat Eccleſia, quod inſtruantur de ipſis quando perueniunt ad illum. Secundò, quia cum multa ſint in Eccleſia fide credenda, nulla ratio aſſignari poteſt, quare

te Apostoli composuerint Symbolum pro omnibus fidelibus, nisi quia existimauerint mysteria in Symbolo contenta esse necessario credenda illis.

Falsa sententia. Vnde patet omnino esse falsam sententiam quorundam iuristarum præsertim, asserentium, sufficere fidelibus minoribus credere explicitè vnum Deum, & cætera omnia implicitè, credendo id, quod credit Ecclesia. Primò, propter rationes adductas; secundò, quia negari non potest quin omnes fideles teneantur explicitè credere ea, quæ pertinent ad doctrinam Christianam, & Euangelicam: hæc autem præcipuè continẽtur in Symbolo, & articulis fidei. Tandem tertiò, quia auctoritate Summi Pontificis damnatus est ab Inquisitoribus Aragoniæ, quidam tenens prafatam sententiã. Et meritò sanè, quia eam *erroneam* censent Valentia, & Petrus de Ledesma: *hæreticam* verò Bañez, quibus Sanchez non resilit.

Cõclusio secunda. Dico secundo, præter articulos fidei, & mysteria Symboli, necessario etiam sunt credenda explicitè ab omnibus fidelibus ea mysteria, quæ solemni ritu, seu festiuitate ab Ecclesia celebrantur: qualia sunt, Circumcisionis, Epiphaniæ, Præsentationis, Aduentus Spiritus Sancti, &c. Ita Lorca, Coninck, & alij. Ratio porro est, quia ideo videtur hæc mysteria proponi ab Ecclesia solemniter, vt nullus eorum ignorantiam habere possit: signum ergo est velle obligare omnes ad fidem illorum. Etsi forsan hæc obligatio non sit sub mortali, vt aliqui putant.

Tertia. Dico tertiò, præter hæc omnia tenentur etiam credere explicitè omnes doctrinam Sacramentorum. Ita Caietanus, Siluester, Armilla, Angelus, Bañez, Ledesma, Sanchez, Coninck, & Castrus Palaus; & fauet ex nostris Vrbanus ab Ascẽsione supra. Ratio est, quia inter Sacramenta aliqua sunt necessaria vt medium, scilicet Baptismus, & Pœnitentia, lapsis in peccatum; alia verò, etsi non sint ita necessaria, sunt tamen vtilissima, vel omnibus fidelibus, vel saltem Communitati Ecclesiæ, & ex alia parte proponuntur communiter omnibus fidelibus, tam à Parochis, quam à Magistris, Concionatoribus, & Cathechismis, ergo fides illorum est necessaria necessitate præcepti.

Difficultates. Restant tamen aliquæ difficultates circa hoc præceptum. Prima est, quale nam sit, positiuum ne; vel naturale; Ecclesiasticum, vel Diuinum. Secunda est, quando, & pro quo tempore obliget. Et maioris claritatis gratia duplex præceptum distingui oportet, aliud est affirmatiuum, quod obligat ad credendum in aliquo determinato tempore, aliud verò negatiuum, quod obligat ad non discredendum, vel dissentiendum, semper. Et quidem loquendo de præcepto negatiuo, facile soluuntur prędictę difficultates; dico enim hoc præceptum esse naturale, & diuinum, obligans ex natura rei. Quamuis enim ex Dei voluntate dependeat esse aliquid credendum, quia ex ipsius libera voluntate pendet illud reuelare; posita tamen reuelatione, ex natura rei, oritur obligatio ad non discredendum rei reuelatę. Est enim hoc intrinsicè malum, & de genere illorum, quæ dicuntur prohibita quia mala. Similiter dico, tale præceptum obligare semper, & pro semper. Hęc enim est natura pręcepti negatiui, iuxta communem placitum DD. vt semper, & pro semper obliget. Difficultates ergo propositæ, solum procedunt de pręcepto affirmatiuo credendi.

Solutiones. Et ad primam dico, hoc pręceptũ credendi non esse merè Ecclesiasticum. Patet hoc, quia Ecclesia non potest pręcipere actus merè internos, quale est credere. Secundò, quia Ecclesia nullum pręceptum statuit credendi, sed tantum exposuit id, quod erat à Domino statutum. Deinde dico, hoc præceptum esse Diuinũ. Colligitur ex illo Ioann. 20. *Hæc scripta sunt vt credatis, & vt credentes vitam habeatis*. Est verò dubium an sit pręceptum diuinum positiuum, aut Diuinũ naturale. Et quamuis aliqui dicant esse diuinum positiuum: mihi tamen videtur dicendum, esse diuinum naturale. Et quidem loquendo de pręcepto credendi ea, quę sunt necessaria necessitate medij, euidens est hoc, quia ex natura rei tenetur aliquis ad id, quod est medium necessarium ad suam salutem. Loquendo verò de his, quę non sunt necessaria vt mediũ, id probo, quia quamuis reuelatio illorum proueniat ex mera voluntate Dei, posita tamen tali reuelatione, oritur obligatio ad assentiendum illis non solum ex voluntate ipsius Dei, sed etiam ex natura rei; quemadmodum enim, si homo fide dignus aliquid asserat ex natura rei tenemur illi assentiri, alias ipsi fieret iniuria: multo magis Deo dicenti, & reuelanti aliqua, ex natura rei tenemur credere, alias illi iniuriam faceremus. Non dico, quod teneamur semper esse In actu credendi, sed quod teneamur illi credere pro aliquo tempore. De quo est secunda difficultas proposita.

Alia. Ad quam omissis alijs, suppono pręceptum affirmatiuum fidei aliquando obligare *per accidens*, aliquando *per se*: dicitur obligare *per accidens*, quando non ratione sui, sed ratione alterius est necessarium, dicitur verò obligare *per se*, quando ex natura sua est necessarium.

Loquendo de obligatione per accidẽs, dico,

Digitized by Google

dico, multoties obligare præceptum fidei. Primò, quando obligat aliquod præceptum, quod ſine fide impleri non poteſt; vt ſi eſt habendus actus charitatis, vel contritionis, vel recipiendum aliquod ſacramentum, ad quod requiratur fides. Tunc enim per accidens obligat præceptum fidei. Similiter quando occurrit aliqua vehemens tentatio contra fidem, tũc enim etiam obligat per accidens præceptum fidei: eo quod talis tentatio vehemens non poſſit vinci ſine actu fidei contrario. Idem dico de alijs caſibus, in quibus aſſignari poteſt hæc obligatio per accidens. De quibus ex noſtris Vrbanus ab Aſcenſione in Theologia moral. Tract. cap. 10.

De oblig. per ſe.

Loquendo autem de obligatione *per ſe*, dico primò, non obligare hoc præceptum ſolum in articulo mortis. Non nego obligare etiam *per ſe* in hoc articulo: quia hoc exiſtimo certum; tum ex praxi, & vſu fidelium, qui omnes procurant in eo articulo habere actum fidei; tum etiam, quia tunc maximè oportet coniungi Deo per affectum fidei, & charitatis, propter ſecuritatem ſalutis æternæ. Dico ergo in concluſione hoc præceptum non obligare ſolum in articulo mortis. Ratio eſt, quia alia præcepta non obligant ſolum pro illo articulo. Secundò, quia cum fides ſit fundamentum totius ædificij ſpiritualis, & medio actu credendi poſſimus ſperare, & diligere Deum, prorſus incredibile videtur, ſolum in articulo mortis obligare per ſe. Vnde dico ſecundò, hoc præceptum fidei obligat *per ſe*, quando primum proponitur alicui perfectè ipſa fides, ſeu cum perfectè inſtruitur de illa. Siue hoc ſit, paulò poſt quam quis venit ad vſum rationis; ſiue cum quis iam adultus primo ad fidem conuertitur, & rectè de illa inſtruitur. Ita Azor, Valentia, Suarez, Sanchez, & alij paſſim; ac ex noſtris Vrbanus ab Aſcenſione ſupra. Ratio eſt primo, quia nullum tempus commodius aſſignari poteſt, quo obliget niſi tunc præſertim, quia, iuxta ſententiam Sanct. Thom. cum primùm homo venit ad vſum rationis tenetur ſe conuertere in Deum; de qua aliquid dixi 1o. præc. Tract. 5 diſp. 7. q. 2. & plura dicentur in Tract. de Spe, diſp 2. q. 5. & de charitate diſput. 4. quæſt. 6. Secundò, id etiam colligitur exemplo Angelorum, & primorum parentum, qui tenebantur credere myſteria fidei, quando primò conditi ſunt, eo quod pro tunc illis fuerint à Deo perfectè reuelata. Dico tertiò, præter caſus poſitos tenere etiam fideles repetere aliquoties fidei actum. Ita tenent plures Theologi: & probatur, quia incredibile videtur, quod homo, qui per 80. annos, imò in principio mundi per 700. & 800. vixerit, ſolum obligari per ſe ad habendum actum fidei in principio, & in fine vitæ. Addendum vltimo, non poſſe aſſignari regulam certam pro omnibus fidelibus, quando, & quibus occaſionibus hoc præceptum obliget, ſed relinquendũ eſt arbitrio timoratorum, & prudentum. Erit autem optimum conſilium pluries repetere Symbolum fidei, vel articulos, & alia, quæ creduntur; & ſimiliter credere myſteria eo die, quo celebrantur.

Corollar.

Ex dictis porrò infertur quemlibet, cum primo venit ad vſum rationis, teneri ex iure diuino procurare addiſcere ea quæ diximus eſſe neceſſario credenda. Ratio eſt, tum quia in illis continetur ſumma Euangelii, quam omnes tenentur ex iure diuino ſcire: propterea enim Chriſtus dixit Marc. vltimo: *Prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit, &c. ſaluus erit*: tum quia illorum cognitio eſt neceſſaria vt ſciant homines quid debeant facere, quid vitare, quid à Deo poſtulare, &c. Ita Summiſtæ *verbo ſcientia*, Bañez, Valentia, Sanchez, Coninck, Palaus, & alij. Apud quos etiam de maiori obligatione, quam habent Maiores in Eccleſia, ſcilicet Epiſcopi, & Prælati, ſeu Paſtores, ad ſciendum myſteria fidei; eo videlicet, quia ad eos ſpectat alios *exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt arguere*, iuxta Apoſtolum ad Tit. 1 ex Concil. Tridentin. *ſeſſ. 7. 22. cap. 2. de Reformat.*

Quæſtio octaua.

Qualiter, & quomodo actus fidei ſit meritorius.

Actus fidei meritorius.

QVod actus fidei poſſit eſſe meritorius certa veritas eſt definita ab Innocẽtio Papa contra Abailardum, referente D. Bernard. epiſt 194. & quia id certo colligitur ex eo Paul. ad Heb. 11. *Sancti per fidem vicerunt Regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones*: & ita tenent Theologi cum Sanct. Thom. hic quæſt. 2. art. 9. Ac colligitur ex iis quę adduximus Tom. 2. Tract. 7. diſp. 8. de merito. Maioris tamen claritatis gratia, notandum; quod in triplici ſtatu poteſt reperiri actus fidei in homine. Primò, in ſtatu gratiæ, & iuſtitiæ; ſecundò, in ſtatu peccati; tertiò, in inſtanti, quo iuſtificatur impius. De quibus ſigillatim dicendum.

Actus fidei ſtatus

Et quidam loquendo de actu fidei in primo ſtatu, certum eſt meritorium eſſe de condigno augumenti gratiæ, & gloriæ: eſt enim actus bonus, liber, & ſupernatu-

ralis, factus ab homine viatore, & in gratia existente, ac per consequens habens omnia quæ requiruntur, vt sit meritorius de condigno, iuxta dicta ea disputation. 8. q. 4. & sequentibus. Loquendo etiã de actu fidei in secundo statu, scilicet in statu peccati, certum est non esse meritorium de condigno vitæ æternæ. Ratio est, quia huiusmodi meritũ de condigno fundatur in amicitia merentis, vt dictum est in loco relato. Vtrum autem talis actus fidei sit meritorius, saltem de congruo, aut impetratorius gratiæ habitualis potest esse dubium. Ad quod respondeo consequenter ad dicta in ea disputatione quæst. 9. talem actum esse meritorium de congruo, seu impetratorium gratiæ habitualis, non quidem congruentia se tenente ex parte personæ merentis; cum illa sit in peccato; sed congruentia se tenẽte ex parte actus, quatenus est supernaturalis, & ciusdem ordinis cum ipsa gratia habituali.

Difficult. Solum ergo est difficultas de actu fidei pro eo instanti, quo homo iustificatur. Ad quam, consequenter ad ea, quæ in simili diximus loco relato, loquendo de actu contritionis. Dico primò, quod si talis actus fidei continuetur post instans iustificationis, toto illo tempore post tale instans erit meritorius de condigno augmenti gratiæ, & gloriæ. Quia pro tunc habet conditiones requisitas ad rationem meriti de condigno. Si verò loquamur de ipso, quatenus est simul cum iustificatione in instanti illius, distinguenda sunt duo instantia naturę in illo; primum est, quo consideratur secundum suam substantiam & vt prior, & dispositio remota ad gratiam, & vt sic non est meritorius de condigno, quia meritum de condigno præsupponere debet gratiam iustificantem in merente. Secundò, potest considerari idem actus, vt iam est informatus per gratiam iustificantem, & vt sic dico esse meritorium de condigno. Ratio est, quia vt sic talis actus est liber. bonus, supernaturalis, & opus amici, nihil ergo illi obest quo minus habeat rationem talis meriti.

Alia maior. Maior difficultas est in eo, quod tangit Sanctus Thomas *artic.* 10. scilicet, an rationes inductiuę ad fidem diminuant meritum illius. Respondet Sanctus Thomas sub distinctione. Quod si sint antecedẽtes minuunt illud, si verò sint consequentes non minuunt. Vocantur autem à Sancto Thoma rationes antecedentes, illæ, quæ antecedunt piam affectionem voluntatis requisitam ad credendum: consequentes verò illæ, quę sequuntur ad hanc voluntatem. Vt enim inquit, cum homo habet promptam voluntatem ad credendum, diligit veritatem creditam; & excogitat de rationibus, quę illum inducere possint ad credendum.

Difficult. Sed contra vtrumque dictum S. Thomę est difficultas. Contra primum quidẽ: quia illud quod requiritur ad rectè, prudenterque credendum non potest minuere meritum fidei, sicut quod requiritur ad actũ temperantię prudenter faciendum non potest minuere meritum illius: sed rationes, aut argumenta antecedentia, quæ sunt motiua nostrę fidei, sunt requisita ad rectè, prudenterque credendum, nã nolle credere nisi adsint talia motiua, est actus prudentię: credere autem sine illis est leuitas animi: ergo tales rationes non possunt minuere meritum fidei. Contra secundum verò etiam est difficultas, quia tales rationes consequentes, licet non tollant obscuritatem fidei; aliqualiter tamen tollunt difficultatem, quæ est in credendo, ergo minuunt meritum fidei.

Resolutio S. Th. Nihilominus vera est resolutio S. Thomæ. Et ratio est, quia qui credit propter rationes antecedentes fidem, non credit ita perfectè sicut oportet, quia fides debet inniti solum primę veritati: qui verò credit propter rationes consequentes, cum illę sint volitæ, & procuratę ex voluntate credendi, præsupponunt affectum pium credendi: ergo priores minuunt meritum, non verò posteriores.

Respõsio Quare ad obiectiones respondeo, & ad primam dico, quod dupliciter possunt cõsiderari rationes antecedentes, seu motiua fidei; vno modo taliter, quod propter ipsas, & non solum propter diuinam authoritatem assentiatur aliquis reuelatis à Deo, sed partim propter ipsas, & partim propter diuinum testimonium: alio modo taliter, quod etsi solum assentiatur quis reuelatis a Deo propter diuinum testimonium, nihilominus illę rationes, & motiua deseruiunt illi vt persuadeatur esse prudenter credibile id, quod à Deo est reuelatum: in primo sensu erit intelligenda doctrina Sancti Thomę, non verò in secundo, vt probat obiectio. Ad secundã verò respondeo primo, quod licet per rationes consequentes tollatur, seu minuatur aliqualiter difficultas credendi; quia tamen oriuntur illę ex maiori affectu ac credendum, ideo non minuunt meritum. Vel secundo dico, quod quamuis minuãt difficultatem credendi ex parte subiecti, non tamen minuunt difficultatem ex parte obiecti, & ideo non minuunt meritum sicut qui ieiunat, aut facit aliquod opus bonum ex habitu, seu consuetudine, quãuis ille sit facilior ex parte subiecti, nihilominus quia ex parte obiecti actus meritorii manet eadem difficultas, ideo non est minus meritorius iste actus ex habitu, quam sine illo. Vide Bañez, Aragonium, & Tannerum.

An

An actus fidei poſſit vitiari, aut eſſe malus ex aliqua praua circunſtantia, dicetur infra diſput. 6. quæſt. 6.

DISPVTATIO IV.

De actu exteriori fidei.

Quæſtio prima.

An exterior fidei confeſsio ſit actus virtutis fidei.

Rationes dubitandi

VIdetur, quod non, primò, quia neque eſt actus elicitus à fide; neque imperatus: ergo, &c. Antecedens probatur quoad primam partem, quia ille ſolum actus elicitur ab aliquo habitu, qui eſt in eadem potentia, ac ille: impoſſibile namq; eſt, quod habitus exiſtens in vna potentia eliciat actum in alia; ſed fides eſt in intellectu; ergo ſolum eſt elicitiua actus interioris credendi, qui ſimiliter eſt in intellectu, & non confeſſionis fidei, quæ eſt, vel in lingua, vel in aliquo ſigno externo elicito à potentia aliqua executiua. Quod verò non ſit imperatus probatur; quia actus virtutis, qui eſt imperatus ab vna potentia eſt elicitus ab alia virtute; ſicut actus fortitudinis, qui eſt imperatus à charitate eſt elicitus à fortitudine: ſed confeſſio fidei, maximè ſi fiat ſolum ex motiuo manifeſtandi fidem interiorem non elicitur ab alia virtute, quam à fide: ergo. Secundò, quia fides conſumatur interius; ergo non habet vllum actum exteriorem. Tertiò, quia exiſtenti actu interiori alicuius virtutis, maxime efficaci, etiam eſt actus exterior illius, quando, & vbi oportet, niſi adſit aliquod impedimentum: vt patet in actibus iuſtitiæ, & aliarum virtutum; ſed quamuis habeat aliquis actum interiorem fidei poteſt non habere confeſſionem externam; etiam quando, & vbi oportet: vt patet in ijs, qui propter metum negant fidem, quam habent internam: non ergo confeſſio externa eſt actus fidei.

Concluſ.

Sed veritas eſt, confeſsionem externam fidei eſſe actum illius. Ita Sanct. Thomas quæſt. 3. art. 1. & cæteri Theologi. Ratio eſt, quia ille dicitur actus externus alicuius virtutis, qui ex natura ſua ordinatur ad finem ipſius; vt patet in actibus externis temperantiæ, iuſtitiæ, & aliarum virtutum, quæ ideo dicuntur ad illas pertinere, quia ex natura ſua ad finem illarum ſunt ordinati; ſed externa confeſſio fidei ordinatur ex natura ſua ad manifeſtãdum finem fidei, qui eſt credibilitas myſteriorum fidei propter primam veritatem reuelantem; ſicut locutio exterior ordinatur ad manifeſtandum conceptum internum rei dictæ; vnde idcirco Apoſtolus 2. Corinth. 4. dixit: *Habentes eundem ſpiritum fidei credimus, propter quod & loquimur*: ergo eſt actus exterior fidei. Confirmatur, quia negari non poteſt quin externa confeſſio fidei non ſolum ſit actus bonus, & honeſtus, iuxta illud ad Romanos 10. *Ore autem confeſſio fit ad ſalutem*; ſed etiã habeat honeſtatem virtutis fidei: propterea enim Apoſtolus eo loco, coniunxit cõfeſſionem externam cum interno aſſenſu fidei dicens *corde creditur ad iuſtitiam*, *ore autem* &c. generaliter loquendo, quia actus habens honeſtatem alicuius virtutis pertinet ad illam, vt patet ex dictis Tomo præcedenti in Tractatu *de habitibus*, *& virtutibus*: ergo etiam confeſſio externa fidei pertinebit ad ipſam fidem.

Solutio 1 rat. dubit.

Prima autem ratio dubitandi petit dubium, an ſit actus elicitus ab illa, an verò ſolu imperatus. Etenim aliqui Theologi vocant eum actum *imperatum*, alij verò *elicitum*, prout tenent Bañez, Aragonius, Vaſquez, ac ex noſtris Philippus à Sanctiſſima Trinitate Tom. 3. diſput. 4. dub. 8 Cæterum dicendum eſt cum Valentia, Monteſino, & alijs; quod actus iſte confeſſionis fidei poſſit conſiderari dupliciter; vno modo phyſicè, ſcilicet ſecundũ ſuam entitatem; alio modo moraliter, quatenus videlicet habet bonitatem, & honeſtatem virtutis fidei. Si primo modo conſideretur, dicendum eſt non eſſe actum elicitum, ſed imperatum à fide: propter adducta in ratione dubitãdi; quia ſcilicet virtus ſolum poteſt eſſe principiũ phyſicum actus exiſtentis in eadem potẽtia, in qua ipſa eſt, confeſſio autem fidei non eſt in intellectu, vbi reſidet fides. Vnde ſecundum hanc phyſicam conſiderationẽ tantum dicetur imperata à fide: quemadmodum generaliter actus potentiæ executiuæ dicitur imperatus, vel à voluntate, vel à virtutibus in anima exiſtentibus. Neque contra hoc obſtat id, quod dicitur in argumento, videlicet, quod actus imperatus ab vna virtute debet eſſe elicitus ab alia: hoc enim non intelligitur de actu externo, ſed de interno; & moraliter, vt iam dicam. Loquendo autem ſecundo modo, ſcilicet moraliter, dici poteſt confeſſio fidei elicita ab ipſa fide. Quia moraliter loquendo, actus aliquis dicitur elicitus ab ea virtute, ad cuius obiectum, vel finem per ſe, & ex natura ſua ordinatur; confeſsio autem fidei, vt dictum

Digitized by Google

ctum est, ad obiectum, & finem ipsius fidei.

Secundę. Ad secundam respondeo notando, in hoc distingui fidem, spem, & charitatem ex vna parte; atque virtutes morales ex alia; quod illæ cum habeant pro obiecto Deum, & non aliquem actum exteriorē, dicuntur consumari interius; quia sunt perfectæ in ratione virtutum ante omnem actum externum. Istæ verò, cum habeant pro obiecto actum ipsum exteriorem dicuntur consumari exterius; eo quod non sunt perfectæ in ratione virtutum, nisi habeant illum: non enim est perfecta tēperātia nisi adsit moderatio in cibo, potu, &c. neque perfecta fortitudo si non adsit aggressio periculi, &c. Quo posito ad rationem dubitandi concesso antecedenti nego consequentiam. Ex eo enim, quod fides consumatur interius solum sequitur, quod non habeat actum exteriorem tanquam vltimum complementum, obiectū, & finem sui; non vero, quod non habeat ipsum tanquam signum manifestativum illius. Quo modo confessio fidei est actus externus virtutis fidei, & beneficientia, ac alij actus charitatis.

Tertiæ. Ad tertiam dico, maiorem solum esse veram loquendo de illis virtutibus, quæ consumantur exterius, non de illis, quæ interius consumantur: qualis est fides: hæc enim quantumuis habeat actum externum potest tamen esse sine illo, etiam, quando, & vbi oportet, ex eo quod, cum non consumetur in ipso, potest esse perfecta sine illo; vt in exemplo posito in argumento.

Notandū Aduertendum tamen in hac quæstione, quod cum dicimus externam confessionem fidei esse actum huius virtutis, non negamus quin etiam possit esse actus aliarum: charitatis quidem, si fiat propter finem charitatis, scilicet Dei bonitatem; Religionis, si propter cultum ipsius; fortitudinis si fiat cum aggressione alicuius periculi &c. solum ergo dicitur actus virtutis fidei, quia ex se, & natura sua solum habet esse expressiua, & significatiua credibilitatis mysteriorum fidei, seu veracitatis Dei, qui illa reuelat.

Quæstio secunda.

Quando, & quomodo obliget externa confessio fidei.

De præcepto negatiuo. LOquendo de præcepto negatiuo, scilicet, non negandi fidem, certum est obligare omnes, sub grauissimo peccato mortali, quidquid dixerint Basilides, Ilicesaitæ, Priscillianistæ, Begomiles, Anabaptistę, Libertini, & alii asserentes licitū esse negare in tormentis fidem, prout referunt Valentia, Turrianus, & recentiores. Etenim contra eos probatur nostra veritas ex illo Matthæi 10. *Omnis, qui me negauerit coram hominibus, negabo eum coram Patre meo*; & Lucę nono: *Qui me erubuerit, & sermones meos, hunc filius hominis erubescet cum veniet in Maiestate sua*. Ratio autem est, quia negare fidem non solum est mendacium, sed etiam est maxima iniuria tum fidei, tum etiam auctoris illius, qui est Deus: ergo ex duplici hoc capite est intrinsecè malū; & cum sit in materia grauissima, clarè infertur inde esse grauissimum peccatum mortale. Imò addendum, præceptum istud obligare semper, & pro semper: hęc enim est natura præcepti negatiui. Secundo, esse prȩceptum diuinum naturale, quia ex ipsa natura rei, supposita institutione fidei, oritur obligatio ad eam non negandam. Tertio, contra hoc præceptum agere illum, qui negat fidē exterius, etiam si interius non dissentiat; eo quod etiam tunc fit grauissima iniuria fidei, & profertur mendacium perniciosissimum. Ex hoc etiam fit 4. in nullo casu licitam esse talem negationem, etiam ob vitandā mortem, & quæcunque alia grauissima mala: est enim intrinsicè mala, Deos, & Religioni valde contumeliosa.

De præcepto affirmatiuo. Loquendo vero de præcepto affirmatiuo confessionis fidei certum est dari tale præceptum, & esse Diuinum. Colligitur primo ex illo Lucæ nono iam adducto. Necnon ex illo Pauli ad Romanos 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. Solum ergo est difficultas de tēpore pro quo obligat. Ad quā respondet Sanctus Thomas articulo secundo, quem sequuntur ex nostris Ioannes Beetz de præcept. Decalogi præcept. 1. expos. 1. cap. 6. & Vrbanus ab Ascensione in Theologia moral. Tract. primo, cap. 20. statuendo hanc regulam generalem, scilicet, hoc præceptum obligare quando ex taciturnitate, vel ex non confessione fidei prouenit detrimentum honoris Dei, vel vtilitatis proximi: ponitque exemplū in casu quo quis interrogatus de fide taceret, & ex hoc putaretur à circumstantibus, quod vel non haberet fidem, vel quod fides non esset vera, vel alii per eius taciturnitatem auerterentur à fide: estque exemplum de hoc in beato Sebastiano, qui quamuis aliquando latuisset occultās fidem Christianā sub habitu militari, quādo tamen animaduertit, aliquos in martyrio deficere, manifestauit se, & confessus est esse Christianū, vt confortaret illos.

Est

Dubium. Est tamen dubium circa hoc præceptũ, an faciat contra illud, qui interrogatus an sit Christianus, vel an sit Catholicus, vel Papista, vt dicunt Hæretici, tacet, & nihil respondet. Ad quod variè respondent Doctores, alij enim distinguunt de his, qui interrogantur ab aliqua persona habente auctoritatem publicam, vel solum de habente auctoritatem priuatam, & in priori casu dicunt teneri confiteri fidem, non in secundo. Sic fermè Bañez, Valentia, Azor, Sanchez, & alij. Alii verò distinguunt, si interrogatio fiat in odiũ fidei, an non; in primo enim casu dicunt teneri respondere, non in secundo.

Solutio. Mihi tamen aliqua sunt dicenda. Primum, licitum est aliquando occultare fidem. Id patet in facto Sancti Sebastiani, qui multo tempore illam occultauit. Ratio etiam est, quia occultare fidem nullam habet malitiam; nec est aliquod præceptum obligans ad illam semper manifestãdam. Vnde fit non solum esse licitum tacere de illa, sed etiam aliquando vti verbis amphibologicis ad eam occultandam. Pro quo vide dicenda Tom. sequenti de *veracitate* nunquam tamen est licitum mentiri, quia mendacium est intrinsicè malum, ita vt nunquam possit esse bonum iuxta dicenda etiam eo loco, & alijs. Casu verò, quo quis mentiretur in hoc casu, quo potest occultare fidem, non peccaret contra fidem, sed contra veritatem.

Alia. Dico secundo, etiam quando quis interrogatur de fide, siue à Tyranno, siue ab habente authoritatem publicam, siue à quocunque alio, non in odium fidei, sed propter alium finem politicum; scilicet titulo belli, mercantiæ, aut alterius similis causa, potest occultare fidem eodem modo. Ratio est, tum quia tunc nulla fit iniuria fidei; tum etiam exemplo fidelium, qui hoc faciunt, maximè tempore belli, aut quando sunt apud exteras nationes, & interrogantur de fide, ac adest periculum, vt interficiantur, spolientur, aut illis inferatur aliquod damnum. Vide Bañez, Aragonium, Azorium, & Tannerum.

Alia etiã. Dico tamen tertiò, quomodocunque quis interrogetur, & à quocunque fiat talis interrogatio: imo etiam si non interroget ur ab aliquo, si ex taciturnitate, vel silentio sequatur aliquid contra Religionem Christianam, Dei cultum, aut vtilitatem proximorum, tenetur manifestare, seu confiteri fidem; secus autem si non timeatur aliquid ex istis. Ita colligo ex Diu. Thom. eo artic. 2. quem sequuntur Suarez, Coninck, Valentia, Palaus, & alij. Pro quo etiam videndus ex nostris Philippus à Sanctissima Trinitate, Tom. 3. disput. 4. dub. 8. Et ratio primæ partis est, quia tunc maximè obligare videtur præceptum affirmatiuum confessionis fidei. Ratio verò secundæ, quia secluso eo timore, non est fundamentum ad dicendum obligare tale præceptum; cum præcepta affirmatiua solum obligent in casu particulari, & non semper.

Quarta. Dico quartò, idem censendum quando ex silentio, vel ambigua responsione denotatur aliquem negare fidem. aut illam erubescere: secus autem quando id non timetur. Ita etiam colligitur ex Suarez, Cardin. Lugo, Sanchez, Granado, & Arriaga. Et ex ratione adducta.

Quæstio tertia.

An licitum sit vti signis, aut cæremonijs alicuius falsæ sectæ.

Certa aliqua. CErta sunt aliqua in hac quæstione, primum est, quod vti huiusmodi signis, & cæremonijs non serio, sed iocosè, vt fit in representationibus, non est per se illicitum. Secundũ est, quod vti illis animo colendi falsam sectam sit omninò illicitum. Solum ergo est quæstio an vti ipsis animo celandi, seu occultandi Religionem Christianam sit illicitum.

Notatio. Et loquendo de signis infidelium, notandum est, esse in triplici differentia: alia sunt manifestatiua, non quidem Religionis, aut sectæ, sed nationis, gentis, aut patriæ; huiusmodi sunt vestes Turcarum, aut Saracenorum: alia verò sunt manifestatiua sectæ, aut Religionis falsæ, huiusmodi sunt vestes Sacerdotales, quibus offerunt sua sacrificia, seu gestare in vestibus depictã *Lunam*, aut *Mahometi*: alia deniq; sunt tantum instituta ad distinctionem infidelium à fidelibus, vel propter alium finem politicum; huiusmodi est pileus flauus pro Iudæis; & fascia, seu tobalia pro Turcis, & Mahometanis.

Certum. De signis primi generis certum est, non esse illicitum vsum illorum, quantum est ex se, & secluso scandalo. Quia, cum vestes illæ non sint signa sectæ, seu falsæ Religionis, sed solum nationis, aut patriæ, etiam si quis vtatur illis, non ex eo se ostendit professorem illius sectæ. Ita communiter Doctores, specialiter Siluester, Caietanus, Suarez, Tannerus. Vnde fit non peccare contra fidem milites Christianos, qui in bellis vtuntur vestibus infidelium ad aliquem bonum finem.

Dictum aliud. Loquendo autem de signis secundi generis, nullatenus videtur licitum vti illis.

Non

Non enim solum sunt signa manifestatiua sectæ, aut Religionis falsæ, sed etiam sunt protestatiua illius, cum ad hunc finem sint ordinata. Quemadmodum ergo nunquam est licitum verbis profiteri falsam sectam, aut Religionem, sic neque facto ipso, vestibus &c. Sic colligo ex Caietano, Nauarro, Philippo à Sanctissima Trinitate Tom 3. disputat. 4. dub. 9. & Vrbano ab Ascensione in Theologia moral. Tract. 1. cap. 21. & alijs.

Aliud. De signis autem tertij generis dicendum est, quod quamuis per accidens, ratione scandali, aut etiam si inde sumeret falsa illa secta, aut Religio aliquam vtilitatem, aut profectum contra fidem Catholicam, esset peccatum illis vti: per se tamen posse esse licitum talem vsum: vt si quis propter vitandam mortem inter Iudæos vteretur illo signo, quo ipso vtuntur. Hoc statuo contra Caietanum, & alios cum Bañez, Aragonio, Valentia, Suarez, Sanchez, Vasquez, Castro Palao, & Tannero. Ratio est, quia talia signa non sunt per se, & formaliter ordinata ad professionem, & cultum falsæ sectæ, aut Religionis, aut protestationem illius, sed solum ad distinctionem politicam hominũ, vel ciuium alicuius Ciuitatis, vel Regni: vsus ergo illorum non est intrinsicè malus, ita vt nunquam sit licitus. Confirmatur, quia *res*, & *verba* in hoc distinguuntur, quod *verba* habent ex institutione humana determinatam significationem, ita vt non possint ad aliam applicari: *res* autem non habent illam, sed possunt ad plura applicari: signa ergo ita, sicut possunt applicari ad professionem falsę sectæ, sic etiam ad occultandam veram Religionem. Quod aliquando licet.

Corollar. Ex quo infertur, quod casu quo Princeps infidelis deputaret talia signa ad professionem falsæ sectæ, non posset Christianus illis vti; quia per vsum illorum virtualiter profiteretur illam, quod est intrinsicè malum. Secus verò si deputaret illa non ad professionem sectæ, sed ad alium finem; propter oppositam rationem. Sic fermè Sanchez, Turrianus, Caspensis, & Palaus.

Difficult. Maior difficultas est in secundo puncto quæstionis, an scilicet vti cœremonijs, & ritibus falsæ sectæ, animo celandi, seu simulandi Religionem Christianam, sit *ex se* illicitum. Dico *ex se*, quia certum est posse esse *per accidens* peccatum, tum ratione scandali, tum etiam ratione omissionis confessionis fidei, si pro tunc currebat.

Sententia quorundã In qua Hadrianus, & pauci alij tenent partem negatiuam. Primò, ex authoritate D. Hieronymi, qui in Commentario sup. 2. Epist. ad Galatas, & alibi sæpè, quamuis sentiret à tempore mortis Christi cessasse cœremonias veteris legis, nihilominus dicit Petrum, & Paulum illis vtentes non peccasse, quia id faciebant animo celandi, seu simulandi Religionem Christianam. Ex quo sequitur licitum esse vsum cœremoniarum falsæ sectæ, fictè, & simulatè. Secundò, exemplo Iehu Regis Israel, qui, vt 4. Reg. 19. habetur, volens occidere omnes cultores Baal, dixit se velle illum venerari: quam simulationem videtur approbasse Deus, dum dixit illi: *Quia studiosè egisti quod rectum erat, & placebat in oculis meis, & omnia, quæ erant in corde meo fecisti &c filij tui vsque ad quartam generationem sedebunt super Thronum Israel*: ergo simulatio veræ Religionis est licita. Tertiò, quia quarto Regum 5. habetur, quod Naaman Syrus, cognita Idolorum vanitate, nihilominus postulauit ab Eliseo, quod si quando ingrederetur cum domino suo in templum Remon adoraret illum, Deus parceret illi: ad quod respondit Propheta fauens illius simulationi, *Vade in pace*. Licita ergo est simulatio in his cœremonijs. Quartò, quia simulatio sectæ falsæ, nec est contra præceptum affirmatiuum confessionis fidei, quod patet si fiat in tempore quo non currat tale præceptum: nec contra negatiuum, quia non intendit aliquis per tales cœremonias falsę Religionis fidem suam negare: non ergo est illicita talis simulatio. Tandem quintò, quia in alijs materijs, quando non initat præceptum confitendi veritatem, licet vti simulatione: quemadmodum vsus est Iacob simulans esse Esau: ergo etiam in materia fidei.

Sententia certa. Nihilominus opposita sententia est certissima, ita vt contraria non sit probabilis, sed censura digna; scilicet in nullo casu, etiam ex timore mortis, esse licitum simulare falsam fidem, aut Religionem, vtendo cœremonia aliqua, quę spectatis circunstantijs, nullam aliam habet significationem, nisi professionem falsę Religionis. Ita communiter Doctores, ex quibus quamplures refert Verricelli in Tractatu de missionibus tit. 1. de fide, quæst 18. dicens, contrarium damnatum fuisse in Sancto Officio Inquisitionis de Vrbe.

Probatio Probant aliqui ex eo, quod simulatio est quoddam mendacium, quod semper est malum. Sed hęc probatio est ineficax, quia hic non quærimus de malitia mendacij, sed de malitia oppositа fidei. Quare melius probatur secundo ex secundi Machab. sexto, vbi improbatur tanquam iniquum consilium, quod quidam dabant Eleazaro, vt simularet se comedere carnes sacrificij Gentilium, & effugere mortem e

mortem: vnde ibidem Sacra Scriptura appellat iniquã miſerationem eorum, qui tale conſilium dabant Eleazaro, & ipſe reſpondit, *non enim ætati noſtræ dignum eſt fingere*. Tertio probatur ex plurium Patrum teſtimonijs, quæ refert Valentia, & alij. Quartò ratione, quia talis vſus cęremoniarum falſę ſectæ, quales ſunt thurificatio, adoratio, preces &c. eſt virtualis quædam profeſſio illius; ſed hæc eſt illicita, ergo. Maior probatur, quia tales ceremoniæ, vel ex ſe, vel ex inſtitutione hominum ſunt determinatæ ad cultum falſæ ſectæ: ergo, qui vtitur illis cenſetur virtualiter eam profiteri. Confirmatur, quia qui *verbo* fictè negat Chriſtum, prout negauit Sanctus Petrus, ſine dubio peccet in tali ſimulatione, prout concors doctrina eſt Theologorum: ergo etiam qui *facto* fictè negat Chriſtum etiam peccabit in tali ſimulatione; ſiquidem ſicut verba habent determinatam ſignificationem ad denotandum profeſſionem falſæ ſectæ, ſic etiam & facta aliqua, inſpectis circunſtantijs poſſunt illam habere.

Soluțio contrarior. Vnde ad argumenta reſpondeo, & ad primum, iuxta dicta Tom. 2. Tract. 6. de legibus, diſput. 5. quæſt. 4. admitto, Diuũ Hieronymum fuiſſe in ea ſententia, verumtamen, quia Sanctus Auguſtinus, & Sanctus Thomas, & tota fermè ſchola tenent oppoſitum, ideo eorum auctoritas anteponitur auctoritati Hieronymi. Vnde nego, Apoſtolos vnquam ſimulaſſe falſam Religionem. Quamuis enim pro aliquo tempore vſi fuerint cœremoniis legalibus Iudaiſmi, etiam poſt Chriſti mortem, tamen non vtebantur illis, prout erant cœremoniæ veteris legis, neque prout erant ſigna Chriſti venturi, ſed ad ſepeliendum cum honore Sinagogam, vt docent Sanctus Auguſtinus, & alij cum ipſo. Eſt enim diſcrimen inter iſtas cœremonias veteris legis, & alias quaſcumque falſæ ſectæ: quod cum illę fuerint aliquando bonæ, & ſigna veræ Religionis, antequam ſcilicet à Chriſto aboleretur, potuerunt etiam poſtquam ab ipſo abolitæ ſunt, aſſumi, non propter finem propter quem prius fuerant inſtitutæ, ſed propter alium honeſtum, ſepeliendi ſcilicet Synagogam dicto modo. Quod non procedit in cœremonijs alterius falſæ ſectæ, cum ſemper ſint malæ, falſæ, & prohibitę. Ad ſecundum dico, Deum non approbaſſe factum Iehu quantum ad ſimulationẽ falſę ſectę, quin eã vocat Aug. lib. contra mendacium c. 2. & ex ipſo D. Tho. 2. 2. quæſt. 111. art. 1. *iniquum mendacium*: approbaſſe tamen Deum, illud, tum quantum ad intentionem bonam, quam habuit occidendi Baalitas; tum quantum ad ipſam occiſionem; & propterea pręmium accepit à Deo.

Ad tertium ſimiliter dicendum: nullatenus Patrem noſtrum Eliſeum approbaſſe adorationem Remon, etiam ſimulatè factam: neque oppoſitum colligitur ex illo *Vade in pace*. Non enim fuit approbatio Idololatriæ Naaman: ſed primo, vel fuit permiſsio illius, quę fuit licita, quia non erat ipſius ſuperior, & quia non exiſtimauit vtilem eſſe perſuaſionem illi faciendã de oppoſito: vel conceſsio licentię, quam poſtulabat, nõ quidem adorandi Idolum, ſed ſolum genuflectendi, & ſeruiendi domino ſuo quando illud adoraret: vel denique conceſsio illius, quod poſtulabat, ſcilicet, quod rogaturus eſſet pro eo ad Deum, aut vt non committeret tale peccatum, aut quod poſtquam caderet, ageret de illo pœnitentiam. Ad quartum dico, ſimulationem de qua in pręſenti, eſſe contra pręceptum negatiuum fidei: ſicut enim per illud pręcipitur non negare fidem verbo, aut expreſsè, ſic etiam non negare illam implicitè, aut aliquo facto, quod ſit negatio virtualis illius, qualis eſt vſus ſimulatus cœremoniarum falſę ſectę, vt dictum eſt. Ad quintum dico, etiam dato quod ſimulatio in alijs materijs non eſſet peccatum, de quo in ſequentibus, non inde etiam infertur in materia fidei peccatum non eſſe; non ſolum quia maieſtas Chriſtianę fidei eſt tanta, vt etiam violetur facto ſimulatorio; ſed etiam quia ſimulatio in alijs materijs eſt de re indifferenti, quę poteſt eſſe vera, vel falſa, vt cum aliquis ſimulat ſe eſſe bonum, diuitem, nobilem &c. at verò ſimulatio in materia fidei ſemper eſt ſignificatiua rei falſę, ſcilicet falſę ſectæ. Vnde iſta ſimulatio eſt magis intrinſicè mala, quam illa.

Corollari. Ex his autem infertur ſolutio vulgaris illius quæſtionis, quaquęritur, an licitum ſit Catholicis Templa Hęreticorum adire, & ipſorum Concionibus aſsiſtere. Etenim generaliter loquendo dicendum eſt, licere, quando ex hoc nullum ſequitur ſcandalum, aut offenſio fidelium; periculum peruerſionis proprię, vel alienę: communicando in ritibus, cœremonijs, & precibus infidelium; aut ſpeciale pręceptum Superioris Eccleſiaſtici ea prohibentis nõ adeſt. Ratio eſt, quia ijs ſeclusis, ſunt aliquid indifferens, nec ſunt falſę ſectę proteſtatio; & alioquin poſſunt eſſe bona, ſi fiant ratione cultus politici debiti domino, vel Principi temporali; vel ob vitandam grauem iacturam bonorum; aut ad notandos ritus, vel errores infidelium; vel caſu quo id fiat ex quadam curioſitate, non poteſt illa ex ſe, & ſeclusis alijs praui circunſtantiis, eſſe pluſquam peccatum veniale. Sic colligo ex Azorio, Sanchez, Cardinali Lugo, Villalobos, Palao, Maldero, Bonacina, & alijs. Notandum tamen

men hoc speciale præceptum non ingrediendi Templa Hæreticorum, aut assistendi Cœtibus, aut Concionibus illorum datum fuisse Catholicis Angliæ à Paulo Quinto de anno 1606. occasione videlicet cuiusdam edicti Regis Angliæ, quo illis percipiebatur cõtrarium. Nam eo edicto, prout etiam ex verbis ipsius elicitur, præcipiebatur talis assistentia, & communicatio, intuitu cultus Hæresis, & honoris illius, ac per consequens protestationis, saltem implicitæ, falsæ sectæ; quæ est intrinsicè mala, & nullo modo licita, ex quocunque fine, aut ad euitandum mortem. Suarez, Sanchez, Card. Lugo, Verricelli, & plures alij.

Admitto. An verò liceat sumere Sacramenta ab Hæreticis, aut communicare cum illis in Sacramentis, dicetur in sequentib. in Tractatibus de Sacramentis, & censuris. De fidei professione quando, quomodo, & quos obliget, notauimus remissiuè ex variis locis nostræ Summæ Quæstionum Regularium 3. Tom. Summæ, verbo *fidei professio*.

DISPVTATIO V.

De voluntate requisita ad credendum.

Quæstio prima.

An ad credendum requiratur actus voluntatis.

Rat. dub. RAtio dubitandi pro parte negatiua, est primo, quia, vt diximus in superioribus, res fidei sunt euidenter credibiles; posita autem hac credibilitate non videtur esse in nostra potestate credere, vel discredere; ergo non pendet ex voluntate actus credendi. Secundò, quia credere ex fide humana non pendet ex voluntate, alias erit in nostra potestate credere *Indiam esse*; ergo neque credere fide diuina. Tertiò, quoniam alias sequeretur, quod sola volũtas sine aliqua ratione, aut fundamento posset mouere intellectum ad credendum quodcunque obiectũ quãtumuis incredibile. Quartò, quia non magis determinatur intellectus per motiuum scientiæ ad actum illius, quam per motiuum fidei ad actum credẽdi; sed per motiuum scientiæ determinatur intellectus ad sciendum sine dependentia à voluntate; ergo per motiuum fidei determinabitur etiam ad credendum sine tali dependentia. Propter hæc nonnulli tenent actum fidei non pendere à voluntate.

Suppos. tio. Pro explicatione tamen veritatis, vt certum supponendum est, actum fidei pendere à voluntate quoad exercitium, sicut generaliter omnis actus alterius potentiæ à voluntate pendet ab ipsa quoad exercitium; alias non esset liber: solum ergo est difficultas an etiam pendeat quo ad specificationem; idest, quantum ad hoc, quod sit in potestate intellectus assentiri rebus fidei, vel dissentiri, vel potius indigeat moueri à voluntate ad assentiendum.

Cõclusio. Et dico, actum fidei pendere hoc modo à voluntate, ita vt non sit in potestate intellectus assentiri rebus fidei sine motione, aut actu voluntatis, qui à Theologis vocatur *pia affectio*. Conclusio est communissima, omnium cum Sancto Thoma ferè, adeo, vt oppositum ferè temerarium censeatur.

Probatio. Probant aliqui ex multis locis Sacræ Scripturæ, Conciliorum, & Patruum, in quibus dicitur credendi actum esse liberum. Sed hæc probatio non est efficax, quia potest responderi solum ibi sermonẽ esse de libertate quoad exercitium, non quoad specificationem, vt nos loquimur. Probatur ergo: nam intellectus ex natura sua est indifferens ad credendum, & discredendum, assentiendum, seu dissentiendum rebus reuelatis à Deo: indiget ergo aliquo determinante ad credendum, seu assentiendum; sed tale determinans non potest esse ipse intellectus, cum ipse non sit potentia libera formaliter, cuius munus est seipsam determinare, vt patet in voluntate: nec est res ipsa à Deo reuelata, seu obiectum fidei, quia est obscurũ, & inuidens; & hæc est natura intellectus, vt nulla veritas conuincat illum, aut determinet ad assensum, nisi sit euidens in seipsa, vel euidenti discursu cognoscatur; res autem fidei neutro modo cognoscuntur: ergo necesse est dicere determinari à voluntate. Si dicas, quamuis res fidei, seu obiecta credibilia, per seipsa non possint determinare intellectum ad assensum, posse tamen id efficere propter motiua credibilitatis, quæ habent. Contra hoc est, quod etiam positis, & ponderatis huiusmodi motiuis credibilitatis, adhuc manet obiectum fidei obscurum, & inuidẽs; ergo non potest determinare intellectum, aut conuincere ad assensum; ac proinde requiretur ad talem determinationem motio libera voluntatis. Patent istæ consequentiæ, & antecedens probatur, quia per motiua, seu argumenta credibilitatis solum conuincitur intellectus ad putandum tale obiectum esse credibile, quod est quid extrinsecum ad ipsum obiectum:

ergo

ergo adhuc permanet obiectum intrinsicè obscurum, & ineuidens. Secundò ad idem, quia ex eo ad actum scientiæ est determinatus intellectus quo ad specificationem, & solum pendet à voluntate quoad exercitium, scilicet quo ad applicationem intellectus ad cognitionem præmissarum, quia motiuum scientiæ, videlicet demonstratio, est euidens, & per consequens conuincens illum ad assensum scientificum, sed motiuum fidei, scilicet diuinum testimonium, non conuincit intellectum ad fidei assensum, quia est obscurum etiam, & ineuidens: indiget ergo ad illum motione, & applicatione voluntatis.

Addo, huiusmodi motionem voluntatis debere esse positiuam, nec sufficere permissiuam. Ratio est, quia intellectus non determinatur ad aliquem actum, nisi per applicationem; applicatio autem importat actionem positiuam. Confirmatur, quia determinatio intellectus, qua applicatur ad credendum est aliquid positiui, vt per se patet; ergo debet habere aliquã causam positiuam: sed ea non est intellectus, quia non est sicut voluntas potentia formaliter libera; nec obiectum, quia cum illud sit obscurum, & ineuidens non potest determinare illum: necesse ergo est dicere esse actionem aliquam positiuam voluntatis, quæ, vt diximus, à Theologis vocatur *pia affectio*, & de qua quæstione sequenti dicetur.

Qualis hæc motio.

Ad primam rationem in contrarium constat ex dictis, non sufficere ad assensum fidei, credibilitatem mysteriorum, sed vlterius requiri motionem voluntatis ad hoc quod intellectus determinetur ad talem assensum. Sicut enim per argumenta topica, & probabilia de aliqua propositione solum conuincitur intellectus ad credendum eam esse probabilem; non verò ad assentiendum illi ita vt ad talem assensum vlterius egeat motione voluntatis; sic similiter per motiua credibilitatis mysteriorum fidei, conuincitur quidem intellectus ad existimandum ea esse credibilia, non verò ad credendum ea esse vera, nisi accedat talis motio, per quam suppletur, quod deest illis ad determinandum intellectum ad assensum fidei. Ad secundam, nego antecedens: cum enim motiuum fidei humanæ, scilicet authoritas humana, sit minus efficax quam motiuum fidei diuinæ, ideo multo magis ad assensum fidei humanæ requiritur motio voluntatis. Generaliter etiam verum est illud Diui Augustini; *Cætera potest homo nolens, credere autem non nisi volens*. Vnde nego antecedens; & ad probationẽ dico, quod si aliquis assentiatur huic propositioni *India est* præcisè propter testimonium vnius, aut alterius id dicentis, erit in potestate ipsius credere illud, & ita indigebit motione voluntatis ad eum assensum: quia tamen regulariter homines non assentiuntur illi ex hoc motiuo, sed propter communem hominum existimationem, quæ inducit euidentiam quandam moralem, ideo conuincitur intellectus ad eum assensum, nec indiget tali motione. Ad tertiam, aliqui concedunt sequelam, scilicet posse voluntatem pro sui libito mouere intellectũ ad credendum quodcumque obiectum, quantumuis sit incredibile, & sine vllo fundamento. Immerito tamen id dicitur. Primò, quia cum obiectum intellectus sit solum verum, vel saltem apparens verum, non poterit, nec ex motione voluntatis credere nisi id, quod in se sit verum, vel saltem argumentis probabilibus appareat tale. Secundò, id probat experientia, qua constat homines non solum non credere, nisi ea quæ habent motiua credibilitatis; sed etiam, quod quantumuis velint, aut desiderent rem aliquam esse veram; si tamen non habeat apparentiam veri, non posse credere illam. Quare ad argumentum nego sequelam, & si enim ad fidei actum requiratur voluntas mouens ad credendum, non tamen sufficit, sed requiruntur vlterius motiua credibilitatis. Ad quartam rationem dubitandi patet ex dictis negandam esse maiorem. Cum enim motiuum scientiæ, scilicet demonstratio sit euidens, & clarum: ideo conuincit intellectum ad assensum, nec indiget motione voluntatis, nisi solũ quo ad exercitium, scilicet quoad hoc, vt aduertat actualiter vim præmissarum, & connexionem earum: nam quoad specificationem determinatur per ipsam demõstrationem: at verò, cum medium fidei sit obscurum, & motiua credibilitatis non tollant hanc obscuritatem, non solum indiget intellectus (etiam posito habitu fidei) vt quoad exercitium applicetur à voluntate ad considerandã illa motiua, sed etiam quod postquam illa considerauerit actualiter assẽtiatur rebus reuelatis, quod est moueri non solum quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem.

Solutio rat. dub.

Est tamen difficultas quodnam sit obiectum huius voluntatis, seu piæ affectionis, quam dicimus esse necessariam ad hoc, quod intellectus moueatur ad credendum. Pro quo notandum, hanc voluntatem, à Theologis vocatam *piam affectionem*, posse esse, primo, circa dicentem, vel reuelantem mysterium fidei: secundo, circa proponentem illa, Papã videlicet, vel Ecclesiam: tertiò, circa ipsa mysteria: quartò circa ipsum assensum, seu actum credendi.

Difficult.

Dico ergo primo, voluntas, seu pia affectio ad dicentem, seu reuelantem, vel etiam

Solutio.

etiam ad proponentem res fidei, non est necessaria ad fidem, esto sit vtilis, & multum conducens. Ratio primæ partis sumitur ex exemplo fidei humanæ, per illam namque credimus aliquando aliquibus dicentibus, vel proponentibus aliqua, circa quos non habemus piam affectionem, aut bonam voluntatem: eo quod existimamus eos esse homines veraces, ergo non requiritur pia affectio circa dicentem, aut proponentem. Secundò, id etiam probatur de fide diuina; quamuis enim aliquis oderit Deum reuelantem aliquod obiectum, aut Pontificem proponentem aliquam veritatem, vt de fide credendam; nihilominus, quia existimat Deum esse veracem in dicendo, & Pontificem in proponendo, potest illis credere, non ergo est necessaria pia hæc affectio, seu voluntas circa dicentem, aut proponentem. Secunda verò pars probatur exemplo opinionum, & fidei humanæ; multoties enim assentimur aliquibus opinionibus, & credimus dictis aliquorum, adducti amore, & benevolentia, quam habemus circa illos, qui talia dicunt, vel proponunt. Dico secundo, nec etiam est necessaria pia affectio, aut voluntas ad rem dictam, seu reuelatam. Probatur primò exemplo fidei humanæ, per quam credimus multoties, quæ displicent nobis, v. g. mortem patris, aut fratris. Secundo etiam de fide diuina constat, quia potest aliquis odio habere pœnas Inferni futuras æternas, & tamen credere tales futuras esse. Vnde dico tertiò, pia affectio, seu voluntas requisita ad credendum habet pro obiecto ipsum actum credendi: est communis omnium Theologorum. Et probatur a sufficienti partium enumeratione ex dictis, & quia quemadmodum voluntas legendi habet pro obiecto ipsam lectionem, ita etiam voluntas credendi habebit pro obiecto ipsum actum, qui est credere.

Alia. Addo, quidquid aliqui in contrarium dicant, credere quod est obiectum huius voluntatis, & ad quod mouetur intellectus ab ipsa, esse credere determinatè fide diuina propter motiuum primæ veritatis, non verò credere vt sic. Ratio est, quia ideo est necessaria huiusmodi voluntas ad credendum, vt intellectus, qui alias erat indifferens, & indeterminatus, determinetur, sed non solum est intellectus indifferens, & indeterminatus ad credendum, vt sic, sed multo magis ad credendum fide diuina: ergo ad vtrumque indiget determinari. Confirmatur, quia homo fidelis, qui habet vtrumque habitum, scilicet fidei diuinæ, & fidei humanæ, est indifferens ad credendum fide diuina, vel fide humana, quia habitibus vtimur cũ volumus: vt ergo determinetur ad credendum fide diuina indiget motione ex parte vnluntatis, per quam moueatur determinatè ad actum talis fidei diuinæ.

Quæstio secunda.

Qualis sit iste actus voluntatis, & quæ sint principia ipsius.

Certa aliqua. CErtum est, quod cum huiusmodi voluntas, motio, seu pia affectio, sit actus elicitus à voluntate, quod vnum ex principijs illius sit ipsa voluntas. Rursus, cum procedat à voluntate libera, manifestum est requiri ad illam. perfectam deliberationem, sicut generaliter ad omnem actũ liberum requiritur: alias neque ista motio, nec actus fidei, qui ex illa sequitur, essent liberi. Similiter cum voluntas nunquam feratur in incognitum, manifestum etiam est ad illum præsupponi debere aliquẽ actum intellectus, per quẽ proponatur voluntati, vt bonum, & conueniens, hoc quod est mouere intellectum ad assẽsum fidei. Præterea, huiusmodi actum voluntatis esse supernaturalem: eo quod habet obiectum supernaturale. & motiuum supernaturale, scilicet actum credendi fide diuina, & honestatem ipsius, quæ etiam est supernaturalis. Ex quo infertur etiam actum intellectus ad illum prærequisitum esse supernaturalem, quia debet proportionari actui voluntatis quem dirigit: & quia mouet illam, vt ipsa applicet intellectum ad credendum ex motiuo supernaturali. Vnde ita tenent fere communiter recentiores, specialiter Suarez, Cardinalis Lugo, Hurtadus, Granad. & Ripalda. Consequentur etiam dicendum vtrumq; actum voluntatis, & intellectus non posse effici ex viribus liberi arbitrij, sed ex speciali concursu Dei, vt probauimus Tomo 2 Tractat. 7. de gratia, disp secunda, quæst. prima; & colligitur clarè ex Papa Cœlestino Primo in Epist. ad Episcopos Galliæ, dum ait; *Deum ita operari in cordibus hominum; vt omnis sancta cogitatio, pium consilium, & bona voluntas, ex Dei operatione procedat.*

Difficultates. Sunt tamen aliquę difficultates contra hæc. Primò, quia primus motus supernaturalis est fides; cum ipsa sit fundamento, & radix nostræ salutis, prout ex Concilijs, & PP. eliciunt Theologi; ergo tales actus antecedentes illam non sunt supernaturales. Secundò, quia si supernaturales essent, necessarii erant ad illos eliciendos, saltem connaturaliter, aliqui habitus, seu virtutes, qui tamen assignari non

non possunt. Tertio, specialiter de actu illo intellectus, quia ille non est clarus, aut euidens, repræsentans scilicet clarè suum obiectum; quia de obiectis supernaturalibus non datur euidentia, nisi solum in Patria: neque est obscurus, quia aliàs esset actus fidei, & ita ad illum esset necessarius alius actus voluntatis, seu pia affectio, & ad illum alius actus etiam intellectus, & sic in infinitum procederetur: non ergo datur talis actus. Quarto, quia vel ille esset liber, aut necessarius; sed non est liber, quia cum intellectus non sit potētia libera, prout est voluntas, ideo eius actus nequit esse liber, nisi per denominationē ab actu libero voluntatis; quod in hoc casu contingere non potest, quia ad talem actum voluntatis erat necessarius alius actus intellectus, de quo esset eadem quæstio, & ita procederetur in infinitum: nec etiam potest esse necessarius, quia non est vnde proueniat talis necessitas: ergo. Quintò, specialiter, quod iste actus intellectus non possit esse supernaturalis, probatur, quia ille est quoddam iudicium de credibilitate obiecti fidei, hoc autem iudicium est scientificum, & per discursum, iuxta dicta supra *disput.* 2. *quæst.* 5. est ergo naturalis.

Solutio difficultatum.

Respondeo tamen ad primam, quod cum dicitur primum actum supernaturalem esse actum fidei, nomine actus fidei intelliguntur etiam illi actus, qui ad illam sunt per se requisiti, quales sunt isti, actus voluntatis, seu piæ affectionis, & actus intellectus ad illum necessarius: eo quod actus fidei, qui dicitur primus actus inter supernaturales, debet esse voluntarius, & liber, in quo includuntur prædicti duo actus. Ad secundum, quod attinet ad actum illum voluntatis, quamuis varient multum Doctores in assignando habitum, seu virtutem, ad quem spectet; alij enim dicunt spectare ad obedientiam, alii ad studiositatem, alij verò ad virtutem quandam ab alijs omnibus distinctā. Probabilius tamen censeo spectare ad habitum quandam in voluntate existentem, quem etiam *piam affectionem* appellare possumus, qui quamuis physicè, & in ratione habitus, realiter distinguatur à fide, moraliter tamen, & in ratione virtutis est idem cum illa, & reducitur ad illam tanquam aliquid ipsi deseruiens, & subministrans. Colligo hoc ex Diuo Augustino de *prædestinat. SS. cap.* 5. dum inquit fidem esse *in voluntate*, quod vix dici potest, nisi ratione istius habitus, qui est in voluntate, & moraliter in esse virtutis est *fides*, seu idem cum fide. Deinde, quia, cum virtutes distinguantur per obiecta formalia, & iste habitus habeat idem obiectum formale, sicut fides, quia versatur, saltem indirectè circa primam veritatem reuelantem, quatenus cum voluntate mouet intellectum ad credendum obiecta fidei ex hoc motiuo, vt quæ erit, in esse virtutis, & reductiuè, idem cum fide. Vide Salmanticenses *Tom.* 3. *in arbore* prædicamentali virtutum *num* 14. Quod verò attinet ad actum illum intellectus (in quo valde laborant recentiores) dicendum est, non pertinere ad aliquem habitum, quia ille non est aliud, quam ipsum auxilium speciale, seu quædam vocatio, seu illuminatio, mouens voluntatem ad piam affectionem ad credendum; nec est actus liber, sed necessarius, & indeterminatus, solum causatus ab ipso Deo in intellectu, iuxta dicta Tom. 2. Tract. 7 *de gratia disput.* 5. *quæst.* 3. & 4. Et ita ad illum non est necessarius aliquis habitus. Huiusmodi autem vocationem, seu illuminationem, sufficere ad mouendam voluntatem ad actum piæ affectionis, ex eo constat, quia per eam sufficienter repræsentatur voluntati bonitas, vel conuenientia talis actus; ergo per eam moueri potest voluntas ad eum eliciendum: præsertim supposito iudicio de credibilitate obiecti credendi, de qua postea. Sic colligo ex Suarez in Tractatu de fide disput 6. sect. 8. num. 14.

Solut. 3 difficult.

Vnde ad tertiam difficultatem dico, eum actum non esse obscurum, quia cum sit supernaturalis, si esset obscurus, vtique esset actus fidei, cum tamen non sit, nisi præuiè necessarius ad motionem voluntatis requisitam ad actum fidei. Dico igitur esse clarum, & euidentem, non quidem speculatiuè, sed practicè: quia, vt dixi, non est aliud quam ipsum auxilium, seu illuminatio Dei mouens voluntatem ad piam affectionem requisitam ad credendum hic, & nunc: vnde cum dicitur quod de obiectis supernaturalibus non datur euidentia, nisi in Patria, id intelligi debet præcisè, ex viribus naturalibus intellectus; non tamen de illis, vt elenaris à Deo; prout contingit in præsenti. Ex quo ad quartam dico, talem actum non esse liberum, sed necessarium: eo quod non eliciatur ab intellectu ex aliqua motione libera voluntatis, sed *tangente Deo cor hominis*, vt ait Concil. Trid *sess* 6. *cap.* 5. & vtente ipso intellectu instar instrumenti, independenter à libertate hominis, iuxta dicta loco relato ex secundo Tomo. Vnde quemadmodum in cogitationibus naturalibus semper deuenitur ad vnam primā omnino necessariam, independentem à libertate voluntatis, alias daretur processus in infinitum, prout diximus eo Tomo secundo disput. 4. quæst. 1. Sic etiam in supernaturalibus deuenitur ad illam primam cogitationem supernaturalem, omnino necessariam, & indeliberatam.

Ad

Solutio quintæ. Ad quintam difficultatem nego hunc actum intellectus esse iudicium de credibilitate obiecti fidei. Hoc enim iudicium de credibilitate, iuxta dicta sup. disp. 2. q 5. est adquisitum, scientificum, & elicitum ab habitu scientiæ per demonstrationem, & ita est naturale: at vero actus iste intellectus est infusus, & productus à solo Deo cum intellectu, & sine vllo discursu, & ita est supernaturalis. Vtrumque autem requiritur ad hoc, quod voluntas eliciat piam affectionem, iudicium quidem illud ad hoc, quod eliciat illam prudenter; actus verò iste intellectus ad supernaturalitatem talis piæ affectionis. De quo benè Suarez supra.

DISPVTATIO VI.

De ipsa virtute fidei secundum se.

Quæstio prima.

Quid sit virtus fidei.

Fidei definitio. COmmunis sententia Theologorum est cum Sanct. Thom. quæst. 4. art. 1. à qua solus discedit Erasmus, quem recentiores impugnant, fidem optimè definiri, saltem quoad naturam, & essentiam ipsius, illis verbis Pauli ad Hebr. 11. scilicet; *Est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium*. Nam per hoc quod dicitur *substantia* denotatur esse fundamentum, & basis ædificij spiritualis; quod declarat Concilium Tridentinum sessio. 6. cap. 8. dicens, quod sit *Humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis*. Siue quia per ipsam quodam modo subsistunt in nobis ea, quæ sperantur. Vocatur autem ab Apostolo substantia *rerum sperandarum*, quia esto, quod alia, quæ non sperantur, vt sunt Incarnatio, Resurrectio Christi, imo pœnæ inferni, etiam intelligibiliter subsistant in nobis, nihilominus res speratæ, scilicet Beatitudo, & quæ eam consequuntur, principaliter mouent animum hominis ad amplexandam fidē, & ideo ea commemorat specialiter Apostolus. Similiter dum dicitur *argumentum*, sumpta causa pro effectu, scilicet argumento pro assensu; significatur, fidem esse assensum intellectus. Imo propterea vocari videtur *argumentum*, Græcè *conuictio*, quia per modum argumenti demonstrationi conuincit intellectum ad certo, & firmiter assentiendum rebus fidei. Rursus per hoc quod dicitur *non apparentium*, denotatur conditio essentialis fidei, scilicet quod sit de rebus obscuris, & reuelatis, inni tendo primæ veritati. Videndus Siluestranus noster in 3. lect. 71. vbi plura doctè.

Alia. Vnde fit hanc definitionem coincidere cum illa, quę communiter traditur, scilicet, *fides est assensus obscurus, & certus rebus reuelatis à Deo, propter primam veritatem*. Rursus, quamuis hæc definitio solum explicet naturam actus fidei potest applicari etiam habitui fidei, præfata intelligendo non solum per modum actus secūdi, sed etiam per modum actus primi. Si autem volumus aliam clariorem tradere, dicemus, quod fides est *habitus intellectualis, certus, & obscurus, inclinans ad assensum certum, & obscurum, innitendo primæ veritati reuelanti*. Pro quo etiam & variis diuisionibus fidei, & eius effectibus, idem vt supra Siluestranus.

2. concl. Dico secundo, de fide certum est, quod fides sit aliquid creatū nobis à Deo infusum, & concessum. Ita recipitur in tota Schola. Et probatur, ex definitione Conc. Trid. sess. 6. c. 7. vbi inquit: *In iustificatione hæc omnia simul infusa accipit homo, fidem, spem, & charitatem*, vbi manifestè definit fidem esse aliquid infusum à Deo, ac per consequens aliquid creatum.

Tertia. Dico tertio, etiam est de fide certum, quod fides sit aliquid permanens in nobis. Probatur primò ex Concilio loco adducto. Primò, dum dicit iustificationem fieri *per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum*. Secundò, dum ait; *hæc omnia simul infusa accipit homo fidem, spem, & charitatem*. In his autem verbis determinasse Cōcilium fidem esse aliquid permanens; colligitur tum ex Concilio Prouinciali Moguntino anno 1549. vbi clarè habetur, fidem, spem, & charitatem, quas definit Concilium iufundi nobis esse dona permanentia. Tum secundo, quia, cum in capitulo sexto numerasset dispositiones, quibus homines disponuntur ad iustificationem, numerat inter eas actum fidei, spei, & charitatis: ergo postea dum in hoc capite septimo numerat fidem, spem, & charitatem, necessè est dicere loqui de fide, spe, & charitate permanentibus, alias non distingueret illas à fide, spe, & charitate per modum actus. Tum tertio, quia illam fidem dicit Concilium infundi in iustificatione, quam docet eo cap. septimo petere Cathechumenos ab Ecclesia, vt constat ex verbis eiusdem Concilij. Atqui Cathechumeni non petunt ab Ecclesia fidem transeuntem, sed fidem permanentem, ergo de hac loquitur Concilium.

Clarius

Digitized by Google

Clarius id probatur ex alijs verbis ipſius Concilij *ſeſſ. 6. cap.* 15. vbi dicitur, *Quocunque peccato mortali quamuis non amittatur fides, acceptam iuſtificationis gratiã amitti.* Et *can.* 28. inquit, *Amiſſa per peccatum gratia, fidem non amitti*, ſed remanere. Ex quibus verbis clarè colligitur Concilium definire fidem eſſe aliquid permanens. Solum ergo eſt difficultas, an hoc permanens donum, quod dicimus eſſe fidem, ſit habitus, ita vt tam certum ſit eſſe habitum, ſicut eſt eſſe aliquid creatum, & permanens.

3. ſententia Prima ſententia eſt affirmatiua. Ita Gabriel, Vega, Valentia, Peſantius, & alij. Fundamentum eſt doctrina Concilij ſupra adducta; ſi enim Concilium definit non ſolum fidem eſſe aliquid creatum, ſed etiam eſſe aliquid permanens in nobis, manifeſtè deducitur etiam definire fidem eſſe habitum, quia nihil poteſt eſſe hoc donum creatum, niſi habitus. Quod argumentum magis vrget in paruulis, quam in adultis: in illis enim nihil poteſt eſſe fides, niſi habitus.

4. concluſ. Nihilominus dico quarto, non eſt de fide certum, fidem eſſe habitum: eſſe tamen erroneum, aut errori proximum, vel ſaltem temerarium, id negare. Ita Canus, Sotus, qui & adfuit eidem Concilio, & teſtatur conſulto abſtinuiſſe à voce *habitus*, & plures alij. Videtur probari poſſe prima pars huius concluſionis ex eo, quod Clemens 5. in Conc. Viennenſi, vt refertur in Clementina vnica de *Summa Trinit* & antea Innoc. 3. in cap. *maior. de baptiſm.* ſolum vt probabiliorem admiſerunt ſententiam affirmantem fidem eſſe habitum. Sed hæc probatio eſt inefficax, quia bene poterat tunc, vt probabilis ſolum admitti hæc ſententia, & poſtea in Concilio Tridentino definiri, vt de fide certa. Quare ſolum probatur, quia vt aliqua propoſitio ſit de fide neceſſarium eſt, quod vel ſit expreſsè contenta in Sacra Scriptura, vel ab Eccleſia expreſsè definita, vel per certam traditionem deriuata: ſed fidem eſſe habitũ, nec eſt expreſſum in Sacra Scriptura, neque etiam in aliquo Cõcilio, aut definitione Eccleſiæ, nec habetur per certam traditionem, ergo.

2. pars. Secunda vero pars, nempe eſſe erroneum, vel errori proximum, vel adminus temerarium, negare fidem eſſe habitum. Probatur. Et quantum ad hoc, quod dicimus de temerario eſt clara, & manifeſta, quia modo eſt contra torrentem Theologorum: etſi olim de ea fuerint diuerſæ opiniones: propoſitio autem temeraria dicitur illa, quæ eſt contra torrentem Theologorum. Eſſe verò errorem, aut errori proximum, probatur; nam illa propoſitio dicitur erronea, ſeu errori proxima, quæ opponitur alteri, quæ per neceſſariã conſequentiam deducitur ex aliqua de fide: ſed ex adductis ſupra ex Concilio Tridentino, maximè, quia definiuit, fidem eſſe donum creatum, & permanens, infertur per neceſſariam conſequentiam eſſe habitum; præſertim loquendo de paruulis, in quibus fides non poteſt cum fundamento dici aliud quam habitus, cum non ſint capaces actus: erroneum ergo eſt negare fidem eſſe habitum.

Euaſio præcluſa. Fateor quidem aliquem poſſe dicere fidem eſſe quid permanens, ſed non habitam, ſed vel aliam ſpeciem qualitatis, potentiam, vel diſpoſitionem, vel etiam dicere non eſſe qualitatem, ſed relationem. Hæc tamen euaſu, etſi facere poſsit non eſſe hæreſim negare fidem eſſe habitum; tamen non tollit quominus ſit erroneum, vel errori proximum, vt diximus. Quia euidenter falſum eſt, fidem eſſe aliquid ex aſſignatis; non enim poteſt eſſe naturalis potentia, tum quia fides eſt ſupernaturalis; tum quia nulla potentia inhæret alteri potentiæ, fides autem inhæret intellectui: tum quia eſt virtus, quæ eſſentialiter debet eſſe habitus: nec etiam poteſt eſſe potentia ſupernaturalis, quia hęc oritur neceſſario ex ſubſtantia ſupernaturali tanquam propria paſſio ipſius; ſubſtantia autem ſupernaturalis dabilis non eſt, ſaltem de potentia ordinaria: ſimiliter nec poteſt dici eſſe diſpoſitionem, quia hæc eſt facile mobilis à ſubiecto, fides autem eſt permanens, vt vidimus ex definitione Tridentini: tandem neque poteſt dici eſſe relationem, tum quia relatio non producitur, ſed comproducitur ad poſitionẽ fundamenti: fides autem producitur a Deo, tum etiam, quia relationi conueniunt multa, quæ fidei nequeunt conuenire, vt de ſe patet; ergo.

Solutio fundam. contrar. Vnde ad fundamentum primæ ſententiæ dico tantum concludere ſecundã partem noſtræ concluſionis, non verò primã, cum non ſit expreſsè definitum, aut contentum in Sacra Scriptura fidem eſſe habitum.

Quæſtio ſecunda,

Qualis habitus ſit fides.

Suppoſitiones. SVppono primo eſſe habitum intellectualem, prout conſtat ex dictis, & conſtabit ex dicendis. Secundò, eſſe virtutem, quia eſt habitus bonus inclinans intellectum ad actum infallibiliter verum, quod eſt bonũ, & magna perfectio ipſius: & quia illi competunt definitiones virtutis,

tis, quas adduximus *Tom. 2. Tract. 4. disput. 3. quæst. 1.* Tertiò suppono, esse vnum & simplicem habitum, seu simplicem qualitatem secundum speciem: habet enim vnum, & simplex obiectum formale, scilicet primam veritatem reuelantem, vt dictum est in superioribus: vnde ad Ephes 4 dicitur ***vnus Deus, vna fides***. Et ita tenent communiter Doctores. Solum est difficultas, an sit habitus practicus, aut speculatiuus, seu vtrumque.

Verior sententia.

In quo, missa sententia Scoti, Durandi, Henrici, & aliorum ex antiquis Scholasticis, quorum aliqui eam simpliciter practicam, alij simpliciter speculatiuam appellant, nos consequenter ad dicta de *Theologia* scientia *Tom. 1. Tract. 1. probem. disp. 1. quæst. 5.* dicimus, fidem esse simul practicam, & speculatiuam. Ita indicat Sanct Thom. quæst. 3. art. 2. *ad tertium*, & clarius 1. par. quæst. 1. art. 4. & est communis Theologorum, quam etiam ex nostris tuetur Philippus à Sanctiss. Trinit. Tom. 3. disp. 5 dub. 2 Probatur primò ex dictis, & à simili de Theologia loco relato; quę eo præsertim concludūt intentum, quod fides comparatur cum Theologia, sicut habitus primorum principiorum cum habitu conclusionum; ex hoc enim sequitur tendere ad eundem finem; ac per consequens, quod quemadmodum Theologia est simul practica, & speculatiua, sic etiam fides. Secundò à priori, ratione eo loco adducta. Quia ille habitus intellectualis est simpliciter speculatiuus, cuius finis est mera, & sola speculatio sui obiecti; & ille habitus est simpliciter practicus, cuius finis est aliqua operatio: sed finis habitus fidei, quatenus versatur circa aliqua obiecta, est mera, & sola speculatio illorū; quatenus verò versatur circa alia, est aliqua operatio: ergo fides est simpliciter speculatiua, & practica. Min. prob. quia quatenus versatur circa speculabilia, scilicet mysterium Trinitatis, Incarnationis, attributa Dei, Angelos, Animam rationalem, & similia, solum contemplatur ipsa: quatenus verò versatur circa practicabilia, scilicet actus humanos, opera meritoria, cōfectionem, vel susceptionem Sacramentorum, ac similia, non solum considerat ipsa, sed etiam tradit modum, quo illa sūt exercenda in ordine ad beatitudinem, vel etiam cultum, & honorem Dei: ergo. Tertiò, etiam à priori, quia fides tam ex parte obiecti formalis *quo*, quam obiecti formalis *quod*, procedit speculatiuè, & practicè, ergo est simul speculatiua, & practica: antecedens probatur, primò, de obiecto *quo*, quod est diuina reuelatio, quia sub ipsa cadunt tam speculabilia, quā practica, & modus illa attingendi tam *speculatiue*, quam *practicè*. Rursus ex parte obiecti *quod*, quod diximus esse *Deum*, quia tam tradit cognitionem de ipso, prout est in se, quod est tradere modum attingendi illum *speculatiuè*; quam prout est adipiscibilis, & consequibilis nostris operibus, quod est tradere modum attingendi illum *practicè*: ergo etiā ex parte sui obiecti simul speculatiua, & practica.

Quorund. doctrina impugnat.

Sed dices cum Durando, impossibile esse eundem habitum esse simul practicū, & speculatiuum, eò quod practicum, & speculatiuum continent conditiones oppositas, & inter se se repugnantes: speculatiuum n. est propter se requisitum, practicum verò propter aliud, scilicet operationem, quæ repugnant eidem rei. Propter quod argumentum Caietanus, & aliqui Thomistæ dicunt fidem non esse formaliter practicam, & speculatiuam, sed eminenter tantum modo, atquè adeo non esse inconueniens, quod includat rationes istas inter se se repugnantes. Cæterum falsum videtur asserere fidē tantum esse *eminenter* practicā & speculatiuam; non verò *formaliter*. Quæro enim quid sit *formaliter* fides; est ne *formaliter* tantum practica, vel *formaliter* tantum speculatiua, vel *formaliter* quid abstrahens à practica & speculatiua. Si dicatur primum, aut secundum, id apparet esse falsum ex argumentis nostræ conclusionis. Si verò dicatur tertium, penitus est in intelligibile, quod sit aliquis habitus intellectualis, qui nec sit *formaliter* practicus nec *formaliter* speculatiuus: eo quod omnis habitus intellectualis vel est propter aliquam operationem, tanquā propter finem, vel non est propter illam, si primum, est speculatiuus, si secundum, est practicus. Deinde secundo, fidem esse *formaliter* practicam, & speculatiuam probatur exemplo Theologiæ, quę vtramque rationem formalem complectitur, vt diximus loco relato. Tertio, quia ille habitus est *formaliter* practicus, qui est principium dirigens intellectum ad praxim, seu operationem; & ille habitus est *formaliter* speculatiuus, qui dirigit ad speculationem, seu actionem merè speculatiuā: sed vtrumque habet formaliter fides: aliquando enim dirigit ad operationem, vt quando præscribit modum efficiendi actus humanos bonos, vel meritorios, vel quo modo sunt administranda, vel recipienda Sacramenta, &c. aliquando verò dirigit ad cognitionem merè speculatiuam, vt quando ostendit Deum esse Trinum, Verbum Diuinum esse incarnatum, Angelos, & Animas nostras esse immortales, &c. ergo vere fides est habitus formaliter practicus, & speculatiuus.

Respōsio

Quare ad difficultatem respōdeo, quod cum dicitur practicum, & speculatiuum continere conditiones oppositas, & inter se se

se se repugnantes, intelligendum est respectu actuum: repugnat enim, quod aliquis actus sit simul practicus, & speculatiuus; non vero est intelligendum respectu habituum, qui sunt principia talium actuum. Quemadmodum enim intellectus est potentia simul practica, & speculatiua, quia est principium actuum, quorum aliqui sunt practici, & aliqui speculatiui, ita etiam habitus fidei est simul practicus, & speculatiuus, eo quod est principium elicitiuum aliquorum actuum, qui sunt practici, & aliorum, qui sunt speculatiui, vt ostensum est. Alia ad intentum huius difficultatis sumi possunt à simili ex his, quæ diximus loco relato ex primo Tomo.

Quæstio tertia.

Quomodo fides comparetur cum charitate.

Prælud. DIco primo, fides comparatur cum charitate, tanquam cum forma extrinseca ipsius. Sic communiter Scholastici cum Magistro in tertio distinct. 23. & Theologi cum Sancto Thoma *quæst. 4. artic. 3.* & ex nostris Ioannes Beetz in præcept. Decalog. circa primum præceptum exposit. prima cap 2. & 3. vbi plura docte satis, & Vvaldensis, qui propterea Tomo secundo de Sacramentis cap. 6. ait, quod fides formata est idem quod *Charitate vestita*. Colligitur primò ex locis Sacræ Scripturæ, præsertim ex illo primæ Corinth. 13 *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil sum*: & Iacob 2. *Fides sine operibus mortua est*. Secundò, ex pluribus PP. qui charitatem vocant, *matrem, animam*, seu *vitam fidei*. Tertiò, ex communi etiam proloquio, quo Theologi dicũt: Virtutes omnes sine charitate esse informes. Denique, quia iuxta dicenda Tract. 3. disput. prima, quæst. 6. charitas præbet pulchritudinem fidei, ordinando illam in summum bonum, quod est finis charitatis, & reddendo illam meritoriam vitæ æternæ, quod est dare illi vitam: nam vita in motu, & operatione consistit, vt propterea aquæ, quæ non mouentur, & arbores, quæ non emittunt flores, aut frondes, dicuntur mortuæ. Dicitur autem charitas forma fidei, non quidem quia sit forma physica illius, cum illam non informet, sed solum moralis, ob rationes assignatas: ob quas etiam respectiuè dicitur etiam forma aliarum virtutum.

Vnde dico secundo. Fides potest dari se- Secunda. parata à charitate, & esse informis. Est conclusio de fide definita à Concilio Tridentino sessio. 6. cap. 15. & can. 28. illis verbis. *Si quis dixerit amissa per peccatum gratia, simul, & fidem semper amitti, aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, anathema sit*. Colligitur etiam ex Sacra Scriptura Matth. 7. illis verbis: *Multi dicent mihi illa die, Domine, Domine, & tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos*. Et Ioann. 12. ibi. *Multi ex Principibus crediderunt in illum, sed non audebant illum confiteri: dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam Dei*. Maximè ex illo 1. Corinth. 13. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum*. Et ex toto cap. 2. epistola D. Iacobi, vbi supponitur dari posse fidem sine operibus, ideſt sine charitate. Idem etiam colligitur ex multis testimonijs PP. apud recentiores; & ex ratione Metaphysica. Quia ea quæ realiter distinguuntur realiter possunt separari. Cum enim fides, & charitas realiter distinguantur, realiter etiam separari possent. Deinde, quia sola infidelitas, non aliud peccatum quantumuis mortale, opponitur fidei, ergo quamuis per ipsum destruatur charitas, non tamen destruetur fides; ac proinde poterit dari separata à charitate. Quod autem à charitate separata sit informis, patet ex dictis. Quia scilicet deficit illi pulchritudo, & vita, quam habet à charitate.

Dico etiam tertio, fides à charitate separata est vera fides. Ita etiam definitur Tertia. à Concilio Tridentino sess. 6. can. 28. verbis supra relatis. Deinde ex illo Ioan. 12. & primæ Corinth. 13. etiam relatis; ac ex ratione etiam adducta. Quia ea, quę realiter distinguuntur, realiter etiam separata conseruant suam naturam, & essentiam.

Consequenter etiam dico quarto, fides informis, seu, quod idem est, à charitate Quarta. separata, est vera virtus quoad essentiam virtutis, licet non quoad statum, seu perfectionem accidentalem. Sic fermè Bachonius in tertio distinct. 27. quæst. vnica, art. 2. & eius discipulus Silueſtranus etiã in tertio lect. 73. ac Philippus à Sanctissima Trinitate Tom. 3. disput. quinta, dubio 4. Ratio primæ partis sumitur ex dictis pro tertia conclusione: si enim, vt determinat Concilium, & colligitur ex testimonijs SS. Scripturæ, & PP fides separata à charitate est vera fides; rectè sequitur esse veram virtutem quoad essentiam virtutis. Siquidem fides est virtus, & vera fides debet esse vera virtus, sicut verus homo, est verè rationalis. Confirmatur primò, quia ea est vera virtus, quæ vere est dispositio perfecti ad optimum, iuxta definitionem virtutis traditæ ab Aristotele 3. physicor. sed fides etiam separata à charitate, est

dispositio perfecti, scilicet intellectus, ad optimum, scilicet actum credendi reuelatis à Deo, qui est optimus, cum sit infallibilis, & certissimus: ergo est vera virtus. Secundò, quia fides, & charitas essentialiter differunt: ergo essentia vnius est independens ab essentia alterius: ac per cõsequens separata à charitate erit vera virtus. Ratio vero 2. partis est, quia separata à charitate caret illa speciositate, & pulchritudine quam haberet, si non esset ab illa separata, scilicet ordinatione in summum bonum, quod est finis, & obiectum charitatis, & esse meritoriam.

Oppositio hæreticor.

Contra dicta tamen se opponunt Lutherani, & Caluinistæ, dicentes, fidem non posse à charitate separari, & fidem, quæ sine charitate est, non esse veram fidem, & consequenter, nec veram virtutem. Vnde distinctionem illam de fide formata, & informi, quam cõmuniter tradunt Scholastici, veluti vanam relinquunt. Probatur primo ex locis SS. Scripturæ in quibus videtur haberi non esse fidem veram sine charitate. Etenim 1. Ioann. 2. dicitur: *Si quis dicit se nosse Deum, & mandatum eius non custodit, mendax est, & in eo veritas non est*: & Iacob 2. *Fides sine operibus mortua est in semetipsa*. Ex quo infertur; ergo non est vera fides, sicut homo mortuus non est verus homo. Similiter, quia idem Iacobus, fidem sine operibus dicit esse fidem dæmonum, dæmones autem non habent veram fidem: ergo. Secundò ex PP. præsertim Hieronymo, Gregorio, Bernard. & Beda, qui solam veram fidem appellant eam, quæ est cum charitate.

Solution.

Sed respondeo, quod attinet ad locum illum 1. Ioann. 2. illud *nosse Deum* non significare solam fidei cognitionem, sed cognitionem practicam, & salutiferam cum effectu dilectionis, quomodo Exod. 3. dicitur *noui te*, & ad Timot. 2. *Cognouit Dominus qui sunt eius*: & de hac cognitione verissimè dicitur; *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est*. Sic fermè Lorca, & Cornelius, Vel secundo dico, quod esto per *nosse Deum* intelligatur fides, nihilominus qui habet illam, & mandata eius non custodit, est mendax, non quia verbis falsum dicat; sed quia facto ipso ostendit contrarium eius, quod fide credunt. Ad secundum dico, dupliciter dici aliquid mortuũ, vno modo pro eo quod nullo modo habet esse; alio modo pro eo, quod etsi habeat esse, nihilominus est otiosum, & non habet illam operationem: prout diximus supra de aquis, & arboribus, quæ dicuntur mortuæ. Fides ergo sine charitate nõ dicitur mortua primo modo, prout constat ex eodem Iacobo in fine eius capitis secundi, vbi comparat fidem sine charitate corpori sine anima; corpus enim sine anima est verum corpus: solum ergo dicitur fides sine charitate mortua in secundo sensu; quia scilicet est otiosa, carens videlicet operatione meritoria, seu digna vitæ æternæ. Eodem etiam modo intelligendum est illud, quod adductum est ex eodem Iacobo: fides enim separata à charitate non comparatur quoad omnia fidei dæmonum; sed solum quantum ad hoc, quod sicut fides dæmonum caret condignitate, & merito vitæ æternæ, sic & fides separata à charitate. Pariter etiã testimonia PP. qui negare videntur fidem sine charitate esse veram virtutem, pie exponenda, de virtute perfecta quoad statum, seu perfectionem accidentalem virtutis, quia scilicet, vt dictum est, deficit illi ordinatio in finem charitatis, & ratio meriti: non verò de virtute quoad essentiam, & naturam virtutis. Quo etiam exponendi sunt plures Scholastici, imo D. Thom. hic q. 4. art 5. & 1. 2. q. 65. art. 4. & 71. art. 4.

Quæstio quarta.

An fides sit prima inter virtutes.

Duplex prioritas.

DE duplici genere prioritatis potest hæc quæstio procedere: primo quidem de prioritate dignitatis, ideſt, an fides sit dignior, & excellentior alijs virtutibus: secundo, de prioritate originis, seu generationis, an scilicet producatur priùquam aliæ virtutes. De primo dicimus Tract. 3. de Charitate disput. 1. quæst. 5. de secundo verò in præsenti. Nec est quæstio de paruulis, quia certum est illis infundi simul in Baptismo fidem, spẽ, & charitatem, ac alias omnes virtutes per se infusas. Solum ergo procedat de adultis.

1. sentẽt.

Et prima sententia dicit respectu illorum nunquam fidem esse primam virtutem origine, seu generatione, sed semper infundi simul cum gratia, ac per consequens cum charitate, & alijs virtutibus. Ita Durandus, Scotus, Aragonius, Malderus, & Cardinalis Lugo. Fundamenta huius sententiæ sunt primò, ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 7. vbi loquens de prima iustificatione, quæ fit per Baptismum, dicit: *Vnde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem*. Ex quibus clarè videtur inferri, nunquam

in

infundi fidem, aut ſpem ante charitatem, vel ſine charitate, ac per conſequens, quod homini peccatori illam Deus non infundat exiſtenti in peccato. Idem argumentum fieri poteſt ex Clementina Vnica de *Summa Trinitate*, vbi cenſetur probabilior ſententia quæ affirmat, ſimul cũ gratia infũdi omnes virtutes. Deinde ſecũdo, quia ſi fides poſſet infundi à Deo ante gratiam, & charitatem, maximè quia peccator, ſeu infidelis antequam accedat ad Baptiſmum poteſt habere actum fidei, & per illum ſufficienter diſponi ad hoc quod illi infundatur habitus: ſed hoc eſt falſum: ergo. Probatur minor, primo quidem ex Vega, quia fides ſecundum ſuam ſubſtantiam eſt magnum donum Dei, ergo indecens eſt quod infundatur homini inimico, ſcilicet peccatori, quia hoc eſſet proijcere margaritas porcis. Secundo, ex Soto, quia homo in mortali exiſtẽs ante Baptiſmum non eſt Chriſtianus; ergo non habet fidem: ac per conſequens non infunditur illi fides ante gratiam, & charitatem. Tertiò ex Lugo, quia alias nunquam Baptiſmus cauſaret fidem in adulto accedente ad illum, quod eſt contra dictam Clementinam, & Concilium Tridentinum relata, vbi id ſupponitur. Sequela autem probatur, quia accedens ad Baptiſmum, neceſſario debet habere actum fidei tanquam diſpoſitionem ad ipſum: ſi ergo fides ſemper confertur à Deo homini diſpoſito per actum fidei, nunquam daretur per Baptiſmũ adulto, ſed ſupponeretur data. Quarto, ex eodem, quia ſi fidei habitus poteſt conferri adulto ante charitatem, eo quod actus fidei ſit ſufficiens diſpoſitio ad habitum; ergo ſimiliter ante charitatem poteſt augeri fides ſi repetantur actus fidei: ex quo ſequeretur fidem poſſe eſſe magis intenſam quam charitatem, & gratiam; cum tamen hoc ſit incredibile, cum fidei habitus ſit paſſio gratiæ, & charitas ſit prima paſſio ipſius gratiæ.

Sententia probabilior. Nihilominus probabilior eſt oppoſita ſententia, ſcilicet, fidem poſſe infundi, & de facto infundi à Deo ante gratiam, & charitatem, quoties homo, etiã peccator, ſe diſpoſuerit per actum credendi. Ita S. Thom. hic quæſt. 6. art. 2. dum in corpore ait, quod fides informis ſit donum Dei, & ad tertium, quod aliquando datur à Deo credere ſine charitate. Et ita tenent Caietanus, Bañez, Suarez, Vaſquez, Valentia, Lorca, Granadus, Tannerus, Amicus, & ex noſtris Salmanticenſes in 1. 2. quæſt. 62. art. 4. animaduerſ. 2. & Philippus à Sanctiſſima Trinitate tom 3. diſp. 5. dub 6 Probat eam Bañez, ex Diuo Auguſtino dicente, quod Cathechumenus licet ſit concubinarius, poteſt habere fidem ante Baptiſmum. Secundò, ex authoritate Eccleſiæ in cap. *veniens de presbytero non baptizato*, vbi ſupponitur Cathechumenum eſſe membrum Eccleſiæ, etiam ante Baptiſmum, quamuis ſit peccator: membrum enim Eccleſiæ non conſtituitur, niſi per fidem. Deinde rationibus. Prima eſt, quia fides in ſua ratione eſſentiali nõ pendet à charitate in conſeruari; nam vt eſt oſtenſum in ſuperioribus poteſt eſſe ſine illa: ergo neque pendet in fieri, aut in productione, ac per conſequens, poterit produci ſine charitate: nulla enim ratio poteſt aſſignari quare hi habitus non ſint connexi in conſeruari, & ſint connexi in fieri. Secunda eſt, quia homo habẽs actum fidei ſufficienter diſponitur ad hoc, quod Deus infundat illi habitum fidei: nulla enim alia diſpoſitio ad fidei habitũ requiritur, præter actum: ſed homo exiſtens in peccato, ſiue ante Baptiſmum, ſiue poſt illum, poteſt habere ex auxilio Dei actum fidei, vt ſupponitur in Concilio Arauſicano Canone 25. & in Tridentino ſeſſ. 6. cap. 6 ergo poterit recipere habitum fidei à Deo, & de facto recipiet ante gratiam, & charitatem. Denique quia homo poteſt accedere ad Sacramentum Baptiſmi cum ſufficienti diſpoſitione ad recipiendum habitum fidei, & characterem Baptiſmalem, non autem gratiã, & charitatem: habebit ergo ex vi Baptiſmi fidei habitum, & characterem; non autem gratiam, & charitatem.

Solutio argumentorum. Vnde ad primum argumentum dico, intentum Cõcilij eſſe quod in inſtanti iuſtificationis infundantur fides, ſpes, & charitas, ſi non ſint iam infuſæ, vel ſaltem quod augeãtur caſu quo iam ſint infuſæ: ſicut etiam in omnium ſententia, ſi ante Baptiſmum aliquis haberet actum contritionis, vel charitatis, non reciperet in illo habitum gratiæ, aut charitatis, ſed ſolum augmentum. Secundo dico, non loqui Concilium de iuſtificatione, prout dicit ſolum productionem gratiæ iuſtificantis, ſed prout dicit totam ſeriem auxiliorum, actuum, & diſpoſitionum, quæ ad iuſtificationem requiruntur, & in hoc ſenſu verbum illud *ſimul* non ſumitur pro ſimultate temporis, quaſi in eodem temporis inſtanti infundantur illi tres habitus, ſed pro ſimultate, & collectione habitum, quaſi dicat, omnes illos collectiue ſumptos accipere hominem in diſcurſu iuſtificationis. Eodem modo reſpondeo ad Clementinam illam adductam. Poteſt etiam dici, quod caſu quod eſſet neceſſarium exponere illud *ſimul* pro ſimultate temporis, intelligendum id eſſet, iuxta doctrinã Caietani, quod videlicet in iuſtificatione accipiat homo has virtutes, non ſimpliciter, ſed in ratione virtutum formatarum, ſeu quoad ſtatum

Digitized by Google

virtutum, iuxta dicta quæst. præcedenti. Quo sensu intelligitur S. Thomas 1. 2. q. 62. art. 4. dum ait, habitus fidei, spes, & charitatis, simul infundi. Ad secundum argumentum concessa maiori, nego minor. & ad primam probationem nego esse indecens Deum infundere fidem humanam peccatori; potius enim decet eius infinitam misericordiam, vt homini, qui habet actum fidei etiam si peccator sit, infundat habitum; eo quod, vt dictum est, per talē actum sufficienter se disponit ad habitum. Ad secundam, falsum est profecto assumptum Soti, scilicet Cathechumenum non esse Christianum, cum enim habeat fidem. & sit fidelis, Christianus erit, est & membrū Ecclesiæ Christi De quo alibi. Ad tertiam nego sequelam, & ad eius probationem dico, quod quamuis requiratur in adulto actus fidei ad Baptismum, nihilominus non est necessarium quod habeat illum antecedenter, sed potest contingere, quod solum habeat illum, dum actualiter baptizatur, quo casu infunderetur illi habitus fidei ratione Baptismi, & ratione actus fidei, vt benè Suarez, & Turrianus. Addo etiam, quod quamuis admitteretur nunquam Baptismum causare fidem in adulto, nihilominus semper causat illam in paruulis, & quantum est ex se in adultis, & saltem in illis causat augmentum ipsius, & causat ipsam in ratione fidei formatæ. Ad quartam, concedo sequelam, prout expressè eam concedunt Tannerus, & Amicus, pro quo etiam videndi Bañez, Valentia, & Lorca. Et ad impugnationem dico, non esse inconueniens, quod fides sit magis intensa quam gratia, & charitas; quia licet sit passio, seu proprietas gratiæ, & inter has proprietates Charitas sit prima; nihilominus, quia ipsa est habitus præparatorius, & dispositorius remotè ad iustificationem, ideo illam præcedit, & sicut potest conseruari sine gratia, sic & sine illa augeri. Quæ ratio non procedit in alijs virtutibus moraliter infusis, quæ, cum sint solummodo proprietates gratiæ, nec possunt conseruari, aut augeri sine illa, aut esse intensiores ipsa.

De spe. Hæc porrò, quæ diximus de fide, scilicet posse infundi, conseruari, & augeri sine charitate, etiam est dicendum de spe alia virtute Theologica, prout dicunt, vel supponunt Authores relati, & constabit ex dicendis Tractatu sequenti.

Quæstio quinta.

An fides sit certior alijs virtutibus intellectualibus.

Certitudo quid sit.

SVppono primo, ex dictis Tom. secundo, Tract. 7. disputat. sexta, quæstio 5. quod certitudo est firma adhæsio intellectus alicui propositioni excludens omne dubium circa illam. Secundò, quod certitudo ista est duplex; alia *obiectiua*; ea videlicet, quę sumitur solum ex ratione motiua obiecti, qualis est ea, quæ sumitur in scientijs ex demonstrationibus, vel etiam in rebus sensibilibus ex ipsa sensatione: alia *subiectiua*; ea scilicet, quę petitur non ex ratione motiua obiecti, sed ex proteruia, praua voluntate, vel etiam ex inclinatione subiecti, seu habentis talem certitudinem: qualis est ea, quam habent aliqui de suis opinionibus, vel etiam erroribus.

Conclus. Quibus positis, dicendum, fidem esse certiorem secundum se, & ex parte obiecti, omnibus virtutibus intellectualibus seu cognitionibus naturalibus, etiam euidentibus: ex parte vero subiecti, seu quoad nos est minus certa quam illæ. Ita S. Thomas quæst. quarta artic. 8. Caietanus, Bañez, & ex nostris Siluestranus in 3. lect. 72. & Philippus à Sanctissima Trinitate, Tom. 3. disput. 3. dubio octauo, aliiq; recentiores communiter, secuti antiquiores, contra paucos alios. Probant primam partem nonnulla testimonia Sacræ Scripturę, & plura SS. PP. ab eisdem recentioribus relata. Deinde probatur à priori, quia ille habitus, seu etiam actus, est secundum se, & ex parte obiecti, certior alijs, qui innititur motiuo, seu rationi formali certiori, & magis infallibili; eo quod perfectio causæ redundat in effectum: sed fides est huiusmodi: ergo. Minor probatur, quia innititur primæ veritati reuelanti, aut testimonio diuino, quod sine dubio est motiuum certius, & magis infallibile, quam lumen naturale, cui innituntur alię virtutes naturales, quæ sunt intellectus, sapientia, scientia, ars, & prudentia. Secundò, à posteriori, quia homo fidelis debet esse, & in actu primo est paratus exponere vitam pro quacunque propositione, aut veritate fidei; non autem est, aut debet esse paratus mori pro alia quacunque veritate naturali etiam euidenter cognita: signum ergo est, fidem esse certiorem secundum se, & ex parte sui obiecti quacunque alia virtute naturali, etiam euidenter cognita.

Secunda

Probatio 2. partis.

Secunda vero pars probatur experientia, qua conſtat, plures prius Catholicos incidere in hæreſim, & negare aliquas propoſitiones de fide, vel ſaltem dubitare de illis; cum tamen nullus neget, nec negare audeat veritates primorum principiorum, aut concluſiouum, quæ ex illis neceſsario ſequuntur, aut alias res euidenter certas: quod eſt ſignum, veritates fidei non eſse certiores quoad nos, & ex parte ſubiecti, quam veritates naturales euidentes. Cuius etiam ratio eſt, quia motiuum fidei diuinæ eſt minus proportionatum intellectui, quam motiua veritatum naturalium: nec eſt euidens, & clarum, ſicut illa: nec cogit, aut conuincit ipſum, prout faciunt illa: ergo quoad nos & ex parte ſubiecti non eſt fides certior illis.

Concl. 2.

Dico ſecundo, comparando fidem cum lumine gloriæ, aut viſione beata, iſta ſunt magis certa, ex parte obiecti, & ex parte ſubiecti quam fides. Ratio eſt, quia habent obiectum, & motiuum efficacius ad determinandum intellectum ad aſſenſum, ſcilicet, Dei eſſentiam clarè, et intuitiuè præſentem per ſe ipſam, vel per ſpeciem propriam, ſi dabilis eſt: at vero fides non habet niſi diuinam reuelationem obſcure cognitam.

Tertia.

Dico tertiò, comparatione facta inter fidem, & alios habitus cognoſcitiuos, ſeu cognitiones ſupernaturales viæ, quales ſunt *Prophetia*, *ſcientia infuſa*, *Prudentia infuſa*, dona Spiritus Sancti, vocata *ſcientia*, *ſapientia*, *conſilium*, *& intellectus*, & *fides*, quæ eſt vna ex gratijs gratis datis, & *Theologia*; fidem eſſe certiorem illis ſecundum ſe, & ex parte obiecti formalis. Ratio eſt, quia innititur etiam immediatè nobiliſsimo motiuo, ſcilicet diuinæ reuelationi, quod eſt ſuperius quocunque alio motiuo illorum habituum, & actuũ, vt conſtabit diſcurrenti. Dixi autem *ſecundum ſe*, *& ex parte obiecti formalis*, quia ex parte ſubiecti, ratione euidentiæ, quam aliqui illorum, v. g. ſcientia infuſa, habent, vel poſſunt habere, poſſunt dici certiores fide, iuxta dicta ſuperius.

Difficultates aliæ

Difficultates, quæ contra iſtam doctrinam ab aliquibus obijciuntur ſolui poſſunt ex dictis: de quibus etiam Doctores ſupra relati; ac de fidei certitudine Vvaldenſis noſter contra Vviclephum, Tom. 3. tit. 10. cap. 101.

Quæſtio ſexta:

An fides poſsit vitiari ex aliqua prauacircunſtantia.

Fidem vitiari quid ſit.

Fidem vitiari, quod attinet ad præſens intentum, non eſt aliud quam quod aliquis fidei actus, qui verſatur circa obiectum illius, reddatur malus ob defectum alicuius bonæ, aut appoſitionem alicuius prauæ circunſtantiæ. Proquo videnda quę diximus Tom. 2. Tract. 2. diſput. octaua, quæſt. 11.

1. ſentent.

Prima ſententia, & ſatis probabilis eſt negatiua, quam tradunt Bañez, Suarez, Vaſquez, Tannerus, Turrianus, Amicus, Coninck, & alij. Fundamenta ſunt, primò, ex Diuo Auguſtino lib. de Cathechyzandis rudibus cap. quinto dicente: *Rariſsimè quippe accidit. Imo vero nunquam, vt quiſquam veniat volens fieri Chriſtianus, qui non ſit aliquo Dei timore perculſus: ſi enim aliquod commodum expectãdo ab hominibus vult fieri Chriſtianus, non fieri vult prius quam fingere: fides enim non eſt res ſaluandi corporis, ſed credentis animi.* Secundò, quia eadem eſt ratio de actu fidei, ac de actu ſpei virtutis Theologicæ: ſed actus ſpei nequit vitiari: ergo neque fidei. Minor probatur, tum ex D. Thom. infra quæſt. 17. artic. 1. ad primum dicente, *ſpe attingente Deum neminem poſſe male vti*: tum quia inintelligibile videtur, quod aliquis ſperet à Deo beatitudinem apponendo aliquam prauam circunſtantiam. Tertio, quia actus fidei infuſæ petit procedere ex auxilio gratiæ ſupernaturali dato ex meritis Chriſti: ſed tale auxilium non conceditur ad actũ malum; aliàs diceretur Chriſtum mortuum fuiſſe, vt conferret nobis auxilium ſupernaturale ad peccandum: ergo actus fidei non poteſt eſſe malus, ac per conſequens nec vitiari. Idem argumentum fieri poteſt de voluntate ſupernaturali requiſita ad credendum. Quartò, quia nec actus charitatis vitiari poteſt, quia eſt ſupernaturalis, nec actus prudentiæ, quia eſt virtus intellectualis: ergo nec actus fidei, qui amplectitur vtramque rationẽm, nam eſt ſupernaturalis, & intellectualis.

Secunda.

Secunda ſententia ſpeculatiuè probabilior, affirmat actum fidei poſſe vitiari. Hãc tenent Caietanus, Medina, Salas, Monteſinos, & Ripalda: eamque ex parte defendit Cardinal. Lugo de fide diſput. 10. num. 91. qui etiam num. 93. refert Suarez, & Grana-

Digitized by Google

& Granadum; inclinant etiam Salmanticenses nostri in 1.2. tract. 11. disput. sexta dub. 1. num. 32., & Philippus à Sanctissima Trinitate Tom. 3. disput. quinta. dub 5. & fauet valde Sanctus Thomas infra q 47 art 13. dicens, quod *fides in sui ratione non importat aliquam conformitatem ad appetitum rectorum operum.* Clarius 1.2.q.65 art 4. quod fides, & spes *secundum proprias rationes, nec à prudentia, nec à charitate dependent*: Ex ijs enim satis denotatur fidem vitiari posse ex aliqua praua circunstantia.

1. cõclus. Dico ergo primo, conformiter ad hanc sententiam, voluntas credendi, seu actus voluntatis prærequisitus ad credendum vitiari potest aliqua praua circunstantia. Sic colligitur ex Authoribus secundæ sententiæ. Et probatur ex Diu. Augustino in dicto libro de catechizandis rudibus capit. 17. dicente: *Sunt enim, qui propterea volunt esse Christiani, vt, aut promereantur homines, à quibus temporalia commoda expectant, aut quia offendere nolunt quos timent.* Ex quibus tale desumitur argumentum. Pia affectio, seu voluntas credendi potest imperari ab alia mala volũtate antecedenti, scilicet ambitionis, aut prauę cupiditatis, vt constat ex verbis D. Augustini adductis: ergo potest vitiari. Patet consequentia, quia non alia ratione vitiari possunt actus alias boni ex obiecto, nisi quia imperari possunt ab alia mala voluntate. Confirmatur, quia affectio pia voluntatis, seu voluntas credendi, ideo requiritur ad assensum fidei, vt moueat intellectum ad illum: sed affectio orta ex praua voluntate ambitionis, vel cupiditatis potest mouere intellectum ad talem assensum, non minus, quam si esset bona: ergo.

Secunda. Dico secundò, etiam ipse actus fidei potest vitiari ex aliqua praua circunstantia. Ita etiam Authores secundæ sententiæ. Colligitur primo, ex præcedenti conclusione. Si enim affectus requisitus ad credendum, & ex quo imperatur ipse actus credendi, infici potest aliqua praua circunstantia, etiam actus fidei ab illo imperatus poterit participare istam infectionem: quia generale est quod actus imperans tribuat bonitatem, vel malitiam, quam habet, actui à se imperato. Deinde rationibus. Prima est veluti à priori, desumpta ex natura actus fidei: cum enim fides sit virtus intellectualis, secundum se non respicit suum obiectum sub ratione boni, sed sub ratione primi veri: ac per consequens non destruetur eius essentia per appositionem alicuius prauæ circunstantiæ. Confirmatur, quia obiectum essentiale fidei non est bonum; sed verum, scilicet Deus, vt est prima veritas reuelãs; sed verum non destruitur per malum, nisi per verum: ergo obiectum fidei non destruetur per malam aliquam circunstantiam; & ita poterit actus fidei compati cum illa. Vlterius, quia ex eo actus scientię, vel actus artis non destruuntur per malam aliquam circunstantiam, inanis glorię, vel similis, quia sunt virtutes intellectuales, quæ solum versantur circa verum: cum ergo fides sit etiã virtus intellectualis tangens suum obiectũ solũ sub ratione veri, & non sub ratione boni, non habebit aliquam incompossibilitatem cum mala aliqua circunstantia. Præterea, quia ex eo actus charitatis non potest vitiari aliqua praua circunstantia, vt diximus Tom. 2. Tract. 2. disput. octaua, q. 11. quia eius obiectum est summum bonum: similiter actus virtutum moralium, vt etiam diximus eodem loco, formaliter vt tales, non possunt vitiari aliqua etiam praua circunstantia, quia habent pro obiecto formali bonum honestum rectè circũstantiatum: cum igitur fides, prout est virtus intellectualis, & Theologica non respiciat suum obiectum, vt bonum, sed vt verum, poterit compati cum aliqua mala circunstantia. Cæterum pro maiori horum firmitate notandum, quod in actu fidei reperitur duplex bonitas, alia Theologica, seu quatenus est virtus intellectualis, quæ consistit in veritate, certitudine, & infallibilitate quam habet: alia moralis, quæ consistit in conformitate ad rationem, naturam rationem, regulas morum &c, iuxta dicta generaliter de omni virtute morali Tom. 2. ea disp. octaua q. 1. Quia ergo per appositionem alicuius prauæ circunstantiæ aufertur ab actu fidei bonitas illa moralis; eo quod ad illam requiritur obiectum bonum rectè circunstantiarum, id est, quod nullam habeat obliquitatem, seu deuiationem à regulis morum, prout etiam diximus ea disput. octaua - quæst 9. non tamen auferatur bonitas illa Theologica, quia cum illa nullam habet oppositionem, vt dictũ est; ideo vitiari poterit.

Specialior probatio. Specialiter etiam probatur conclusio, discurrendo per varias circunstantias, quibus vitiari potest actus fidei. Prima est, *finis*, quia videlicet potest imperari ab intentione vanæ gloriæ, vel similis prout Suarez in t. 2. in Tract de actibus humanis disputat. octaua, sect. prima, num. 15. dicit esse communem Doctorum sententiam, & admittit Lugo loco relato. Secunda est *temporis*. Nam si quis in casu quo tenetur attendere ad cogitandum de bono proximi ex obligatione præcepti occupet intellectum ad habendum actum fidei, quem pro tunc non tenetur habere; vitiabitur ipse actus fidei ob circunstantiam

tiam

tiam temporis: eo quod omnis actus, siue bonus, siue indifferens, qui sit impeditiuus alicuius præcepti redditur malus ratione omissionis talis præcepti, & propter circunſtantiam temporis. Tertia est *effectus*, quæ vocatur circunſtantia *quid*, vel *circa quid*: vt si aliquis saluti suę grauiter noceret nimium attendendo, seu conando ad habendum actum fidei: nam in tali casu talis actus esset vitiosus ratione nocumenti sequuti. Præterea, quia potest actus fidei fieri imprudenter, si videlicet aliquis ex leuitate animi crederet mysteria fidei non rectè examinando illa, aut personam qui illa proponit: tunc enim de eo verificabitur illud: *Qui cito credit leuis est corde*. His argumentis conatur satisfacere Vasquez, sed non euacuat ipsa, vt benè contra ipsum probat Montesinos.

Aliud fundamentũ.

Denique retorquendo præcipuum argumentum primæ sententiæ, sic probatur efficaciter nostra. Nam ex eo dicitur actum fidei, aut piam affectionem ad illum requisitam vitiari non posse, quia sunt actus supernaturales ex auxilio gratiæ procedẽtes: sed hæc ratio est nulla: ergo. Probatur minor. Primò, in gratijs gratis datis; nam potest quis vti prophetia, curatione infirmitatum, diuersis linguis &c. ex prauo fine, scilicet inani gloria, vel ambitione, & tamen sunt dona supernaturalia, ex auxilio gratiæ procedentia. Secundò, quia potest quis vti charactere Sacramentali ad consecrandum, absoluendum &c. ex prauo etiam fine; & tamen sunt istæ actiones supernaturales ex speciali Dei auxilio prouenientes. Tertiò, quia potest quis suscipere Sacramentum Eucharistię peccans venialiter in ipsa susceptione, ob indeuotionem videlicet, vel inanem gloriam, & tamen talis actus est supernaturalis, & procedens ex speciali auxilio, cum sit dispositio ad augmentum gratiæ. Idem argumentum fieri potest de adulto, qui susciperet Baptismum ex affectu aliquo inanis gloriæ, habendo tamen alios actus necessarios ad talem susceptionem; ea namque cum esset dispositio ad gratiam baptismalem, deberet esse ex auxilio Dei, & tamen esset vitiosa propter illam malam circunſtantiam appositam. Idem quoque argumentum format Card. Lugo de attritione supernaturali, quæ potest imperari ab intentione vanæ gloriæ, venialiter culpabili. Videatur noster Cornexo Tom. 1. in 1. 2. S. Thom. Tractat. 6. circa q. 8. disput. 3. dub. 2. §. *neque obstat illam*.

Solũtio contrar. argum.

Nunc ad primum primæ sententiæ ex Diuo Augustino de sumptum, dico primo, quod si aliquid probaret, id solum esset loquendo de illo, qui primo venit ad Ecclesiam, seu Baptismum, ita vt ille non possit habere actum fidei vitiosum; non de illo, qui iam est fidelis: verba enim D. Augustini tantum indicant primum. Dico secundò, esto quod extendi debeant propter similitudinem rationis, ad eum, qui iam est fidelis, negare Diuum Augustinum aliquem fieri posse Christianum, aut credere, solum ob motiuum, vel affectum ad temporalia, requiritur enim vlterius voluntas, & assensus credendi propter primam veritatem reuelantem, & de eo, qui ita non credit, verè affirmat, quod potius fingat esse Christianum, quam sit; non vero negat, quod simul cum hoc motiuo requisito ad fidẽ possit habere aliud prauum, & peccaminosum. Ad secundum, quamuis aliqui cum Montesino dicant spem virtutem Theologicam vitiari posse sicut & fidem; nihilominus probabilius est contrarium: tum propter adducta in argumento; tum etiam, quia fides, ideo, vt diximus, vitiari potest, quia habet pro obiecto verum, cui non opponitur malum, sed falsum; at verò spes, cũ sit virtus volũtatis, habet pro obiecto bonũ sub ratione boni; & ita non potest eius actus vitiari aliqua mala circunſtãtia, quia eo ipso non respiceret suum obiectum sub ratione boni, sed sub ratione mali, vtpotè boni male circunſtantiati; vt diximus Tom 2. in ea disput. 8. quæst. nona, & habent Salmanticenses nostri supra relati. Dixi probabilius esse, quod actus spei non possit vitiari, quia non caret probabilitate oppositum: si dicatur videlicet, spem respicere suum obiectum necessario sub ratione boni Theologici, quia tangit ipsum immediatè, non sub ratione boni moralis, & ita per appositionem prauæ circunſtantiæ non perdere bonitatem illam Theologicam. Ad tertium dico, quod quamuis actus fidei, aut volendi credere, sint supernaturales, & procedentes ex auxilio gratiæ, etiam supernaturali, & Deus non concedat illud nisi ad actum bonum nec Christus mortuus sit, vt illud detur, nisi in ordine ad actum bonum; nihilominus posito, quod Deus illud concedit, & Christus illud promeruerit, potest homo ex sua malitia male vti illo, eliciendo actum illum bonum cum aliqua praua circunſtantia, sicut potest, vt diximus, vti gratijs gratis datis, charactere Sacramẽtali, & alijs auxilijs datis pro actibus relatis. Neo propterea dici debet, quod Deus cõcurrat ad tales actus vitiatos formaliter, vt vitiati sunt, sed solum materialiter, prout dicitur communiter de concursu Dei ad actum peccati. Pro qua solutione videndi non solum Montesinos, & alij Authores nostræ sententię, sed etiam Lugo dicta disputat. decima num. 37. ac maximè Oniedo in 1. 2. Tract. 4 Controu. 7. punct. 1. num. 9.

Digitized by Google

num. 9. vbi etiam num. 4. concedit post plures Auctores, quos refert, actus supernaturales bonos ex obiecto posse vitiari. Ex quo etiam ad quartum dico, actum charitatis vitiari non posse ex aliqua prava circunstantia, non prouenire ex eo, quod supernaturalis est, cum constet ex dictis plures actus supernaturales posse vitiari; sed ex eo quod diximus in probatione secundæ conclusionis: similiter actum prudentiæ non posse vitiari non prouenire ex eo quod prudentia sit virtus intellectualis; cum constet, vt ibidem diximus, scientiam, & artem, idem dico de sapientia, & intellectu, quæ sunt virtutes intellectuales, posse vitiari: sed prouenire ex dictis Tom 2. disput. octaua relata, quæst. 11. quia videlicet prudentia ex sua essentia, & natura respicit obiectum bonum omnibus circunstantijs ornatum; propterea enim illi repugnat vitiari aliqua prava circunstantia: cum ergo fides non habeat pro obiecto summum bonum, sed summum verum, nec respiciat suum obiectum vt bonum rectè circunstantiatum, sed vt verum infallibile, ideo potest vitiari; quia prava circunstantia non aufert infallibilem veritatem ipsius.

Obiectio

Adhuc tamen dices; ex communiori, & veriori sententia; quam etiam secuti sumus ea quæst nona, non potest idem actus simul esse bonus, & malus: sed si actus fidei posset vitiari esset bonus ex parte sui obiecti, & malus ratione pravæ circunstantiæ, ob quam vitiatur; non ergo potest vitiari. Respondeo tamen, doctrinam illam intelligi debere de bonitate, & malitia morali; hæc enim nequit conuenire simul eidem actui, propter dicta eo loco; non tamen de bonitate Theologica, & malitia morali: in præsenti autem casu actus fidei praua circunstantia affectus, nullam haberet bonitatem moralem, sed totus esset moraliter malus ex praua illa circunstantia; retineret tamen bonitatem Theologicam, seu virtutis intellectualis, quia illi non opponitur praua illa circunstantia moralis, vt dictum est.

Dubij solutio.

Si petas, an etiam esset simul meritorius, & demeritorius. Respondeo, quoad meritum vitæ æternæ non esset talis; vt Suarez, Lorca, & alij rectius tenent, quia ad meritum vitæ æternæ requiri videtur, quod actus sit simpliciter, & vndequaque bonus. Quoad meritum vero augmenti fidei, cum, iuxta dicta supra quæst. quarta, possit fides etiam in peccatore augeri meritoriè, non est inconueniens dicere talem actum fidei praua circunstantia vitiatum, ratione illius circunstantiæ esse demeritorium, ratione vero bonitatis virtutis Theologicæ, quam habet, esse meritorium. Sic colligo ex Ripalda, Martinez, & alijs, quos refert, & sequitur Ouiedo in 1. 2. Tract. nono: controu. 3. punct. sexto.

DISPVTATIO VII.

De subiecto fidei.

Quæstio prima.

Qui sunt capaces habendi fidem.

Subiectum fidei quod

NOn est quæstio de subiecto proximo, & immediato fidei, quia certum est ex dictis, & dicendis, illud esse intellectum creatum: eo quod fides sit virtus intellectualis, & assensus fidei sit actus intellectus, sed procedit de subiecto remoto, an scilicet illud sit Angelus, & homo, & in quo statu, viatoris, Beati, vel etiam damnati.

Certum.

Et primo pro certo omnibus est, homines iustos capaces esse fidei, imo eam habere. Sunt enim viatores, ac proinde per fidem ambulantes, iuxta Paulum 2. *Corinth.* 5. Sunt quoque in gratia constituti, ad quam sequuntur omnes virtutes infusæ, maxime Theologales, qualis est fides. Possunt etiam mereri per opera supernaturalia; ad quæ prærequiritur fides. Secundò suppono ex dictis Tom. 1. Tract. 6. disput. 7. quæst. prima, & Tract. 7. disput. 3. quæst. 7. tam Angelos in prima sua creatione, quam homines in statu innocentiæ habuisse fidem. Sic enim communiter admittunt Doctores, vno, vel alio excepto. Et colligitur primo ex illo ad Hebr. 11. *sine fide impossibile est placere Deo*. Secundò, quia tam Angeli, quam homines pro illo statu fuerunt viatores, & potuerunt mereri apud Deum: ad vtrũq; autem, vt diximus, requiritur fides. Quin etiam addendum, eam fidem fuisse eiusdem speciei cum nostra. Tum, quia innitebatur eidem rationi formali, scilicet testimonio diuino, seu primæ veritati reuelanti; tum à simili de alijs virtutibus Theologicis, spe, & charitate, quę etiam erant eiusdem rationis cum nostra spe, & charitate. Quomodo autem non obstet huic doctrinę quoad Angelos, quod ipsi habuerint euidentiam in attestante, seu de diuina reuelatione, ac etiam de diuina veracitate, ex quo sequi videtur non potuisse habere fidem, constat ex dictis

supra

Digitized by Google

ſupra diſp 2. quęſt. 6. Tertio etiam ſuppono, fidem eſſe in animabus Purgatorij. Nã illę etiam inter viatores computantur, quia nondum ad Patriam peruenerunt, ſed ambulant per fidem, ſpem, & charitatem: nec eſt aliqua ratio cur his virtutibus priuatę fuerint; potius è contra ſunt illis debitæ, quia ſunt in gratia, & amicitia Dei. Vide dicta Tom. 2. Tract. 4. diſput. 3. quæſt. 11. Solum ergo eſt difficultas in hac quæſtione, an fides ſit ponenda in Angelis, & hominibus in ſtatu termini, beatitudinis ſcilicet, vel damnationis.

De ſtatu beatitud. Et quoad eos in ſtatu beatitudinis, cum poſſit eſſe quæſtio tum de potentia ordinaria, tum de potentia abſoluta, loquendo de abſoluta dicendum primo, poſſe eſſe in Beatis fidem, ſiue quoad habitum, ſiue quoad actum. Sic fermè Suarez, Turrianus, Cardinalis Lugo, & alij multi. Quod probatur, quia in hoc nulla eſt repugnantia, aut contradictio, prout conſtat ex dictis ſupra diſp. ſecunda quæſt. quarta, con. 2. vbi probauimus non repugnare ſimul eſſe in eodem intellectu actum fidei, & actum viſionis, quantumuis clarę, etiam de eodem obiecto.

Quorundã ſententia. Loquendo autem de potentia ordinaria refertur ſententia quorundam antiquorum, ſpecialiter Alenſis, Durandi, & Argentinæ affirmantium fidem dari de facto in Beatis. Fundamentum eſſe poteſt, primò, quod ex PP. Irenęus, Tertullianus, & alij id aſſerere videantur. Secundò, ex eo, quod non eſt in hoc aliqua repugnantia.

Verior ſẽ tentia. Cæterum verior eſt, & communior ſententia negans, fidem, ſiue quoad actum, ſiue quoad habitum reperiri in Beatis de facto. Ita S. Thom. 1. 2. quæſt. 67. art. 3. & alij plures, ſpecialiter, Caietanus, Suarez, Lorca, Turrianus, & Cardin. Lugo; & ex noſtris Philippus à Sanctiſſima Trinitate Tom. 3. diſputat. 6. dub. 3. Probatur primo ex illo Pauli 1. Corinthiorum 13. *Cum venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt: videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Vbi contraponens Apoſtolus cognitionem, quæ habetur de Deo in hac vita, quam vocat *ex parte*, & *in ænigmate*, quæ eſt fides, cũ cognitione Patriæ, quã vocat *perfectum*, & *facie ad faciem*, quæ eſt viſio beata, dicit illam euacuari. Secundò, ex mente plurium PP. ita hunc locum intelligentium, maximè Hieronymi, Auguſtini, Chryſoſtomi, Theodoreti, Bedæ, & Anſelmi, apud recentiores. Tertiò, quia id videtur valde conſentaneum perfectioni ſtatus Beatitudinis, quæ cum ſit ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, modus imperfectus, & obſcurus cognitionis, qualis eſt obſcuritas fidei, procul ab ipſo videtur ablegandus; ſicut propterea à corporibus ipſis cæleſtibus omnis obſcuritas, & vmbra abigitur, ita vt ſint omnino pellucida, & clariſſima, quia, vt dicitur Apocalyp. 21. de cæleſti Hieruſalem *Claritas Dei illuminauit eam & lucerna eius eſt agnus*.

Solutio contrariorum. Vnde ad primum ex aliquibus Patribus, qui fidem concedere videntur in Beatis, congrue reſpondetur cum Valentia, Granado, & alijs, nomine fidei intelligere cognitionem ſupernaturalem, certam, & infallibilem myſteriorum fidei, correſpondentem fidei viatorum, ſcilicet viſionem claram Dei, & myſteriorum. Ad ſecundum dico, quod eſto quod fides non repugnet ſtatui beatifico, quaſi phyſicè, & ex natura rei, ita vt nullatenus poſſit compati cum ipſa; repugnat tamen moraliter, & ſecundum decentiam, vt dictum eſt, & ita non ponenda de facto.

De damnatis. Quod ſpectat ad damnatos, ſententia fuit Magiſtri, Alenſis, & Durandi, ad quã etiam inclinant ex recentioribus Catherinus, Salmeron, & Valentia, in eis manere fidem infuſam. Primò, ex illo Diui Iacobi cap. ſecundo ſuæ Epiſtolæ canonicæ, *Dæmones credunt, & contremiſcunt*. Secundò, quia fides ſolum perditur peccato infidelitatis, dæmones autem, & plures homines damnati non peccarunt hoc genere peccati; ergo non amiſerunt fidem.

Vera ſententia. Nihilominus communis, & vera ſententia Theologorum id negat. Ita Sanct. Thomas quæſt. 5. artic. ſecundo, Bañez, Suarez, Hurtadus, Lorca, Granadus, noſter Philippus à Sanctiſſima Trinitate ſupra dub. 2. & alij, quorum aliqui cenſura aliqua notant oppoſitam ſententiam. Colligitur primò ex PP. præſertim D. Dionyſio 4. de diuinis nominibus, & Diuo Auguſtino lib. 9. de Ciuitate cap. 21. Et ex hac ratione, nam vel eſt ſermo de fide quoad actum, vel quoad habitum: ſed in damnatis non manet quoad actum; tum quia actus fidei propter ſui ſupernaturalitatem non poteſt elici, ſiue ab homine, ſiue ab Angelo, ſine auxilio ſupernaturali, quod non datur, damnatis propter ſummã miſeriam illius ſtatus; tum quia ille eſt proprius viatorũ, qui per fidem ambulant; quia eſt fundamentum ſpei, & ordinatur ad iuſtificationem, tanquam diſpoſitio, & initium ipſius, quæ non poſſunt eſſe in eo ſtatu: nec etiam eſt quoad habitum; tum quia, vt colligitur ex Diuo Dionyſio loco relato, damnati priuantur omni dono ſupernaturali, in pœnam ſcilicet ſuorum delictorum; tum etiam quia eſſet prorſus inutilis, & otioſus, cum nullam ſit habiturus operationem; habitus autem ſunt propter actus: nullo ergo modo datur fi-

Digitized by Google

Solution. argumentorum, des in damnatis.

Vnde ad primum ex Apostolo Iacobo dico, locum illum intelligi debere non de fide infusa, & supernaturali, de qua nos loquimur in præsenti; sed solum de fide merè naturali, & adquisita, qua Dæmones ex signis, & miraculis, quæ viderunt, testimonijs Ecclesiæ, quę audierunt, ac experientia, qua cognoscunt, plurimos, scilicet infideles, torqueri in inferno, propterea quod non crediderunt ea, quæ docet Ecclesia: ex eis enim colligunt ea esse vera. Ad secundum dico, quod quamuis in via non amittatur fides, nisi per peccatũ infidelitatis, in termino autem vitæ, scilicet inferno, amittitur per cessationem cõcursus Dei, quo in ipsa conseruabatur, tũ ratione status, & propter indignitatem, & demerita damnatorum; tum quia, vt dictum est, talis fides esset in illis omnino inutilis, & otiosa.

Solutio dubij. Ex quo etiam patet solutio ad dubium aliud quo quæritur, qualis sit ista fides naturalis, & adquisita damnatorum, an scilicet sit libera, & dependens à voluntate illorum; vel potius coacta, & necessaria. Dicendum namque, quod quamuis aliquo modo, physicè scilicet loquendo, sit libera & dependens à voluntate illorum; eo quod hoc est veluti proprium fidei, siue supernaturalis, siue naturalis, quia eius obiectum non est clarum, & euidens, sed potius obscurum, atque ita indigens motione voluntatis, vt illi assentiatur intellectus; nihilominus moraliter loquendo, est necessaria, & coacta; eo quod motiua assignata sunt vehementissima, & vrgentissima, & ita cogunt ad assensum, imò veluti extorquent illum. Iuxta modum sanè, quo plurima, & grauissima testimonia dicentium Indiam esse, moraliter cogunt intellectum ad id credendum per fidem humanam, non obstante quod res sit inuidens, & obscura respectu eorum, qui Indiam non viderunt. Sic colligo ex Diu. Thom. dicto artic. 2. & in 3. dist. 23. quæst. 3. art. 3. Bañez, Lugo, & Serra.

Quæstio secunda.

An in Hæreticis sit fides infusa.

Dubitãdi rationes. RAtio dubitandi pro parte affirmatiua est, primo, quia hæretici experiuntur se eadem facilitate, qua Catholici, & qua ipsi antequam in hæresim inciderent, credere mysteria illa, quæ non negant; facilitas autem est signum habitus: habent ergo fidem infusam. Secundò, quia scientia non destruitur vno actu erroris contrario illi, sed potest manere cum illo, vt patet in Philosopho, qui solum errare circa vnam propositionem Philosophicã: ergo idem dicendum de fide respectu hæretici negantis solum vnam, aut aliquas propositiones de fide. Tertiò, quia in hæreticis manet habitus Theologiæ, cuius signum est, quia æque benè discurrunt circa res Theologicas, ac si non essent hæretici. Tandem quarto, quia actus hæresis, seu infidelitatis, non opponatur habitui fidei: ergo possunt esse simul. Consequẽtia patet, & antecedens probatur, tum quia non opponitur formaliter cum illo, quia habitui solum opponitur formaliter habitus, non actus: neque efficienter, quia actus in tantum potest opponi efficienter habitui, quatenus potest producere habitum ipsi oppositum; vnus autem actus hæresis, seu infidelitatis non potest producere habitum infidelitatis, quia cũ hæc sit habitus adquisitus, non potest produci, nisi ex pluribus actibus.

Certa tamen sententia est, & communis omnium Theologorum, vno Durando excepto, quod in hæreticis non sit fides infusa, aut supernaturalis. Ita specialiter docuit ex nostris antiquis Theologis Guido in Summ. de hæresib. cap. 9. Colligitur ex 1. ad Timoth. 1. vbi de hæreticis dicitur, *Circa fidem naufragauerunt*, in naufragio autem bona naufragantium deperdantur. Secundò, ex Concil. Tridentin. sess. 6. cap 15. ibi. *Asserendum est non modo infidelitate, per quam, & ipsa fides amittitur* &c. vbi vel definitur, vel saltem supponitur, per actum infidelitatis, seu hæresim fidem amitti. Vnde maximè propter hunc locum Concilij sententia Durandi graui censura notatur à Doctoribus. Tertiò, ex eo quod idem Concilium eo loco subiungit, videlicet: *Quocunque alio peccato mortali, quamuis non amittatur fides, gratiam amitti*. Quemadmodum enim peccatum mortale opponitur gratiæ, & charitati, sic hæresis, seu actus infidelitatis opponitur fidei. Quartò, à priori, quia habitus aliquis non manet in eo, apud quem ratio formalis obiecti illius habitus non viget: sed ratio formalis obiecti fidei, scilicet prima veritas reuelans, non viget apud eum, qui vel solum vni articulo fidei discredit, qualis est hæreticus: ergo in ipso non manet habitus fidei. Mai. est certa, quia habitus non inuititur nisi rationi formali sui obiecti. Minor autem probatur; quia prima veritas reuelans, seu diuina reuelatio, non aliter est ratio formalis obiecti fidei, nisi quatenus est applicata per Ecclesiam; ita vt Ecclesiæ propositio sit conditio prorsus necessaria ad assensum fidei Catholicæ: sed

Vera sitẽtia.

hæ-

hæreticus negans vnum articulum ſciens eſſe cõtra Eccleſiæ determinationem proponentis illum vt verum, reſpuit Eccleſiæ authoritatem: ergo reſpuit rationem formalem obiecti fidei; ac per conſequens non manet in illo fides. Si dicas reſpuere illam ſolum circa illum articulum, quem negat, non circa alios, & ita conſeruare poſſe fidem circa illos. Contra hoc eſt, quia authoritas Eccleſiæ eadem eſt, & veluti indiuiſibilis circa omnes articulos: ergo impoſſibile eſt, quod maneat in illo fides circa aliquos, & non circa alios. Confirmatur, quia nemo poteſt diſſentire in aliquo articulo propoſito ab Eccleſia, niſi quia putat illam poſſe errare; ſi enim putaret quod non poſſet errare, aſſentiret propoſitis ab ipſa: ergo putat eius authoritatem non eſſe infallibilem; ac perinde nihil credet ipſi infallibiliter, quod eſt proprium fidei diuinæ. Secundò, quia qui deteſtatur aliquod peccatum propter aliquod motiuum vniuerſale, v. g. quia eſt offenſa Dei, eo ipſo cenſetur deteſtari omnia peccata, quia participant hanc rationem: pariter ergo qui diſcredit alicui articulo ab Eccleſia propoſito, quia putat illam poſſe errare in proponendo, etiam diſcredit virtualiter alijs articulis propoſitis ab Eccleſia, ſiquidem ſunt propoſiti ab illa per eandemmet authoritatem.

Solutio contrariorum.

Ad primam rationem dubitandi, communis, & vera ſolutio eſt, facilitatem illam, qua experiuntur hæretici ſe credere illa myſteria fidei, quæ non negant, non prouenire ab habitu fidei infuſę, quia reuera non habent illum, & caſu quo haberent nõ poſſet cognoſci per experientiam, cum ſit ſupernaturalis: ſed prouenire ex habitu fidei adquiſitæ geniro ex actibus fidei naturalis, quos exercuerunt, & regulariter exercent fideles, ſępius etiam circa ſupernaturalia. Vide dicta Tom. 2. Tract. 4. diſput. 3. quæſt. 5. & Guidonem noſtrum ſupra. Ad ſecundam, conceſſo antecedenti, negatur conſequentia. Cuius ratio eſt, quia medium, quo, ſeu ratio formalis ſub qua fidei eſt vnica, & indiuiſibilis, ſcilicet prima veritas reuelans per Eccleſiam; & ideo ſemel deſtructa circa vnum credibile deſtruitur etiam quoad alia, vt dictum eſt: at verò medium ſcientię, ſeu ratio formalis ſub qua illius, non eſt vnum, ſed multiplex, ſcilicet demonſtratio, quę etiam eſt multiplex; & ideo poteſt manere quoad aliquos actus ſcientię, & non quoad alios, & ita eſſe ſcientia circa vnam concluſionem, & error circa aliam. Vide dicta eo Tom. 2. Tract. 4. diſput 1. q. 7. Ad tertiam dico, habitum Theologiæ, qui poteſt manere in hęreticis, non eſſe eiuſdem rationis cum eo, qui eſt in fidelibus; iſte enim eſt aliquo modo ſupernaturalis, vt diximus Tom. 1. Tract. 1. diſput. prima quæſt. ſecunda, quia innititur veluti in principijs propoſitionibus de fide cognitis per fidem infuſam; prout etiam diximus eo Tractat. 1. diſp. 2. quæſt. 1. cum communi fermè ſententia DD. contra Vaſquez, & nonnullos alios: ille vero eſt omnino naturalis; innitens propoſitionibus de fide ſolum fide adquiſita, & naturali cognitis. Ad quartam nego antecedens, & ad probationem dico, omiſſis multis, de quibus alij, oppoſitionem repertam inter hęreſim, ſeu actum infidelitatis, & habitum fidei eſſe quaſi effectiuam: nam per actum infidelitatis quaſi efficienter deſtruitur ratio formalis obiecti fidei, per cuius carentiam formaliter deſtruitur fides. Neque eſt neceſſarium, quod habitus ſemper deſtruatur efficienter per actum productiuum habitus contrarij, & per iſtum formaliter, ſed ſufficit quod efficienter deſtruatur per aliquẽ actum diſtructiuum rationis formalis habitus, prout contingit in præſenti, & dicemus Tractat. 3. de Charitate, contingere in peccato mortali, per quod deſtruitur habitus Charitatis.

Quæſtio Tertia;

An fides poſsit eſſe maior in vno, quam in alio.

Concluſ.

FAcilis eſt ſolutio huius quæſtionis cõformiter ad doctrinam Sanct. Thom. quæſt. quinta art. 4. & aliorum. Primò enim dicendum, quod ex parte obiecti formalis *quo*, non poteſt eſſe fides maior in vno, quam in alio. Illud enim eſt prima veritas reuelans, quę eſt eadem, & indiuiſibilis reſpectu omnium. Secundo dicendum, quod quantum ad modum credendi obiecta materialia fidei poteſt eſſe fides maior in vno quam in alio. Ratio eſt, quia poteſt aliquis credere plura explicitè, quæ alius ſolum implicitè credat. Pro quo recolenda quæ diximus ſupra diſp. 2. quæſt. 7.

Alia.

Maximè tertio dicendum, fidem poſſe eſſe in vno fideli maiorem quam in alio, propter maiorem intenſionem. Colligitur primò ex Matth. 15. *O mulier, magna eſt fides tua*; Ad Roman. 12. *Vnicuique ſicut diuiſit Deus menſuram fidei.* Et primę Corinthior. 13. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam* &c. Secundo, quia fides in vno, & eodem homine poteſt creſcere, & fieri maior per intenſionem, vt

Digitized by Google

patet ex illo Luc. 17 *Domine, adauge nobis fidem*, & 2. Corinthior. 10 *spem autem habentes crescentis fidei vestræ*. & ex Collecta Ecclesiæ *Da nobis fides, spei, & charitatis augmentum*. Ergo etiam in diuersis hominibus potest esse maior. Tertiò, id colligitur ex eo, quod habitus infusi conceduntur à Deo, iuxta dispositionem recipientis, vt patet ex Concilio Tridentino sess. sexta sæpius: sed non omnes æqualiter se disponunt ad fidem, neque omnes habēt actus æqualiter intensos, ergo similiter habitus fidei non erit æqualis, sed intensior in vno quam in alio.

Addit Sanct. Thomas supra, fidem posse esse in vno maiorem, quam in alio, tum ex parte intellectus, propter maiorem certitudinem, & firmitatem; tum ex parte voluntatis propter maiorem promptitudinem, deuotionem, vel confidentiam. Videndi ex recentioribus Coninch, Hurtadus, Cardinal. Lugo, & ex nostris Philippus à Sanctiss. Trinit. Tom. 3. disput. sexta dub. 5.

Doctrina S. Thom.

Obstare tamen videtur contra dicta Diu. Chrysost. hom. 9. in epist. 1. ad Corinth. dicens: *in fide pares nos esse oportet, quoniam vna est fides*. Et postea: *Siquidem fides altera non est altera maior, sed eadem in omnibus*. Cæterum exponendus est, iuxta dicta, primo ex parte obiecti formalis fidei; secundò, ex parte etiam obiecti materialis. Quatenus omnes fideles saltem implicitè, & cōfusè credunt omnia, quæ sunt proposita ab Ecclesia, esto aliqui credant expressè, & explicitè plura quam alij.

Obiectio

DISPVTATIO VIII.

De Regulis fidei.

Quæstio prima.

Quid, & quotuplex sit Regula fidei.

Regula fidei.

DIco primò, nomine *Regulæ fidei* intelligitur in præsenti id, quod nobis proponit veritates ad fidem pertinentes, seu ea, quæ sunt à Deo reuelata, vt ipsi cōformemur in credendo. Ratio sumitur generaliter ex alijs, quæ etiam vocantur *Regulæ*, Etenim *Regula*, seu *norma* artis est ea quæ proponit modum operandi artificiosè, vt ipsi conformetur artifex: & *Regula* morum, prout diximus Tom. 2. Tract. 2. disput. septima, quæst. prima, est quę proponit modum operandi moraliter, vt ipsi etiam conformemur; ergo similiter *Regula* fidei erit illa, quæ nobis proponit veritates ad fidem pertinentes, vt ipsi conformemur in credendo. Vnde fit, quod quamuis *Regula* fidei coincidat aliquando cum *Iudice* fidei, Papa enim vtramque rationem induit, vt dicemus in sequentibus, nihilominus formaliter distinguuntur istæ duę rationes: nam est *Iudex* quatenus cognita causa profert sentētiam in materia fidei; est vero *Regula*, quatenus ipsi conformari tenetur in credendo.

Dico secundò, in Ecclesia datur aliqua Regula fidei. Res est certissima, & de fide, vt constabit ex dicendis in sequentibus de huiusmodi Regulis. Et nunc generaliter ostenditur, quia cum nemo sit, qui res fidei suo ingenio assequi possit, prorsus, & omnino necessaria est aliqua Regula, per quam ea proponantur vt credendæ; alias nec Deus sufficienter prouidisset suæ Ecclesiæ, nec hominibus imputari posset infidelitas. Vnde sequitur talem Regulam debere esse notam, & certam, seu infallibilem. Quia, vt Bellarminus Tom. 1. lib. 1. de verbo Dei cap. 20 §. deinde, ait, *Si nota non sit, Regula nobis non erit, si certa non sit, nec Regula quidem erit*. Adde, quia si talis non esset nec Deus sufficienter suæ Ecclesię prouidisset, nec ipsi homines certo possent discernere veritates fidei, vt illas amplecterentur, & falsa dogmata, vt illa respuerent: & ita semper essent dubij, incerti, ac nutantes circa media necessaria ad salutem æternam.

Concl. 2.

Circa numerum Regularum fidei inter varia Doctorum placita, probabilius est esse tantum quinque, scilicet, *Sacram Scripturam, Traditionem, Ecclesiam, Summum Pontificem, & Concilia*: Sic Suarez de fide disput. 5. sect. secunda. Ratio est, quia, vt constat ex dictis, Regula fidei debet esse aliquid nobis notum, certum, & infallibile, per quod proponantur reuelata à Deo: huiusmodi autem tantum sūt quinque assignata: ergo. Minor probatur, tum discurrendo per illa in particulari, prout fiet in sequentibus; tum ostendendo, quod alia, quæ solent pro Regulis fidei ab aliquibus haberi, ad quinque illa reducuntur, de quo modo.

Regularū numerus.

Obijcitur primo, quod idem videantur esse Regulæ fidei, ac loca Theologica: sed hęc sunt plura quam quinque, decem videlicet, vt nos diximus Tom. 1. Tract. 1. disput. secunda, quęst. secunda, vel etiam duodecim, vt plures existimant: ergo. Secundò, quia saltem consensus SS. PP. vel etiam Scholasticorum omnium erunt

Obiectiones.

Regulę

Regulę fidei, cum ipsis competant ea, quę diximus esse pro illis requisita: ac per cõsequens erunt plusquam quinque. Tertiò, quia ex alia parte videtur, quod sola Sacra Scriptura sit *Regula fidei*, cum sit verbum Dei scriptum, certum, & infallibile, proponens nobis reuelata à Deo. Ad primum respondeo, quod licet Tannerus, & Granadus confundant loca Theologica cum Regulis fidei; immeritò tamen id faciunt, vt benè Suarez supra, & Saleles de materia Sac. Tribunal. Inquisit. lib. 1. cap. 7. regul. 65. in fin. Etenim ratio constitutiua loci Theologici est, quod sit sedes, aut promptuarium quoddam, vnde desumantur argumenta Theologię deseruientia: at verò Regulę fidei sunt illa, per quę nobis proponuntur ea, quæ sunt fidei, vel à Deo reuelata. Quorsum ergo confundentur? Præsertim, cum inter loca Theologica recenseantur *ratio naturalis, authoritas Philosophorum*, & *historia humana*, vt eo loco diximus, quæ non nisi valde impropriè *fidei Regulæ* appellari possunt, quia *Regula fidei* debet esse infallibilis, illa autem valde fallibilia sunt. Ad secundum, quod videtur replica contra modo dicta, respondeo ex Suarez relato, consensum PP. & Scholasticorum, seu etiam Doctorum, posse considerari dupliciter; primò, prout ipsi conueniunt in aliqua sententia eam asserendo, non tamen dicendo esse de fide; secundò, prout non solum conueniunt in asserendo aliquã sententiã, sed etiam in dicendo eam esse de fide. Primo modo non sunt *Regula* fidei, quia semper manent intra limites authoritatis humanę, ac per consequens fallibilis; etsi magna temeritas sit ab eis dissentire: secundo autem modo sunt *Regula fidei*: sed non diuersæ ab illis quinque assignatis. Nam si dicant suam sententiam esse de fide, quia continetur in Sacra Scriptura, reducentur ad *Sacram Scripturam*; &, si dicant esse de fide, quia habetur per traditionem, reducentur ad *traditionem*; & sic de alijs. Ad tertium constabit ex dicendis quæst. sequenti falsum omnino esse id, quod in eo supponitur.

Obiectũ. Est verò dubium, quęnam ex prędictis Regulis sit maior, aut nobilior, & maioris authoritatis. Et dicendum primo, quãtum ad veritatem, seu certitudinem eorum, quæ per ipsas proponuntur, sunt omnino æquales. Ratio est, quia veritas, & certitudo eorum pendent ex vna, eadem, & indiuisibili ratione formali, scilicet prima veritate reuelante: ergo sunt æqualis veritatis, & certitudinis. Dico secundo, quantum ad antiquitatem, seu vetustatẽ, Ecclesia præcedit alias: quia illa fuit à principio mundi: post Ecclesiam sequitur Traditio, quę ab ipsa ortum habet: postea Sacra Scriptura, quę tempore Moysis incępit: deinde Papa ex institutione Christi, & vltimo Concilia, quę ab ipso celebrantur, vel approbantur. Dico tertio, absolutè; & quoad se Sacra Scriptura præcedit alias Regulas. Ratio est, quia illa est verbum Dei *scriptum*; traditio autem verbum Dei *non scriptum*: Ecclesię autem, Papę, & Conciliorum verba non sunt verbum Dei immediatè, sed hominem à Deo inspiratorum, & habentium infallibilem assistentiam Spiritus Sancti. Deinde omnia & singula verba Sacrę Scripturę sunt de fide, & dictata à Spiritu Sancto, & plena sensibus, & mysterijs: verba autem Ecclesiæ, Papę, & Conciliorum non sic: cum sępius vtantur rationibus humanis non pertinentibus ad fidem. Item Scriptores Sacrę Scripturę, vt in plurimum fuerunt Prophetę, Apostoli, & Euangelistę eximię sanctitatis viri, qui doctrinam suam signis, & portentis confirmarunt; quod non cõtingit, nisi vero in definitionibus Ecclesię, Summorum Pontificum, & Conciliorum. Nihilominus dico quarto, Ecclesia, Papa, & Concilia excedunt Sacram Scripturam, quoad nos. Ratio est, quia sunt magis nota, perspicua, & clara nobis, explicantq; viua voce obscuritatem Sacrę Scripturę, & sunt iudex controuersiarum fidei, decidens, & determinans, quid tenendum, & agendum in rebus dubijs. Confirmatur ex celebri illa Diui Augustini in libro contra Epist fundament. sententia: *Euangelio non crederem, nisi me commoneret Ecclesiæ Catholicæ authoritas*. Sic fermè noster Benauides Sacrę Scripturę in Academia Complutensi Interpres in lib. de arte, & methodo exponendi Sacram Scripturam cap. 2. dub. 19. Ex quibus ad concordiam reduci possunt varia placita DD. in hoc puncto, specialiter, quę noster Vvaldensis tom. 1. Doctrin. fidei, lib. 2. art. 2. cap. 21. et 23. Abulensis, Stapletonius, Driedo, Michael Medina, Petrus Sotus, Valentia, Turrianus, et alij dicunt.

Obiectio. Obijciunt tamen contra hoc vltimum hæretici; ex eo sequi Sacram Scripturam absolutè, et simpliciter esse inferiorem Ecclesia, Papa, et Concilijs; siquidem illis subijcitur. Sed respondetur ineptam esse, seu potius fatuam huiusmodi obiectionẽ; vt ait Vvaldensis noster tom. 1. lib. 2. art. 2. cap. 21. Negandum enim omnino est Sacram Scripturam inferiorem esse illis, vt probant clarè ea, quę adduximus. Et ad impugnationem dico, quod si ipsis subijceretur quantum ad authoritatem, veritatem, aut certitudinem, ita vt hęc acciperet ab illis, vtique diceretur simpliciter ipsis subiici, & esse inferiorem ipsis: quia tamen non subditur ipsis quãtum ad ista, sed solum quoad explicationem, et eluci-

dationem,

dationem, et hoc non dando ipsi authoritatem, sed testificando eam quam habet, sicut lex, Prophetæ, & Baptista; Moyses, & Elias in Transfiguratione; Anna Prophetissa, & Simon in Euangelio testificati sunt de Christo ipsis superiore. Addo, totum hoc, quod faciunt Ecclesia, Papa, & Concilia circa S. Scripturam faciunt innitendo testimonijs eiusdem Sacræ Scripturæ, quibus talis authoritas ipsis competere declaratur, de quibus in sequentibus dicetur; ac proinde nullo modo probatur esse superiores ipsa. Vide alia in Vvaldensi relato.

Quæstio secunda.

De prima Regula fidei, scilicet Sacra Scriptura.

Suppoñda. SVppono primo ex dictis, Sacram Scripturam esse *Regulam* fidei: cum illi competant omnia ad rationem Regulæ fidei requisita. Imo hoc esse certum de fide. Colligitur ex illo Ioann. 5. *Scrutamini Scripturas*. Ioannis 10. *Non potest solui Scriptura*. Et 1. ad Timoth. 3. *Ab infantia Sacras litteras nosti, quæ te possunt ad salutem instruere per fidem*. Et infra. *Omnis Scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum*. Colligitur etiam ex Concilio Tridentino sess. 4. ac ex antiqua PP. traditione, ex quibus plures apud recentiores. Suppono etiam secundò, eam esse primam *Regulam* fidei. Est enim veluti fons, & origo aliarum, siquidem authoritas *traditionum Ecclesiæ, Papæ, & Conciliorum* in ipsa fundatur. Pro quo videnda, quæ diximus Tom. 1. Tract. 1. disputat. secunda, quæst. secunda. Suppono tertio, definitionem Sacræ Scripturæ, quam eo Tom. primò disput. 3. quæst. prima adduximus, videlicet: *Id liber sacer, & diuinus, à Deo reuelatus, & dictatus, quem Sacri Authores litteris mandauerunt*. Suppono quarto, ea quæ dicta disputat. tertia, quæst. 1. diximus de sensibus Sacræ Scripturæ; & quæ quæst. secunda de pluribus sensibus eiusdem loci; ac quæ quæst. 3. de sensu Sacræ Scripturæ, ex quo elici valet efficax argumentum in Theologia.

Difficultates. Sunt tamen aliquæ difficultates contra dicta: prima est, quia Regula fidei debet esse certa; alias nec poterit applicari ad credendum, neque esse mensura credendorum; Sacra Scriptura autem non habet hoc; cum plures eius partes in dubium reuocatæ sint a pluribus; & ab aliquibus non admittantur. Secunda, quia etiam debet esse nota, alias similiter nec poterit nobis applicari, aut esse mensura credendorum: sed Sacra Scriptura non est huiusmodi, quia esto, quod cum primò scripta fuit posset esse nota illis, qui illud idioma intelligerent; tamen cum talis modo non extet, sed per varia transumpta, & plures, ac varias translationes ad nos peruenerit, proculdubio vera Sacra Scriptura nota nobis non est. Tertia, quia de ratione *Regulæ* est, quod sit clara, & perspicua; Sacra Scriptura autem non est talis, sed potius obscura, tum ex altitudine rerum, quæ in ipsa tractantur; tum ex varia significatione, & idiotismis linguarum in quibus est scripta; tum propter breuitatem, & concisionem sententiarũ, tum propter varietatem sensuum, quos habet; tum denique, quia ita decuit diuinam prouidentiam, vt mysteria fidei in maiori veneratione essent, & ad exercendum fidem, & ingenia fidelium, ac vt per orationem à Deo postularent ipsius intelligentiam: ergo.

Respondendum tamen ad primam, cõcedo maiorem, & nego minorem, & ad eius probationem dico, ttes ordines esse librorum Sacræ Scripturæ. Primus est eorum, de quibus nunquam dubitatum est quin sint Canonici: quales sunt Pentatheuchus Moysis, Iosue, Iudicum, Ruth, Regum quatuor, Paralipomenon duo, Esdræ, seu Nehemæ duo, Iob, Psalmorum 150. Prouerbiorum, Ecclesiastæ, Canticorum, Prophetarum Maiorũ quatuor, Prophetarum Minorum duodecim, Euangeliorum quatuor, Actuum Apostolorum, Epistolarum Diui Pauli tredecim, Epistolarum Canonicarũ duæ, Petri vna, Ioannis altera. Secundus ordo est eorum, qui quamuis aliquando dubiæ authoritatis fuerint, ijs tamẽ temporibus post Concilium Tridentinum indubiæ authoritatis sunt: quales sunt libri Hester, Baruch, Danielis pars, Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Ecclesiastici, primus, & secundus Machabæorum, Marci, & Lucæ, partes quædam, Epistola Pauli ad Hebræos, Epistola Iacobi, Epistola posterior Sancti Petri, primæ Ioannis particula quædam, secunda, & tertia Epistola Ioannis, Epistola Iudæ, & Apocalypsis. Tertius ordo est eorum, qui quamuis à clarissimis Viris inter libros Canonicos haberentur, publico tamen Ecclesiæ iudicio vsque modo recepti non sunt. Hi sunt Oratio Manassæ; tertius, & quartus liber Machabæorum; Psalmus 151. Appendix libri Iob; liber Hermetis, qui vocatur *Pastor*. Ex quo iam ad probationem illius minoris dico, quod quamuis Sacra Scriptura, seu potius Sacra Biblia, quantum ad hunc tertium ordinem librorum non sint Regula fidei,

Respons.

qu ia

quia non ſunt certæ authoritatis; quantum tamen ad primum, & ſecundum ordinem ſunt Regula fidei, quia ſunt certę, & infallibilis authoritatis. Quantum ad libros quidem primi ordinis, quia ſemper pro Canonicis in Eccleſia habiti ſunt, vt patet ex Sumuis Pontificibus, Concilijs, & Patribus antiquis: quantum verò ad libros ſecundi ordinis, quia à Concilio Tridẽtino pro Canonicis recepti ſunt poſt diligentiſſimam huius negotij indagationem: vt patet ex ſeſſione quarta, vbi poſtquam illos recenſuit, ſic ſtatuit: *Si quis autem libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueuerunt, & in veteri Vulgata latina editione habentur, pro Sacris, & Canonicis non ſuſceperit &c. anathema ſit.* Huius autem Sacræ Scripturæ libri à Cõcilio recepti habentur in nouiſſimis Bibliis correctiſſimis ſub Sixto Quinto, & Clemente Octauo editis. Pro quorum defenſione contra hæreticos aliquos, legendi Driedo, Canus, Salmeron, Valentia, Bellarminus, Turrianus, & Serarius, ac ſpeciatim Expoſitores ipſorum librorum.

Ad 2. difficultatem

Ad ſecundam difficultatem, quæ ferè ſimilis eſt præcedenti, conceſſa etiam maiori, nego minor. & ad probationem dico, Sacram Scripturam, quæ eſt Regula fidei, eſſe nobis notiſſimam, quia eſt illa, quæ habetur in Bibliis vulgatis, de quibus ſupra. Ita enim ſtatuit Concilium ex ſeſſ. quartæ ijs verbis. *Inſuper eadem Sacroſancta Synodus conſiderans non parũ vtilitatis accedere poſſe Eccleſiæ Dei, hęc ex omnibus latinis editionibus, quæ circunferuntur ſacrorum librorum, quanam pro authentica habenda ſit, innoteſcat, ſtatuit, & declarat, vt hæc ipſa vetus, & Vulgata editio, quæ longo tot ſæculorum vſu in ipſa Eccleſia probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus pro authentica habeatur, & vt nemo illam reijcere quouis prætextu audeat.* Eo enim ipſo, quod Concilium de illa editione Vulgata dicit eſſe *Authenticam*, non ſolum denotat eam facere fidem publicam in omni iudicio, quia hoc ſignificatur per hanc vocem, prout ex Budæo, Gaza, Couarrubia, & alijs elicit Turrianus; ſed etiam eam habere *infallibilem authoritatem, & ſit certa Regula fidei in omnibus quæ continet*, prout Suarez inquit. Quod adeo verum eſt, vt in quadam Congregatione Eminentiſſimorum Cardinalium tempore Gregorij Decimitertij, quam referunt Marzilla, Barboſa, Suarez, Turrianus, Granadus, & Caſpenſis, & quam ad verbum extraxi ex Leone Allatio diligenti Authore in Animaduerſionibus antiquitat. Aetruſcarum pag. 223. quamq; vidi in alia eorumdem Eminẽtiſſ. Cõgreg. nõ ſine applauſu recipi, deciditur: *Nihil poſſe aſſeuerari, quod repugnet vulgatæ latinæ editioni, etiam quod eſſet ſola periodus, ſola clauſula, vel membrum, ſiue vox, vel dictio ſola, vel ſyllaba, iotaue vnũ.* Et acriter reprehenditur Vega, qui lib. 15. *de iuſtificat. cap. 9* audacter locutus eſt in hac materia. Vnde infertur, quod quamuis aliæ verſiones, ſiue Latinæ, ſiue Hebraicæ, aut Græcæ, admitti poſſint, vt Regula fidei, non tamen quatenus contrariæ fuerint prædictæ Vulgatæ editioni. Sic fermè Suarez, Turrianus, & Caſpenſis. Etſi oppoſitum tenere videatur noſter Benauides de arte exponendi Sacram Scripturam diſputat. ſecunda, dubio 29. conc. 6

Ad tertiam conceſſa etiam maiore dico ad minor. quod quamuis Sacra Scriptura magna ex parte ſit obſcura, propter adducta in argumento; nihilominus in multis etiam eſt clariſſima, & ita, ſaltem propter illa poterit eſſe fidei Regula. Addo, etiam ex ea parte qua obſcura eſt poſſe eſſe Regulam fidei, prout eſt explicata, ſeu declarata ab Eccleſia, Concilijs, & Patribus. Sic enim colligitur, non ſolum ex Concil. Tridentin. loco relato, ſed etiam ex 6. Synodo can. 19. Trullano, & Concilio Lateranenſi ſub Leone X act. 10. Ad tertii

Reſtat tamen alia difficultas, an ſcilicet ſola Sacra Scriptura ſit Regula fidei. Etenim huius temporis Nouatores id aſſerunt, ſequentes alios hæreticos vetuſtiores, quos refert Tannerus. Fundamentum ſumunt ex ipſa Sacra Scriptura. Nam Deuteronom. 4. dicitur: *Hoc eſt verbum, quod loquor, & præcipio vobis, non addetis, nec auferetis ex eo quidquam* Et Ioann. 20. in fine habetur: *Hæc ſcripta ſunt vt credatis &c. & vt credentes vitam habeatis.* & ad Galatas 1. ait Apoſtolus; *Licet nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis præter quam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit.* Et poſtea; *Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit.* Item 2. Timoth. 3. *Omnis Scriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus.* Et Apocalyp. vlt. *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deum ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto.* Ex ijs enim colligunt, Sacram Scripturam ſolam, & ſufficientem eſſe pro Regula fidei. Alia difficultas.

Cæterum veritas certa eſt, præter Sacram Scripturam eſſe alias Regulas fidei. Probatur primo ex dictis quæſtione præcedenti; eo videlicet, quod non ſolum *Sacra Scriptura*, ſed etiam *Traditioni, Eccleſiæ, Papæ*, & *Concilijs* competunt omnes con- Veritas certa.

conditiones requisitæ ad Regulam fidei. Secundò, ex dicendis in sequentibus, dum de illis sigillatim loquimur. Tertiò, quia cum Sacra Scriptura, vt dictum est, sæpius sit obscura, contineat in se plures, & diuersos sensus, & varijs linguis sit traducta, ac plures, & variæ de ipsa, etiam in eadem lingua sint versiones, manifestum est, præter illam esse necessariam aliam, vel alias Regulas fidei, vt constet de sensu ipsius, & quænam versio, & in qua lingua, sit authentica. & canonica. Quartò, & efficaciter, quia circa ipsam Sacram Scripturam solet esse controuersia, an scilicet hic, vel ille liber ipsius sit Canonicus, an non, ita vt ex ipsa hæc controuersia dirimi non possit: est ergo necessaria alia Regula, per quam hæc controuersia decidi possit: & ita ipsa non erit vnica, & sola Regula fidei. Quintò, quia vt constat ex quæst. prima, semper fuit necessaria, etiam à principio mundi, in Ecclesia aliqua Regula fidei, per quam proponerentur reuelata à Deo: sed Ecclesia fuit per 2500. fermè annos antequam Sacra Scriptura inceperit scribi; quia non incepit nisi tempore Moysis, qui scripsit primos libros ipsius, contentos in Pentatheuco, scilicet Genesim, Exodum, Leuiticum, Deuteronomium, & Numeros; necesse ergo est dicere fuisse aliam Regulam fidei toto illo tempore, *Ecclesiam* videlicet ipsam, vel *Traditionem*: ac per consequens, Sacra Scriptura, non erit vnica Regula fidei.

Solut. cõtrariorũ. Nec oppositum probant loca illa pro hæreticis adducta: quia ex eis solum habetur non posse aliquid addi Sacræ Scripturæ, quod sit contrarium menti ipsius, vel quod immutet ipsius sensum; non verò aliquid; quod exponat, & declaret ipsam, non quidem priuato iudicio humano, sed eodem spiritu, quo ipsa fuit scripta, prout fit per *Traditiones*, *Ecclesiam*, *Papam*, & *Concilia*; & testificando ipsius authoritatem, vt dictum est.

Decisio controu. Ex dictis etiam decidi potest controuersia alia, quæ est veluti cardo omnium controuersiarum Catholicorum cum hæreticis, an scilicet Sacra Scriptura sit Iudex controuersiarum fidei. Affirmant hæretici, tam Luthetani, quam Caluinistæ, alios antiquiores sectantes. Primo ex Isai 8. vbi homines remittuntur in dubijs, *Ad legem magis, & ad testimonium*, vt ibi dicitur. Et Ioann. 5. dixit Christus: *Scrutamini Scripturas*. &c. *quæ testimonium perhibent de me*. Et Actorum 17. de Beroensibus dicitur: *Quotidie scrutantes Scripturas*. Secundò, quia necesse est assignare aliquem, qui à Deo sit constitutus Iudex talium controuersiarum, sed is non potest esse Ecclesia, Papa, aut Concilia, quia isti sunt homines, & per consequens fallaces, & fallibiles, iuxta illud ad Roman. 3. *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax*: ergo Sacra Scriptura, quæ est verbum Dei, non autem illi erunt Iudex.

Veritas de fide. Veritas tamen de fide certa est Iudicē controuersiarum fidei, non esse Sacram Scripturam, sed Ecclesiam, Papam videlicet, Concilia, &c. Hanc docent omnes Catholici, & Controuersistæ, specialiter Petrus Sotus, Hosius, Rossensis, Becanus, Coninch, & ex nostris Benauides de arte exponendi Sac Scriptur. cap. 2. dub. 25. Pro quo etiam videndus Vvaldensis Tomus primus *doctrin. fidei* lib. 2. artic. 2. cap. 20 & sequentibus. Vt autem probetur, supponendum primò, non esse hic sermonem de Iudice supremo in cælis, qualis est Deus, vel Christus, qui est Iudex omnium rerum; sed est sermo de Iudice visibili, & in terris. Secundò, hunc Iudicem debere esse infallibilis veritatis in iudicando: alias fidei controuersiæ nunquam manerent decisæ, cum semper dubitari posset, an sententia talis Iudicis fuerit vera, & recta: nec Deus sufficienter prouidisset suæ Ecclesiæ; cum non possent homines certo scire, quę essent credenda pro salute æterna consequenda. Tertiò, quod quamuis aliqui confundere videantur *Regulam*, seu *normam* fidei, cum *Iudice* fidei, nihilominus certum est distingui has duas rationes: distinguuntur autem in hoc, quod Regula, vt dictum est quæst. prima est quæ proponit credenda, vt illis conformemur; at verò *Iudex*, est qui decidit, & definit dubia, quæ circa ipsas Regulas, & credenda, oriuntur.

His positis probatur nostra assertio. Probatio. Primò, ex ipsamet Sacra Scriptura, in qua decisio, seu definitio controuersiarum fidei, seu Religionis, non remittuntur ad ipsam, sed ad Ecclesiam, vel Sacerdotes, præsertim Summum. Etenim Deuteronom. 17. dicitur: *Venies que ad Sacerdotem Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem; & facies quæcunque dixerint qui præsunt loco*. Et Ecclesiast. 12 *Verba Sapientium sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi, quæ per magistrorum concilium data sunt à pastore vno. His amplius, fili mi, ne requiras*. Aggæi 2. *Interroga Sacerdotes legem*. Malach 2 *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & Legem requirent ex ore eius*. 2. Paralipomen. 19. *Constituit Iosaphat Leuitas, & Sacerdotes, &c. vt causam Domini iudicarent*. Ex nouo etiam Testamento afferri possunt omnia ea loca, in quibus Petro & eius Successoribus datur generalis

lis potestas in Ecclesiam, de quibus suo loco dicitur. Sed specialiter id suadetur ex illo Math. 13. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi, quæcunque dixerint Vobis seruate, & facite* Et Math. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi veluti Ethnicus, & Publicanus.*

Alia probatio.

Deinde ex vsu, seu consuetudine Ecclesiæ, ex qua constat, controuersias ortas in illa non fuisse decisas ex Sacra Scriptura, vel ex illa sola, sed ab ipsa Ecclesia, Papa videlicet, Concilijs &c sic controuersia illa in initio Ecclesiæ exorta an noui Christiani deberent circuncidi, & seruare legalia, decisa fuit à Concilio Apostolorum Actorum 17. illis verbis: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*, &c. Similiter, dubia, quæ poterant esse circa doctrinam, quã prædicabat Apostolus Paulus decidi voluit à Petro; propterea enim ascendit Hierosolymam, vt eum communicaret super illis, ad Galatas secundo. Controuersia de tempore celebrationis Paschæ à Papa Victore. Circa mysterium Trinitatis à Conciliis Alexandrino, & Nicæno, & Sancto Siluestro Papa. Circa Christi Incarnationem à Conciliis etiam Antiocheno, Nicæno, Ephesino, Calcedonensi, & Summis Pontificibus Dionysio, Siluestro, Cœlestino, Leone, & Agathone. Plura alia omitto cunctis obuia, & in Ecclesia practicata vsque ad nouissima tempora, in quibus nunc sumus. Omitto plura alia, præsertim ex Patribus apud recentiores.

Ratio.

Ratione etiam desumpta ex analogia Iudicis controuersiarum ciuilium id ostenditur. Quemadmodum enim in politicis, ac ciuilibus cum oriuntur aliquæ lites, & controuersiæ circa aliqua temporalia bona, non sufficit ad illas decidendas, lex, aut consuetudo, sed requiritur Lex animata, scilicet Iudex, qui auditis partibus, clarè, & distinctè proferat sententiam pro vna ipsarum, causam terminando, ita vt à litigantibus intelligi valeat: sic etiam in causis fidei, & Religionis idem requiretur; ita vt præter Sacram Scripturam, quæ est quasi lex. & præter traditionem, quæ est consuetudo, sit aliquis Iudex, qui audiat partes, & clarè, ac distinctè causam definiat, & terminet, ita vt à partibus percipi possit sententia. Etenim cum Sacra Scriptura sit veluti inanimis, & mortua, non potest partes audire, aut suum sensum declarare; nec litem clarè, & distinctè decidere; tum quia ipsa in multis est valde obscura, & in aliquibus secundum apparentiam sibi contraria, & in aliis diuersis sensibus fœcunda, & variis versionibus translata: tum etiam, quia sunt aliqua fidei dogmata, quæ vix ex ipsa scriptura elici possunt, v. g. quod Sacramenta sint septem, quod Baptismus non sit reiterandus, & similia. Roboratur præterea hoc argumentum efficaciter, ad hominem, vt dicitur; quia non obstante quod Lutherani, & Caluinistæ, contra quos disputamus, velint Sacram Scripturam esse Iudicem in fidei controuersiis, nihilominus litigant inter se circa Baptismum paruulorum, circa præsentiam Christi in Eucharistia, circa numerum librorum Sac. Scripturæ; circa modum iustificationis, & similia. Signum ergo euidens est, nec ipsis, nec aliis posse Sacram Scripturam, vt Iudicem controuersiarum fidei haberi, sed solam Ecclesiam, *cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum sanctarum*, vt inquit Concil. Trident. sess. 4.

Obiecta soluuntur

Ea porrò, quæ in contrarium adducta sunt, nihil valent. Etenim per illud Isai. 8. *Ad legem magis, & ad testimonium*, vt ad oculum patet legentibus textum, solum denotatur, quod in futuris euentibus prænoscendis non deberent Iudæi recurrere ad Pythones, & diuinos, sed *ad legem potius, & ad arcam testamenti*, prout Cornelius explicat. Illud etiam *Scrutamini Scripturas* etc. potius est contra aduersarios, quam pro illis. Vt enim patet ex textu illius cap. quinti, volens Christus probare Iudæis se esse filium Dei, id primo probat testimonio Ioannis; secundo, ex operibus miraculosis, quæ patrabat; tertio, testimonio Patris dicentis *hic est Filius meus dilectus*, et tandem quarto, vt id probet ex Sacra Scriptura dicit *Scrutamini Scripturas*. Ex quo euidenter sequitur non solam Scripturam esse Iudicem fidei, sed alia cum ipsa. Illud quoque ex Actibus Apostolorum inutile est aduersariis, quia ex eo solum euincitur, scrutandas esse Scripturas, non tamen eas solas sufficere. Præsertim, quia illi Beroenses scrutabantur illas, quia Apostolus Paulus per ipsas eis ostendere voluit Christi mysteria. Ad secundum argumentum dico, quod quamuis Ecclesia, Papa, & Concilia sint homines, vel hominum Congregationes, ex assistentia tamen, & inspiratione Spiritus Sancti illuminati, possunt esse Iudices fidei, vt constabit ex dicendis inferius.

Digitized by Google

Quæstio tertia.

De traditione secunda Regula fidei.

Traditio quid sit.

NOmine *Traditionis* intelligimus in præsenti doctrinam aliquam ad Christianam Religionem pertinentem; quæ nec in Sacra Scriptura apertè continetur, nec ex ipsa euidenter colligitur. Quę propterea *verbum Dei non scriptum* communiter appellatur.

Hęreticorũ error.

Eam porro non esse fidei Regulam frequenter tenent Lutherani; & Caluinistæ, ac alij hæretici huius temporis, secuti alios vetustiores. Primò, ex locis Sacræ Scripturæ adductis quæst. præcedenti in eã difficultate qua quęrebatur, an sola Sacra Scriptura sit Regula fidei. Quibus specialiter adduntur alia, quæ videntur tollere de medio omnem traditionem, & reprehendere eos, qui eas sequuntur. Quale est illud Matth 15. *Irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem vestrã.* Et ad Colossenses 2. *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciã, secundum traditionem hominum.* Et primę Pet. 1. *Redempti estis de vana vestra conuersatione paterna traditionis.* Secundò, quia si traditio esset Regula fidei, sequeretur Sac. Scripturam fore mancam, & imperfectam, siquidem non continet omnia dogmata fidei.

Veritas fidei.

Catholica tamẽ fides ex oppositio tenet *traditionem*, tam ad fidem, quam ad mores spectantem; siue diuinam, eam videlicet, quę accepta est à Christo oretenus docente Apostolos; siue Apostolicam, eam nempe, quæ etiam accepta est ab Apostolis docentibus plebem, siue Ecclesiasticam, eam scilicet, quæ post Apostolos introducta est in vniuersali Ecclesia, esse quoque Regulam fidei. Ita Doctores Catholici contra Sectarios, specialiter videndi Bellarminus, Valentia, Amicus, & Tannerus, ac ex nostris Vvaldensis Tom.1. Doctrinę fidei, lib. 2. articulo secundo cap 24. Siluestranus in 4. lectio. 31. Philippus à Sanctissima Trinitate tom. 3. disputat. prima, dub.6. Benauides quæst. præcedenti relatus dub. 20.

Probatio

Colligitur primo ex Sacra Scriptura primę Corinthiorum 11. ibi; *Laudo vos fratres, quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis præcepta mea tenetis.* Vnde infra ait: *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis*: Et 2. ad Thessalonicenses 2. *Tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam.* Ac 1. ad Timoth. 6. *O Timothee depositum custodi*, id est, traditiones, iuxta plures; imo iuxta ipsum Paulum ad eundem Timotheum epist. secunda cap. 1. dicentem, *formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti in fide, & dilectione. Bonum depositum custodi*, &c. Accedunt etiam ad intentum plura testimonia Summorum Pontificum, Conciliorum, & PP. apud relatos authores.

Rationes

Rationibus etiam conuincitur. Prima veluti à priori, quia Regula fidei, iuxta dicta quæst. prima, est ea per quam proponuntur nobis credenda per fidem, vt ipsis conformemur in credendo; sed totũ hoc competit prædictis traditionibus: ergo. Minor. constat de traditione diuina; cum enim ea procedat ex ore Christi, necessario est infallibilis veritatis: similiter constat de traditione Apostolica; cum ea etiam ortum habeat ex ore Apostolorum, qui à Deo constituti erant Doctores populorum, & seminatores verbi Dei: item de traditione Ecclesiastica per vniuersalem Ecclesiam consuetudine recepta; cum enim tota Ecclesia errare non possit in aliquo spectante ad fidem, vel mores, vt dicimus quæstione sequenti, eo ipso, quod in illa aliquid vniuersaliter docetur, vel tenetur, existimandum est esse verbum Dei, ac per consequens etiam erit suo modo Regula fidei. Secunda, quia omne verbũ Dei est Regula fidei; sed quælibet ex prędictis traditionibus est verbum Dei: ergo. Min. clarè constat in traditione diuina, quæ immediatè à Deo procedit; & in Apostolica, quæ medijs Apostolis fit, & in Ecclesiastica, quæ etiam media Ecclesia, quæ 1. ad Timoth. dicitur *Columna, & firmamentum veritatis*. Tertia, quia in omni Republica temporali præter leges scriptas, sunt etiam consuetudines, & traditiones, non minoris vigoris, & authoritatis, quam illæ: cur ergo in Christiana Republica id deficeret?

Alia.

Denique, quia nisi hæretici, cum quibus est hæc concertatio, cæci essent, euidenter viderent, in Ecclesia semper, etiam ab initio mundi necessarias fuisse huiusmodi traditiones. Primo enim ab Adam vsque ad Moysem, qui creditur fuisse primus Scriptor Canonicus, ferè per 2500. annos, necessariæ erant pro modo adhibendi remedium pueris pro peccato originali, & colendi Deum sacrificio, & cultu externo. Similiter tempore legis Mosaicæ ante Christum pro dicto remedio applicando fœminis, & etiam masculis ante diem octauum natiuitatis, quando periculum mortis imminebat; & ad cognoscendum qui, & quales libri essent canonici, & qui apochriphi; & ad plurima spectan-

ſpectantia ad cultũ Dei, de quibus fit mẽtio ſæpius in Sac. Scriptura, maximè in libris Regum, Paralipomenon, Eſdræ, & Machabæorum. Maxime autem tempore legis Euangelicæ poſt Chriſtum. Ad diſcernendum videlicet inter libros Canonicos, & non Canonicos; pro materijs, formis, & alijs ſpectantibus ad Sacramenta; pro intemerata Virginitate Deiparæ Sanctiſſimæ, etiam poſt partum; pro baptiſmo paruulorum, & alijs multis, quæ enumerari ſolent inter traditiones diuinas. Et pro ieiunijs, præſertim quadrageſimali, Symbolo Apoſtolorum, & alijs etiam pluribus, quæ inter Apoſtolicas traditiones cenſentur. Ac pro multis alijs, v. g. feſtorum inſtitutionibus, & celebrationibus, quæ inter Eccleſiaſticas traditiones computari ſolent. De quibus omnibus Authores relati, & nos ſuis locis dicemus. Hæc autem omnia efficaciſſimè confirmantur, quia prorſus irrationabile eſt exiſtimare Chriſtum, qui per quadraginta dies poſt eius Reſurrectionem apparebat Apoſtolis, *loquens de Regno Dei*, vt dicitur Actorum 1. ipſos Apoſtolos, qui erant Principes Eccleſiarum, Sanctorumq; Doctores, qui poſt eoſdem Apoſtolos eiſdem præfuerunt non docuiſſe plura ſpectantia ad fidei dogmata, quæ nec in Sacra Scriptura veteris, aut noui teſtamenti continebantur, ac proinde, quæ eſſent traditiones diuinæ, Apoſtolicæ, vel Eccleſiaſticæ.

Additio. Addit Tannerus ex Bellarmino, quem refert, & Granadus poſt ipſum, eiuſdem eſſe authoritatis ad firmandam fidem omnes iſtas traditiones. Quod ſano modo, & reſpectiuè intellectum, veritatem continet, iuxta dicta ſupra quæſt. 1.

Alia. Addendum etiam, aliquas Regulas cõmuniter tradi à Doctoribus, ad cognoſcendum huiuſmodi traditiones. Prima eſt, cum vel Summus Pontifex, Concilia, aut etiam Patres, & Doctores concorditer; imò etiam fideles communiter docent, aut tenent aliquid ex traditione deſcendere, pro traditione legitima habendum eſt. Eo quod iſti errare non poſſunt in rebus ad fidem ſpectantibus, cum ſint, vel repræſentent totam Eccleſiam, quæ 1. ad Timoth. 3. eſt *Columna, & firmamentum veritatis*. Secunda eſt, quæ colligitur ex Diuo Auguſtino lib. 4. de Baptiſmo cõtra Donatiſtas, quoties in Eccleſia vniuerſali admittitur aliquid tanquam fidei dogma, quod non inuenitur in Sac. Scriptura, neque habet principium ab aliquo Papa, vel Concilio, haberi debet pro traditione diuina, vel ſaltem Apoſtolica. Non enim eſt aliud, à quo illud originem trahere poſſit. Tertia, quando vniuerſalis Eccleſia obſeruat aliquid, quod nemo potuit conſtituere, niſi Deus, v. g. ea quæ pertinent ad numerum, materiam, vel formam Sacramentorum, pro traditione diuina haberi debet neceſſario: eo quod, vt diximus, Eccleſia vniuerſalis errare non potuit in tali obſeruantia, nec eſt aliud vnde oriri poſſit. De his Regulis Authores relatis, & nos ſuis locis.

Ad fundamenta hæreticorum, præter dicta quæſtione præcedenti reſpondendum, & ad primum ex locis Sacræ Scripturæ vera reſponſio eſt, ibi damnari traditiones humanas, & phariſaicas, contrarias rationi, aut legi diuinæ, non vero legitimas, & ab Eccleſia receptas. Quo etiam modo occurrendum pluribus PP. teſtimonijs, quæ ab hæreticis afferuntur. Ad ſecundum nego ſequelam, ad hoc enim quod Sacra Scriptura non dicatur manca, & imperfecta, ſufficit, quod contineat expreſsè præcipua dogmata fidei, alia verò minus præcipua ſolum implicite; quia ipſa eſt breuis, & conciſa, vt propterea à PP. *Verbum abreuiatum* vocetur, vel ad ipſius maiorem venerationem, vel ad exercitium fidei, vel ad commendationem obedientiæ fidelium erga Paſtores, ad quos ſpectat illam explicare. **Solutio contrariorum.**

Quæſtio quarta.

De Eccleſia, quæ eſt tertia Regula fidei.

Eccleſiæ nomen. ECcleſiæ nomen, etſi plura ſignificet, de quibus Vvaldenſis noſter Tom. 1. lib. 2. ar. 2. c. 9. Turrecremata, Hoſſius, Pighius, Driedo, Petrus Sotus, Suarez, & alij multi; in præſenti tamen ſtrictè ſumitur pro Congregatione fidelium, qui fidem diuinam ſub ſpeciali Sacramẽtorum ſigno, & ſub eodem capite profitentur. Ita videlicet, vt Eccleſia ſit corpus quoddam politicum, compoſitum, veluti, ex hominibus viatoribus tanquam ex materia, & ex fide tamquam ex forma. Sic enim colligitur ex ca. *Eccleſia diſt.* 1. & *cap. firmiter de Summ. Trinit. & fid. Catholic.* & tradunt Vvaldenſis relatus, Bañez, Valentia, Suarez, & plures alij.

Corollar. Ex quo infertur, non ſolum Iudæos, & Paganos, non eſſe membra Eccleſiæ, cum non habeant fidem, quæ eſt forma conſtitutiua membri Eccleſiæ; ſed nec etiam hæreticos quoſcunque, propter eandem rationem, & quia ita colligitur ex ca. Eccleſia, & cap. firmiter, & docent Turrecremata, Canus, Victoria, Valentia, Tannerus, Suarez, & alij quamplures.

Digitized by Google

Nec obstat, quod habeant Characterem Baptismalem, & quod puniantur ab Ecclesia. Ex hoc enim solum infertur, secundum quid dici posse membra Ecclesiæ, scilicet quoad obligationem, vel promissionem, quam in Baptismo fecerunt; non simpliciter quia carent fide; Vnde dicuntur sub potestate ipsius, sicut membrum abscissum ab homine, scilicet manus, aut pes, etiam manet sub ipsius potestate. E contra vero, schismaticos non hæreticos; eo quod habeant fidem, & vnionem internam cum alijs Ecclesiæ mẽbris, imo etiam aliquo modo cum Christi Vicario; & multo magis excommunicatos, propter eandem, & maiorem rationem, cum eam vnionem habeant cum membris, & capite Ecclesiæ; imo possint esse in gratia, & charitate, si per actum contritionis, vel charitatis, ante absolutionem ad Deum conuertantur. inter Ecclesiæ membra numerari debere rectius docent Aragonius, Bañez, Castrus, Suarez, Granadus, & Caspensis. De Cathechumeuis idem pariter dicendum, cũ possint habere fidem, gratiam, & charitatem; &, si moriantur saluari; cum extra Ecclesiam non sit salus *cap firmiter* relato. Et ita tenent Castrus, Suarez, Caspensis, & alij. Nec obstat quod non sint baptizati, & quod Baptismus sit ianua Ecclesiæ. Etenim in *cap. veniens de presbytero non baptizato* dicitur *non solum per sacramentum fidei, sed per fidem etiam Sacramenti* effici aliquem membrum Christi: ex quo infertur per votum Baptismi, quod includit fidẽ ipsius, & quod habet Cathechumenus, effici membrum Ecclesiæ, saltem quoad essentiam, & substantiam, mẽbrorum, etsi non quoad externam gubernationem, prout ferè dicunt Turrecremata, Valentia, & Granadus: quod alij etiam cum S. Thom. asserunt, dicentes Cathechumenos esse membra Ecclesiæ quoad meritum, non quoad numerum.

(De peccatorib.) De peccatoribus autem fidelibus, siue prædestinatis, siue etiam reprobis, quamuis aliqui cum Cano dicant non esse mẽbra, sed solum partes Ecclesiæ; nihilominus, quidquid sit de huiusmodi distinctione partis à membro, certius est esse membra Ecclesiæ. Ita enim colligitur ex Sacra Scriptura 1. Corinthiorum 12. vbi omnes fideles vocantur *membra* vnius corporis. Deinde, contra Nouatianos, Donatistas, Hussium, Vviclephum, & alios hæreticos recentiores, ex Concil. Constantiensi sess. 15. & 26. & Tridentin. sess. 6. can. 28. ac ex communi PP sententia exponentiũ de Ecclesia loca Sacræ Scripturæ, in quibus agitur de sagena missa in mare *ex omni genere piscium congreganti* Matth. 13. de area, in qua est triticum, & palea, Matth. 3 de vinea ferente vuas, & labruscas, Isai. 5. de decem Virginibus sapientibus, & fatuis Matth. 25. de arca Noe, in qua erant munda, & immunda animalia, 1. Pet. 3. & de magna domo, in qua non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia, alia in honorem, ac alia in contumeliam, 2. ad Timoth. 2. Quæ omnia manifestè docent Ecclesiæ membra tam esse reprobos, quam prædestinatos, tam peccatores, quam iustos, dummodo habeant fidem, quæ est, vt diximus, forma, per quam aliquis constituitur Ecclesiæ membrum. Nec obstat contra hoc, quod Ecclesia dicatur *Sancta*; imò Cantic. 1. de ea dicitur, *Macula non est in te*; & ad Eph. 5. non habens *Maculam, neque rugam, vt sit Sancta, & immaculata*; & quod Ecclesia sit corpus viuum, ac per consequens, quod non componatur ex peccatoribus, qui sunt mortui. Etenim quo sensu Ecclesia appelletur *Sancta* inferius dicetur. Deinde illud Cantic. 1. & ad Ephes. 5 intelligitur de Ecclesia triumphante; prout plures etiam ex PP. exponunt. Quod si de militante exponantur, accipi debent de tota Ecclesia propter præcipuas partes, scilicet iustos, qui quamuis habeant peccata venialia, nihilominus carent mortalibus: quę sunt macula simpliciter: propterea enim sæpe in Sacra Scriptura vocantur *Immaculati* Ad vltimum dico. Ecclesiam, esse corpus viuum, tum propter præcipua membra, quę sunt iusti, tum quia etiam peccatores fideles sunt viui radicaliter ratione fidei, quę est principium, radix, & origo iustificationis, seu gratię, quę est vita vera. Videndi Turrecremata, Castrus, Petrus Sotus, Vega, Suarez, Tannerus, & alij Controuersiltę, ac ex nostris Vvaldensis supra cap. octauo, & alijs sequentibus.

Notæ Ecclesię. Huius verò militantis Ecclesię sunt plures notę, seu proprietate, id est, signa quędam, quibus vera Ecclesia dignoscitur, & à falsa discernitur. Etsi autem diuersimodè à Doctoribus numerentur, aliqui enim solum quatuor, alij septem, alij cum Valentia, & Tannero octo, numerent, cum omnes in re ipsa conueniant, placuit hanc posteriorem numerationem sequi, & ex ipsius enodatione intentum huius quęstionis elucidare.

Esse vni. Prima igitur Ecclesię nota est esse *vnam*. Habetur enim in Symbolo. Item in Sacra Scriptura Cantic. 6. *Vna est Columba mea*; ad Ephes. 4. *Vnum corpus*, & *vnus spiritus*, & postea *vna fides*. Dicitur autem Ecclesia *vna*, non solum propter vnum primũ fundatorem, scilicet Deum, vel Christum; sed etiam, quia ordinatur ad vnum finem, scilicet

ſcilicet vitam æternam, & per eadem media, ſcilicet Sacramenta, & ſub vno, & eodem capite, ſcilicet Chriſto, & eius Vicario; ac præſertim propter vnitatem internæ fidei, quæ, vt diximus, eſt veluti forma Eccleſiæ, & vnionem, ſeu colligationem fidelium ad vnam externam profeſſionem diuini cultus. Vide Vvaldenſ. to. 3. tit. 9. cap. 81. num. 9.

Secunda. Secunda eſt, eſſe *ſanctam*. Sic enim etiam habetur in Symbolo, & colligitur ex aliquibus locis Sacræ Scripturæ adductis, ac ex illis, in quibus dicitur *Columba*, *Sponſa*, *Amica*, *Regina*, *domus Dei*, hæc enim Epitheta competunt Eccleſiæ, ratione ſanctitatis. Porrò dicitur *Sancta*, tum quia in ea plures ſunt Sancti, tum quia eius Caput præcipuum, ſcilicet Chriſtus, eſt Sanctiſſimus: tum quoque ex fine, medijs, legibus, ſacrificijs, Sacramentis, ritibus, & cultu Dei, quæ in ea ſunt, & diuinis Chariſmatibus, quibus à Deo decoratur: ac denique ex inſtituto, & intentione ſua, quibus auerſatur omne genus malitiæ, & deſiderat omnem ſanctitatem. Pro quo videndus Vvaldenſis ſupra cap 9.

Tertia nota. Tertia, eſſe *Catholicam*. Ita enim vocatur in Symbolo Apoſtolico, & Niceno. Et per ſe ſatis patet, eo quod idem eſt eſſe *Catholicam*, ac eſſe *Vniuerſalem*. Eſt namque vniuerſalis, tum ratione loci, quia per vniuerſum mundum euulgata fuit, iuxta illud, *In omnem terram exiuit ſonus eorum*: tum ratione temporis, quia incepit ab initio mundi in noſtris primis parentibus, & durabit vſque ad finem illius: tum ratione perſonarum, quia ab ea nullus excluditur; quin potius omnes gentes, & nationes ad ſe vocat, & omnes tenentur ad illam venire, iuxta illud Marci vltimo. *Qui vero non crediderit, condemnabitur*: tum denique ratione doctrinæ, quã docet, quia eſt de omnibus rebus, & de omnibus virtutibus, ac contra omnia vitia.

Quarta. Quarta, eſſe *Apoſtolicam*: ſic enim vocatur in vtroque Symbolo relato, & colligitur ex illo ad Epheſ 2. *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum*. Et Apoc. ypſ 21 *Murus ciuitatis habens fundamenta duodecim*. Talis autem dicitur, tum quia ab Apoſtolis prædicata fuit, & ab illis propagata; tum quia ſequitur eorum traditiones, & doctrinam, regimen, & formam, quam ipſi præfixerunt: ac denique quia eorum ſanguine purpurata eſt. Legendus Vvaldenſis tom. 1. lib. 2. art. 2. cap. 17. & 18.

Quinta. Quinta eſt, eſſe *viſibilem*. Quæ colligitur ex Sacra Scriptura, in qua Eccleſia vocatur Sol. Pſalm. 18. & 88. *Lux mundi*, *Ciuitas ſupra montem poſita*, & lucerna *ſuper candelabrum*. Matth. 5. & quia Math. 18 dicitur; *Dic Eccleſiæ*, & Paulus 1. Corinthiorum 15. ait ſe perſecutum fuiſſe *Eccleſiam*, quæ omnia, & alia plura denotant Eccleſiam eſſe aliquid *viſibile*. Præſertim, quia debet eſſe nota omnibus, vt ad eam poſſint venire, & ſaluari: cum extra eam non ſit ſalus. Notandum autem non vocari Eccleſiam *viſibilem*, eo præcisè, quod conſtet ex hominibus, qui ſunt viſibiles, hoc enim nimis materiale eſt, nec negatur ab hæreticis; ſed talem vocari contra ipſos, qui ſolum ſpirituale, & inuiſibilem dicunt eſſe veram Eccleſiã; quia cœtus ipſe fidelium adeo quibuſdam inſignibus notis inter alios cœtus Papanorum, Iudæorum, & Hæreticorum, eſt decoratus, vt certo cognoſcatur, & credatur eam eſſe veram Eccleſiam, & cœtus alios non niſi Synagogam Sathanæ. Id autem probatur, tum ex encomijs relatis à Sacra Scriptura illi conceſſis; tum quia vtitur Sacramentis, ſacrificijs, ritibus, & cultu Dei, ac doctrina, viſibilibus, & ſenſibilibus, ac ſub paſtoribus, præſertim Summo Chriſti Vicario, qui etiam ſunt viſibiles. Nec obſtat, quod, vt diximus ſupra, fides interna, quæ eſt omnino ſpiritualis, ſit forma Eccleſiæ. Eſto enim ſit talis in ſe ipſa; nihilominus eſt viſibilis in ſuis effectibus, & ſignis relatis: quemadmodum, quamuis anima hominis ſit ſpiritualis, nihilominus in ſuis effectibus, & ſignis eſt viſibilis.

Sexta. Sexta eſt, eſſe *ordinatam*. Ideo enim Cantic. 6. vocatur *Caſtrorum acies ordinata*, & alijs locis vocatur *Regnum*, *Ciuitas*, *Templum*, *Domus*, *Tabernaculum*, *Hortus*, *Grex*, *Nauis*, & ſimilia, quæ neceſſario petunt ordinationem iſtam. Præcipuè autem hæc ordinatio conſiſtit in hoc, quod eſt quoddam corpus myſticum, in quo ſunt plura membra cum capite viſibili, ſcilicet Papa connexa, & ab eo dependentia, officijs, & actibus diſtincta: alij enim ſunt veluti oculi, ſcilicet Paſtores, & Doctores; alij ſicut pedes, & manus, qui videlicet ſunt merè ſubditi: omnes autẽ, vt ait Apoſtolus ad Roman. 12. *Vnum corpus in Chriſto*, *ſinguli autem alter alterius membra*, & ad Epheſ. 4. *Totum corpus compactum*, *& connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis ſecundum operationem in menſuram vnius cuiuſque membri*. legantur PP. & Expoſitores horum locorum!

Septima. Septima eſt, vt extra ipſam nemini pateat ſalus. Propterea enim 1. Pet. 3. comparatur Arcæ Noe, extra quam exiſtentes omnes perierunt. Et ratio eſt, quia *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*, ad Hebræ, 11. ergo & ſaluari. Confirmatur ex celebri illo Diui Auguſtini 4 de Symbolo cap. 10.

cap. 10. testimonio : *Non habebit Deum patrem,qui noluerit,Ecclesiam habere matrem.*

Octaua. Octaua est, esse *infallibilem*, ita vt in rebus fidei errare non possit. Quod non solum intelligitur de Ecclesia, prout coniuncta cum ipsius Capite visibili, scilicet Papa, aut in Concilio generali, iuxta dicenda quęstionibus sequentibus, sed de Ecclesia ipsa prout condistincta à Papa, & Concilijs, & quatenus solum importat totam collectionem fidelium : eo quod etiam vt sic,est *Columna, & firmamentum, veritatis*, 1. Timoth. 3. &, iuxta Christi promissionem Math. 16. *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam*. Et quia hoc pertinet ad specialem Dei prouidentiam, qua suam Ecclesiam gubernat, & regit. Maximè, quia Ecclesia isto modo sumpta, est, & vocatur *Sancta* in Symbolis, error autem in fide repugnat *sanctitati*. Et quia non potest deficere, vt infra dicetur, deficeret autem, si per hæresim erraret. Sic colligitur ex Suarez, Tannero, Castro Palao, Caspensi, Thoma del Bene, & nostro Philippo à Sanctissima Trinitate to. 3. disput. 3. dub. 1. Qui etiam propterea benè addunt, id etiam intelligendum de omnibus Pastoribus, seu Doctoribus. Tum quia isti sunt præcipua membra Ecclesiæ; tum quia si illi possent errare in docendo, errare etiam posset tota collectio fidelium in credendo : siquidem isti tenentur illis credere, iuxta illud Matthæi 23. *Omnia quæcunque dixerint vobis, seruate, & facite*; & Luc. 10 *Qui vos audit me audit*, & illi dati sunt fidelibus, vt non circunferantur *omni vento doctrinæ*, ad Ephes. 4. Vide Vvaldensem supra lib. 2. ar. 2. cap. 23. & 25.

Corollar. Ex his autem infertur, propius ad intētum huius quæstionis, Ecclesiam esse dicendam Regulā fidei. Hoc enim colligitur ex his, quę diximus quæst. prima de Regulis fidei in communi, & in hac quæstione in particulari de ipsa Ecclesia. Nec obstat, quod assistentia Spiritus Sancti solum sit promissa Petro, illis verbis : *Ego rogabo pro te, vt non deficiat fides tua*. Etsi enim assistentia Spiritus Sāncti ad docendum ex Cathedra Ecclesiæ, seu definiendum solum competat Petro, & Successoribus, quia hoc pertinet ad clauem scientiæ ad regendum Ecclesiam; assistentia tamen Spiritus Sancti *in credendo*, etiā competit ipsi Ecclesiæ, propter dicta supra. Vide Suarez Tract. 1. de fide disput. 5. sect. 6. num. 9.

Ecclesia perpetua. Præter dictas notas, seu proprietates Ecclesiæ, est alia insignis prærogatiua ipsius, quo perpetuo duratura sit vsque ad finem mundi, sine vlla interruptione. Quod quidem loquendo de Ecclesia prout à Christo instituta, est de fide, prout probat noster Philippus à Sanctissima Trinitate tom. 3. disput. prima dub. 3. Colligitur enim ex manifestis Sacræ Scripturæ testimonijs, Matth. 16. *Portæ inferi non præualebunt aduersus eā*, & c. vlt. *Ecce ego vobiscum sum &c. vsque ad consummationem sæculi*. Luc. 1. *Regni eius non erit finis*. Et ad Ephes. 4. describitur Ecclesia duratura *donec occurramus omnes in virum perfectum*, id est, vsque ad diem Iudicij. Colligitur etiam ex contextu Apostoli ad Hebr. 7. & 8. vbi etiam illud Psalm. 109. *Tu es Sacerdos in æternum* applicat Christo. De quo etiam PP. inter quos Chrysostomus homilia quarta in cap. 6. Isaiæ optimè dixit : *facilius est Solem extingui, quā Ecclesiam obscurari*. Legendi Controuersistæ contra Sectarios.

Quid de Synagoga. De Ecclesia autem, prout à primis Parentibus incepit, etiam est certa, & communis sententia continuatam semper fuisse vsque ad Christi aduentum sine vlla interruptione. Quod colligitur primo, ex Dei summa prouidentia erga hominum salutem, qua vult *omnes saluos fieri*, & quæ non est extra Ecclesiam ; sicut neque remedium aliquod pro peccato originali tollendo à paruulis, qui per proprium actum iustificari non possunt, & actuali ab adultis ; quæ remedia in Ecclesia esse debebant : quia includunt fidem, quæ, vt diximus, est forma constitutiua Ecclesię Secundò, quia, cum Deus creauerit homines vt ipsi deseruirent, & vt consequi possent vitam æternam, cum nullus sine fide possit Deo placere, aut vitam æternam consequi, oportuit esse semper Ecclesiam, in qua est ista fides. Tertio, de facto ita contigisse constat ex tota historia Sacræ Scripturæ : incipiendo enim ab Adā, & Eua primis Parentibus Abel, & Seth eorum filijs, & successoribus, tam tempore legis naturæ, quam scriptæ, semper recensentur fideles aliqui, & sæpius iusti, & sancti, qui solum possunt esse in Ecclesia. Pro quo videndi Pighius, Driedo, Hosius, Sanderus, Michael Medina, Simanchas, Bellarminus, & Suarez. Legenda etiam quæ 1. Tom. Annalium in Apparatu cap. 1. & sequentibus diximus de specialibus Dei cultoribus, quos semper Deus habuit in Ecclesia.

Obiectio Obijci tamen potest contra hoc, primò, quod nostri primi Parentes esto quod in fide creati à Deo fuerint, nihilominus eam perdiderūt peccato infidelitatis, credentes potius serpenti dicenti illis ; *nequaquam morte moriemini*, quam Deo asserenti, quod essent morituri si comederent de ligno vetito, vt diximus Tom. 1. Tract. 7. disputat. quarta, quæst. secunda. Defecit ergo Ecclesia, quę erat in primis Parenti-

Parentibus. Secundò, quia etiam tempore Moysis videtur defeciſſe, cum Aaron Summus Pontifex, & populus dixit Exodi 32. de Vitulo aureo conflatili: *Hi ſunt Dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Aegypti*. Item tertio, tempore noſtri Patriarchæ Eliæ, cum ipſe 3. Regum 19. dixit: *Relictus ſum ego ſolus*. Similiter quarto, tempore paſſionis Chriſti, dicente eodem Matth. 26. ad omnes Apoſtolos, in quibus erat tunc Eccleſia; *Omnes vos ſcandalum patiemini*: in cuius ſignum videtur introducta illa cęremonia, quæ in Matutinis feriæ 5. 6. & Sabbathi Sancti fit, de extinctione omnium candelarum, vna ſola excepta, quæ Virginem Beatiſſimam repræſentat. Denique circa finem mundi videtur Eccleſiam omnino perituram ob perſecutionem Antichriſti, dicente Chriſto Luc. 18. *filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?*

Solutio. Hæc tamen parui momenti ſunt. Ad primum enim dico, quod ſtando in probabili ſententia eorum, qui dicunt, primos parentes noſtros non peccaſſe peccato infidelitatis, argumentum hoc eſt nullum, quia aſſumptũ eſt falſum: ſtando aũt in cõtraria ſententia, quam nos eo loco ſecuti ſumus vt probabiliorem, reſpondendum cum Bellarmino tom. ſecundo lib. tertio, cap. 16. §. *reſpondeo*, quem ſequitur Turrianus, tunc non fuiſſe Eccleſiam, ſed ſolum initium Eccleſiæ, & ita mirum non eſt quod defecerit. Addendum eſt, quod Eccleſia, de qua nunc loquimur, vt diximus in principio huius quæſtionis, debet eſſe congregatio fidelium ſub vno capite quod non erat tunc, cum etſi Adam eſſet Caput non habebat ſub ſe, niſi vnam ſolam Euam. Solum ergo incepit Eccleſia poſtquam Adam cepit habere filios, quia tunc iam erant plures fideles ſub vno Capite. Et quando dicitur ab aliquibus, quod Eccleſia cepit ab Adam intelligitur inchoatiuè, & initiatiuè, iuxta modum quo dici poteſt, quod numerus incipit ab vnitate. Ad ſecundum, nego etiam aſſumptum; quia conſtat, Moyſem, & Leuitas, & alios, qui cum Moyſe vlti ſunt iniuriam Deo irrogatam, non adoraſſe Vitulum. Addo, caſu quo omnes Iſraelitę defeciſſent in fide, adhuc non defeciſſet Eccleſia, quia inter Gentes fuiſſent plures fideles, & amici Dei, quemadmodum fuerunt Iob, & Melchiſedech, & poſtea fuerunt Cornelius Centurio, & Eunuchus Reginæ Candacis. Ex quo etiam reſponderi poteſt ad tertium, & quartum. Sed ſpecialiter ad tertium dico, falſum eſſe id, quod in eo ſupponitur, tum quia Deus dixit ad Eliam eo loco: *Et derelinquam mihi in Iſrael ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt incuruata ante Baal*; tum eſto, quod omnes qui erant ſub Rege Samariæ, qui tunc vocabantur Iſraelitę, in fide defeciſſent, non tamen defecerunt illi, qui erant ſub Rege Iuda in Ieruſalem, & alijs Vrbibus. Et ad quartum, illud ſcandalum Apoſtolorum fuiſſe puſillanimitatis, & timiditatis, & aliqualis dubij, etſi ſine pertinacia, propter capturam Chriſti; non infidelitatis, ſaltem in Diuo Petro, cui Chriſtus dixerat: *Ego rogabo pro te, vt non deficiat fides tua*: & Ioanne, cui Chriſtus in Cruce Matrem Virginem commendauit. Et caſu dato, quod Apoſtoli in fide defeciſſent, eſſent multi fideles, & ſancti, inter quos fides conſeruaretur, Magdalena videlicet, & eius familia, ac aliæ Mariæ, quæ tam ſolicitè ſpectabant eius reſurrectionem, Ioſephus ab Arimathęa, Nicodemus, & alij Iudęi, tam Ieroſolymis, quam in alijs Vrbibus exiſtentes. Vnde quamuis Turrecremata, & alij exiſtimauerint cœremoniam illam relinquendi ſolam vnam candelam accenſam in hebdomada Sãcta, denotare quod in triduo mortis Chriſti ſolum fuerit fides in Beatiſs. Virgine, æſtimatur hoc improbabile, cum ſolum denotet eandem Deiparam conſeruaſſe fidem eo tempore abſque vlla imperfectione, qualis fuit in alijs. Ad vltimam dico, nec etiam tempore illo perſecutionis Antichriſti defecturam fidem, in aliquibus ſaltem paucioribus, & quoad externam profeſſionem, eſto in pluribus alijs iacturam magnam habitura ſit. Pro his videndi Arboreus, Canus, Bellarminus, Suarez, & alij Controuerſiſtæ.

Quæſtio quinta:

De Papa, ſeu Pontifice Romano.

Regula viua, & viſibilis. PRimum certum in hac grauiſſima quęſtione eſt, eſſe in Dei Eccleſia aliquod Caput, ſeu Regulam viuam, & viſibilem, quæ ſimul ſit Iudex controuerſiarum fidei, quæ in illa exoriri poſſunt. Hoc enim colligitur ex dictis quęſt. prima, & ſecunda, ac ex eo, quod, cum regimen Eccleſiæ ſit *Monarchicum*, ideſt, vnius Principatus; non *Ariſtocraticum*, quod eſt plurium Optimatum; nec *Democraticum*, id eſt, plurium popularium, oportet quod ſit vnus Monarcha, cui hoc regimen competat.

Quænam ſit. Secundum certum eſt, hoc Caput in terris poſt Chriſtum Dominum, fuiſſe Apoſtolum Petrum, eiuſdem Chriſti Vicarium, & Summum Paſtorem in Eccleſia. Id enim colligunt omnes Catholici contra hæreticos recalcitrantes ex illo Matthęi 16.

Digitized by Google

thęi 16. vbi in prȩmium illius confessionis *Tu es Christus filius Dei viui*, ipsi dixit: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo Claues Regni Cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum, & in Cœlis, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in Cœlis*. Deinde ex Ioannis 21. vbi etiam in prȩmium specialis dilectionis Christi ei dixit: *Pasce agnos meos*, & postea secundò; *Pasce agnos meos*, & tandem tertiò: *Pasce oues meas*. Tertiò, ex illo Luc. 22. *Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*. Ex quo triplici loco, tanquã ex funiculo triplici, qui difficile rumpitur Eccles. 4. adiunctis alijs huius Summę Potestatis adminiculis, de prȩrogatiuis Sancti Petri, quę in Sacra Pagina denotantur, de testimonijs plurium Summorum Pontificum, Conciliorum, PP. Doctorum, traditione, & consensu totius Ecclesię, sic vallata manet hęc assertio, vt necesse non sit in eius probatione amplius immorari: prȩsertim, cum pro ea tuenda contra Sectarios huius temporis egregiè laborauerit Controuersistæ omnes, specialiter Turrecremata, Pighius, Sanderus, Bellarminus, Valentia, Suarez, & Tannerus. Videndus ex nostris Philippus à Sanctissima Trinitate tom. 3. disputat. 1. dub. quarto, & ante ipsum Gdido, vulgo, *Carmelita* nuncupatus, in Summ. de hęres. cap. 3.

Transit ad Successores.

Tertium, certum est, hanc Summam Diui Petri Potestatem non cum ipso perijsse, sed ad Successores fuisse extensam. Sic enim tenet tota Ecclesia, & Doctores relati contra eosdem Sectarios. Primo quidem ex dicendis infra de huiusmodi successoribus. Secundò, quia eadem necessitas, quę fuit in principio Ecclesię Christianę, quod esset vnus supremus Christi Vicarius in ipsa, militat etiam semper; nec est aliqua ratio, ob quam dici possit solum ad aliquod tempus id statuisse Christum, non pro semper: prȩsertim, quia talis potestas non est concessa Diuo Petro propter ipsum, sed propter Ecclesiam, quę vsque ad finem mundi duratura erat. Confirmatur exemplo Synagogę, in qua constitutum est à Deo Sacerdotium, quod continua successione duraret toto eo tempore, quo duratura lex esset: ergo à fortiori in lege noua, quę longè perfectior est, ita credendum est Christum instituisse. Addi etiam potest firma, & constans Ecclesiæ traditio, facto ipsius Petri confirmata, qui, vt historię tradunt, destinauit sibi successorem in Papatu D. Clementem, quod est signum euidens voluntatis Christi.

Episcopum Rom.

Quartum, certum est, huiusmodi Petri successores, ad quos eius summam potestatem transijsse diximus, esse Episcopos Romanos. Pro quo probando, aliud certum supponendum est, videlicet, ipsum Petrum Antiochena Ecclesia relicta, Romam veniisse, Episcopum ibi egisse, & mortem subijsse. Ita enim non solum Scriptorum cuiusque sęculi post Christum testimoniis roboratur; sed etiam ex Summorum Pontificum, Conciliorum, Patrum, & Doctorum consensu, adeo vt vanitas leuissima sit, oppositum asserere. Ex eo autem sic primo firmatur certum propositum. Si enim D. Petrus Romę extitit, Episcopum ibi egit, ac vitę finem habuit, nec id casu, aut fortuito, sed ex specialissima Dei prouidentia actum est, necesse est dicere, ideo sic contigisse, vt eius successores in Episcopatu Romano, etiam in suprema Papatus Potestate successores essent, cum non sit nec minimum probabilitatis vestigium ad dicendum, separatas, aut distinctas in illis fuisse has duas Dignitates, ita vt prior solum illis data fuisset, non autem posterior. Secundò suadetur ex pluribus ipsorum Pontificum Romanorum testimonijs id expressè asserẽtium, quę nullatenus eneruantur, si dicatur, in causa propria, ambitione ductos, locutos fuisse; cum enim fuerint vitę sanctimonia prȩstantes, aliqui ipsorum sanguine laureati, & doctrina prȩclari, temeritas magna est propterea eorum authoritati velle derogare. Deinde ex pluribus Concilijs, etiam Generalibus, quampluribus vetustiorum Patrum testimonijs; dictis, & factis Imperatorum Christianorũ, ac ex perpetua Ecclesię traditione, quę id fatentur. De quibus latè relati Authores.

Probatio

Quamuis autẽ propter ista veritas hęc de fide certissima sit, nihilominus sint alia plura, quę manifestè probant vsum, & exercitium huius Potestatis: de quibus etiam ijdem Authores. Qualia sunt quod Romani Episcopi semper in alios Orbis Episcopos iurisdictionem, & superioritatem exercuerint; cum illis, etiam in Sacris Canonibus dispensauerint; eos, & Principes sęculares ad obediendum Diuinis, & Ecclesiasticis prȩceptis coegerint, illos quoque suo munere priuando; nouos Episcopatus, & Ecclesias condiderint; Legatos, & Vicarios, quibus suas vices committerent, in variis Orbis partibus habuerint; leges & prȩcepta ad totius Ecclesię regimen spectantia tulerint; dubiis, & cõtrouersijs de rebus ad fidem, & mores spectantibus decidendis iudices fuerint; appellationes in grauioribus, & difficillimis Ecclesię causis ad ipsos factas admiserint, ac in eis iudicauerunt; de infidelium conuersione, & Ecclesię propagatione solicitè curauerint; hęreticos punierint; nutantes confirmauerint; ac omnia

alia

alia egerint, quæ ad Summum totius Eccleſiæ Caput ſpectare poſſunt. Quæ omnia, ſaltem ſimul iuncta, demonſtrant euidenter Epiſcopos Romanos ſemper Chriſti Vicarios, & Summos Pontifices extitiſſe.

Dubium. Si quæratur, quo Iure, diuino ne, an humano Papatus cum Epiſcopatu Romano ſit coniunctus. Reſpondeo, quod quamuis in hoc puncto non ſolum hæretici, ſed etiam aliqui Catholici, ſpecialiter Paludanus, & Sotus hallucinati ſint, credentes ex iure humano id contigiſſe; nihilominus certum videtur, Diuum Petrum id feciſſe ex præcepto, & voluntate Chriſti, ac per conſequens ex iure diuino, ſaltem mediato. Sic fermè Turrecremata, Driedo, Caietanus, Canus, Valentia, Suarez, Amicus, & alii; ac ex noſtris Vvaldenſis tom. 1. lib. 2. art. 3. cap. 41. Colligitur primo ex Marcello Papa *epiſt. 2. ad Epiſcopos per Antiochiam conſtitutos*, quæ habetur *ca. rogamus 24. quæſt. prima*; Leone Papa *in ſerm. SS. Petri, & Pauli*, Innocent. 3. *in cap. per Venerabilem, qui filij ſint legitimi*, & aliis Patribus, qui aiunt, ex peculiari Dei ordinatione id factum. Secundò, quia ſi id factum eſſet à Sancto Petro præcisè propter authoritatem Pōtificiam, qua fungebatur, poſſet alterius Pontificis authoritate mutari; vel ſaltem aliquando tentata eſſet mutatio à Conciliis, vel Imperatoribus, quod nullatenus contigit. Tertiò, quia quemadmodum prima inſtitutio Papatus à ſolo Chriſto facta eſt, ſic decuit, & eius vnio cum Epiſcopatu Romano fieri. Videndi Roſſenſis, Echius, Pighius, & alii relati. Apud quos etiam de obiectis contra dicta.

Difficult. His præſuppoſitis, difficultas eſt, an Epiſcopus Romanus, ſeu Summus Pontifex, in rebus fidei proponendis errare poſſit. Eſt autem ſermo de illo vt Pontifex eſt, quando videlicet aliquid proponit Eccleſiæ, intentionē illam obligandi ad credendum; non quatenus perſona priuata, aut Doctor particularis: vt ſic enim errare poteſt ex ignorantia. An verò ſcienter errare poſſit, ita vt ſit hæreticus, affirmant Caſtrus, Caietanus, Adrianus, Driedo, Canus, Turrecremata, Sotus, Bañez, Aragon, & Turrianus. Pie tamen, & probabiliter id negant Pighius, Hoſius, Bellarminus, Simancas, Maldonatus, Granadus, & alii: Innixi Præſertim verbis illis Chriſti, Luc. 22. *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua* dictis Diuo Petro.

Pars affirmatiua. Partem affirmatiuam tenent non ſolū hæretici, ſed etiam ex Catholicis Gerſon, Almainus, Caſtrus, & Adrianus, loquentes de Papa extra Concilium. Probatur primo exemplis aliquorum, qui erraſſe creduntur. Secundò, quia, cum Pōtifex in rebus fidei proponendis teneatur conſulere Doctores, & facere diligentiam ad non errandum, ſi id non faciat cum Concilio, errare poterit.

Nihilominus veritas eſt de fide certa, Summum Pontificem, etiam extra Concilium, errare non poſſe in rebus, quas proponit Eccleſiæ vt credendas. Ita Sanctus Thomas quæſt. prima articulo decimo, & quæſt. 11. artic. ſecundo, & alibi, Expoſitores ipſius, & alii, etiam ex antiquioribus, ſpecialiter Alenſis, Albertus, Richardus, Durandus, & Paludanus, ac ex noſtris Thomas Vvaldenſis to. 1. lib. 2. c. 47. & Philippus à Sanctiſſima Trinitate to. 3. diſputat. tertia, dub. 4. Colligitur primo, ex locis Sacræ Scripturæ pro ſecundo certo adductis. Specialiter ex illo Luc. 22. *Rogaui pro te ne deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*. Sicut enim ex ijs locis colligitur Sanctum Petrum non potuiſſe errare in ijs, quę Eccleſiæ proponeret vt credenda, ſic etiam probant de Pontifice Romano, qui, iuxta dicta, tertio, & quarto certo, ſuccedit ipſi in authoritate regendi Eccleſiam. Secundò, ex Fœlice Primo Papa, Agathone, Nicolao Primo, Leone Nono, Innocentio Tertio, qui hoc ſenſu intelligunt illud Luc. 22. relatum. Tertio ſpecialiter ex Leone Decimo in Bulla contra Lutherum, vbi inter alias propoſitiones illius damnat contrariam huic aſſertioni. Quartò, ex praxi Eccleſiæ, qua conſtat quam ſæpius Pontifices Romanos extra Cōcilium damnaſſe plures hæreticos, ac proinde determinaſſe ſententias contrarias ipſorum erroribus. Denique quinto, quia ſi ad definiendas fidei veritates ſemper eſſet neceſſarium congregare Concilia, cum ipſa valde difficile congregari poſſint; imò aliquando impoſsibile propter bella, peſtes, & perſecutiones Tyrannorum, non eſſet ſufficienter prouiſum Eccleſiæ à Deo circa ſedandas controuerſias fidei, & compeſcendas hæreſes. Vide plura alia apud Amicum.

Veritas certa.

Ad primum igitur in contrarium, quia tangit multa, quibus modo ſatisfacere prolixum eſſet, & de quibus in particularibus materijs dicetur, modo dicimus, in communi loquendo, nullum Pontificem Romanum aliquid contra fidem definiſſe, eſto quod materialiter, & per ignorantiam, non ſcienter, aut cum pertinacia, aliqui errauerint, vt priuatæ perſonæ: quemadmodum de Ioanne Vigeſimoſecundo circa controuerſiam illam de viſione Dei fruenda ante diem Iudicii diximus tom. 2. Tract. 1. diſput. tertia, quæſt. octaua. Videndi Canus, Valentia, Bellarminus, Amicus, & alii Controuerſiſtæ. Addendum etiam, quod caſu dato, & non con-

Solutio cōtrariorū

conceſſo, quod Pontifex aliquis Romanus erraſſet in definiendo aliquid falſum; nihilominus ad prouidentiam Dei ſpectare, vt talis definitio non publicaretur, ſaltem legitimè, ne ſcilicet Eccleſia, quæ eſt *Columna, & firmamentum veritatis*, aliquid falſum crederet. Sic etiam notat Tannerus contigiſſe in approbatione Sacrorum Bibliorum facta à Sixto Quinto, in quibus multa continentur, quæ poſtea Clemens Octauus in editione ipſorum Bibliorum emendauit: talis enim approbatio nunquam fuit legitimè publicata, vt idem Tannerus probat

Circa ſecundum, plura dicuntur à DD. nobis tamen dicendum primò, quod attinet ad præſens, nihil probare argumentum; extra Concilium enim poterit Papa conſulere Doctores, & præſertim DD. Cardinales, quales ſemper ſunt plures in Curia cum ipſo, & ita non errabit. Deinde dicendum, quod quamuis Papa non debeat ſine conſilio Sapientum, maximè Cardinalium, quantum temporis, & negotii ratio poſtulauerit, aliquid definire; alioquin grauiter peccaret, quia imprudenter, & temere tunc procederet: imò in re dubia ſemper credendum ſit Papam ſic geſiſſe: nihilominus in caſu hypothetico, quod non faceret, adhuc dicendum eius definitionem eſſe infallibilis veritatis; eo quod aſſiſtentia Spiritus Sancti Petro, & ipſi, à Deo in definiendo promiſſa, fuit abſolura, non conditionata, ſi diligentiam adhiberet, aut limitata. Sic fermè Valentia, Caſtrus Palaus, Caſpenſis, & ex parte Tannerus, Granadus.

Ex dictis autem infertur primò, vt de fide certum, nec etiam Papã errare poſſe in condendis legibus, ſeu præceptis ſpectantibus ad mores pro tota Eccleſia. Sic enim docent Catholici Doctores, ſpecialiter Canus, Bañez, Bellarminus, Valentia, Malderus, Suarez, Siluius, & Amicus. Colligitur primò, ex teſtimoniis Sacræ Scripturæ relatis, Matth. 16. *Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in Cælis, & quodcunque ſolueris ſuper terram &c.* Luc. 22. *Confirma fratres tuos*, & Ioann. 21. *Paſce oues meas* &c. Sicut enim in iis locis denotatur aſſiſtentia Spiritus Sancti promiſſa Petro, & eius ſucceſſoribus quoad regimen Eccleſiæ vniuerſalis, ſic etiam in condendis dictis legibus. Secundò, quia alias erraret in paſcendis ouibus Eccleſiæ, & cõſequenter etiam poſſet errare tota Eccleſia obediẽdo ſuo Paſtori.

Dixi autem *in condendis legibus* &c. *pro tota Eccleſia*, quia certum eſt in caſibus particularibus, & circa quæſtiones de facto, an ſcilicet hic, vel ille ſit promouendus, vel deponendus, excommunicandus, vel abſoluendus &c. poſſe errare Papam: eo quod in illis non procedit ex aſſiſtentia Spiritus Sancti, ſed ex iudicio, ac informatione humanis, quę ſunt fallacia, & incerta, *cap. à nobis eſt de ſentent. excommunication.* Sic ita tenent Bañez, Granadus, Palaus, Amicus, Thomas del Bene, & alii communiter. In dubiis tamen ſemper ſentiendum, & loquendum cum reuerentia debita S. Sedi.

Infertur etiã ſecundo, ſimiliter, vt certũ de fide, nec poſſe Papam errare in approbatione Religionum. Sic enim tenent Bañez, Valentia, Turrianus, Suarez, Siluius, Palaus, & Amicus contra Canum. Probatur ex fundamentis adductis ſupra; & præſertim, quia Pontificem approbare aliquã Religionem non eſt aliud, quam proponere illam toti Eccleſiæ, vt veram viam ad Chriſtianam perfectionem; ſed in hoc nõ poteſt errare, alias etiam errare poſſet tota Eccleſia ſequendo ſuum Paſtorem: ergo. Confirmatur, quia approbatio alicuius Religionis eſt quędam virtualis definitio, quod illa Religio eſt medium conueniens ad vitam ęternam: non ergo poteſt in hoc magis errare, quam in aliis definitionibus circa fidei dogmata, & mores. Nec obſtat quod aliquę Religiones à Sede Apoſtolica approbatę, ſint poſtea ab ipſa extinctę. Per hanc enim extinctionem non reprobatur ſtatus Religionis, qui eſt obſeruantia Conſiliorum Euangelij, ſcilicet obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis ex voto; ſed declaratio quod Religioſi illius Religionis non rectè obſeruarent hęc vota, vel quod illis admiſcerent prauas aliquas conſuetudines.

Pariter etiam infertur tertio, eadem certitudine fidei tenendum, Pontificem in Canonizatione Sanctorum errare non poſſe. Sic enim docent Valentia, Rocha, Amicus, Turrianus (qui id eſſe probabile ait) Palaus, & Thomas del Bene. Sumitur ex fundamentis adductis ex Sacra Scriptura. Secundò, ex dictis. Si enim certum eſt de fide Papam errare non poſſe in legibus ad Eccleſiam vniuerſalẽ ſpectantibus; pariter etiam certum erit, nec poſſe errare in Canonizatione Sãctorum: quia cum Papa aliquem Canonizat, obligat totam Eccleſiam ad credendum eum eſſe Sanctum, eſſe in Cælis, & eſſe venerandum. Prout patet in Inſtrumento Canonizationis Sancti Andreæ Corſini, quod retulimus in noſtris Conſultis Conſulto primo, num. 61. vbi ſic dicit Vrbanus Octauus: *Decernimus, & definimus bonæ memoriæ Andream &c. Sanctum eſſe, ac Sanctorum Catbalogo aſcribendum, ipſumq; Sanctorum Cathalogo aſcribimus, ſtatuentes, vt ab vniuerſali Eccleſia anno quolibet in die obitus ipſius, feſtum deuotè, & ſolemniter celebretur.* Tertiò, quia in Canoni-

zatione

Circa ſecundum.

Corollar.

Explicatur.

Corollar.

Aliud.

zatione Sanctorum procedit Pontifex decernendo, & definiendo, vt patet ex verbis relatis: quemadmodum ergo est de fide certum, quod in alijs definitionibus ad fidem, & mores spectantibus, Pontifex errare non possit, sic & in præsenti. Nec obstat si dicatur, Canonizationem Sanctorum fieri propter testimonium habitum de sanctitate, miraculis &c. quod est fallibile. Respondetur enim non fieri propter illud, vt motiuum formale, quia hoc solum est specialis instinctus, & assistentia Spiritus Sancti; sed vt conditionem præuiam: quod etiam suo modo contingit in diligentijs, quas Pontifex facit pro definiendis propositionibus de fide.

De Beatificatione Sanctorú

Loquendo autem de beatificatione Sanctorum, quamuis communior sententia teneat cum Caietano, Bañez, Maldero, Suarez & alijs, non esse de fide Papam in illa errare non posse, esto quod asserere posse errare temerarium sit, vel alia censura dignum; nihilominus, iuxta dicta in præfato Consilio num. 51. & seqq. ex Palao, Caspensi, & Castellino, quibus etiam iunguntur Thomas del Bene, & Bordonus *in Controuers. moralibus, controuers.* 13 *à num.* 15. probabile est, etiam esse de fide Papam errare non posse in Beatificatione, ita vt hæreticus sit qui oppositum asseuerit. Fundamenta sunt præter adducta eo loco, primum, quia Papa in Beatificatione Sanctorum non procedit vt persona priuata, sed vt Papa, & ex assistentia, & instinctu Spiritus Sancti; ergo non potest errare. Secundum, quia, vt omnes admittunt, vt de fide certum, Papa non potest errare in ijs quæ spectant ad fidem, & mores; quale videtur Beatificare Sanctos. Tertium, quia, vt etiam, omnes admittunt vt de fide certum, Papa errare non potest in ijs, quæ proponit toti Ecclesiæ: esto autem Sanctus Beatificatus non proponatur toti Ecclesiæ quoad cultum, & honorem, Missæ, & Officij; quia hoc modo solum proponitur determinatè alicui Regno, Ciuitati, Ecclesiæ, Religioni &c. nihilominus toti Ecclesiæ proponitur vt Beatus; cuius signum est, quod describitur in Martyrologio Romano, quod legi potest in omnibus Ecclesijs, & tota Ecclesia potest illum appellare Beatum, depingere cum radijs, diademate, & laureolis. Vide alia tom. 4 meæ Summ. quæst Regular. verbo *Sanctorum cultus num.* 3.

Alia remissiuè

Alia etiam, quæ spectant ad Canonizationem, & Beatificationem Sanctorum latè discussa habet lector in nostro Consulto relato, & in Summa Quæstionum Regularium tom. 4. verbo *Reliquiæ Sanctorum*, verbo *Ritus Sacri*, & verbo *Sanctorum cultus*, ac maximè *tom.* 1. *cap.* 12. *numero* 37. vbi quod de Sancto Beatificato non potest celebrari Officium, aut dici Missa, nisi solum ab illis, & loco ac tempore designatis in Bulla, seu Breui Beatificationis: esto quod oppositum dicant Palaus, Caspensis, & Thomas del Bene, non animaduertentes id esse contra stylum Curiæ, & mentem S. Congreg. Rituũ. Cautius loquuntur Turrianus, Bordonus, & Granadus nobiscum sentientes.

Ex dictis autem in tota hac quæstione constat, Summum Pontificem esse præcipuam Regulam animatam fidei, ac Iudicem controuersiarum, quæ in Ecclesia oriri possunt. Cum habeat omnes conditiones ad id requisitas, iuxta dicta quæstion. 1. 2. & 4. Restant tamen duæ difficultates. Prima est, quo modo possit Summus Pontifex Dignitatem Pontificiam amittere. Secunda, quanta certitudine tenendum sit, quod hic numero Summus Pontifex, qui modo viuit, scilicet, Sanctissimus D. N. Alexander Septimus, sit verus Pontifex. Corollar.

Ad primam, certum est primo, Pontificem per renunciationem amittere posse Papatum. Ita enim constat ex cap. 1. de renunciat. in 6. Glossa, & Doctores ibidem, ac ita fecisse Cœlestinum Quintum narrant historiæ. Attenta etiam Summa Potestate Papæ, & textu illius capitis, in quo Pontifex absolutè, & sine vlla restrictione posse renuntiare Papatui, probabilius est id facere posse etiam sine consensu Ecclesiæ, prout tenent Suarez, Tannerus, & Amicus contra Bellarminum. Certum est secundo, in aliquo casu posse Papam inuitũ Papatu priuari. Ita enim colligitur ex ca. si Papa dist. 40 & ex 8. Synod. Generat. 7. ac ex Leone 2. in ep. ad sextã Synod. Imo etiam conueniunt Doctores, specialim Suarez, Tannerus, & Amicus relati, quod in casu perpetuæ amentiæ iure diuino sit priuatus Papatus: eo quod perpetua amentia æquiparatur morti, & vsus rationis sit fundamentũ iurisdictionis spiritualis. Quæstio ergo solũ est, pro alijs casibus. 1. Difficultas.

Et dicendum, in nullo alio casu, præter quam hæresis, posse priuari Papa quantũuis iniquus sua Dignitate. Sic ex D. Th. in quarto distinct. 19. quæst. secunda, art. 2. quæstiunc. 3. ad 2. tenent Turrecremata, D. Antoninus, Caietanus, Augustinus de Ancona, Corduba, & alij recentiores. Colligitur primò, ex illo Matth. 23. *Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ, & Pharisæi, omnia ergo quæcunque dixerint vobis seruate, & facite: secundum opera vero eorum nolite facere*. Et 1. Pet. 2. præcipitur obedire, *non tantum bonis, & modestis, sed etiam dyscolis*. Secundò, quia quodcunq; peccatum, præter hæresim, relinquit Papam membrum Ecclesiæ; ergo etiam poterit relinquere Papam. Tertiò, quia id Resolut.

fuit valde expediens, vt præcluderetur ianua pluribus calumnijs, & occasionibus schismatis. Quod vero propter crimen hæresis priuari possit Papatu, colligitur ex iuribus adductis, & alijs apud recentiores. Ac ex eo, quod, cum per illud homo cõstituatur extra Eccles. & ex natura sua sit malum valde pernicioſum, quod *serpit sicut cancer*, oportuit quod ratione ipsius Papa priuetur. Si quæras à quo sit priuandus, Turrecremata, Paludanus, Driedo, Salmeron, Valentia, Tannerus, & alij dicũt, à solo Deo priuari posse: è contra vero Caietanus, Canus, Sotus, Bañez, Malderus, Suarez, & Turrianus etiam cum alijs, tenent id faciendum ab Ecclesia. Melius tamen credo dicendum, quod quemadmodum in creatione Papæ Ecclesia solum designat personam, Deus autem immediatè confert *illi* eam Dignitatem, sic in casu notorio hæresis Papæ, etsi ab Ecclesia possit, & debeat declarari vt hæreticus, & ineptus ad Papatum ob publicum periculum ipsius Ecclesiæ; Deus autem erit, qui immediatè illum deponit, quia solus ipse habet authoritatem super ipsum. Ita Granadus, & Amicus. Vide alia apud hos, & relatos authores, ac Philippum à SS. Trin sup. dub. 5.

De 2. difficult. Ad secundam, pluribus prætermissis, dicendum, quod quamuis Turrecremata, Caietanus, Bañez, Castrus, Canus, Vega, Corduba, & alij Doctores Hispani in suis manuscriptis dixerint; non esse de fide diuina, sed solum certitudine quadam morali certum, hunc numero hominem, qui pro Papa habetur, esse verum Papam; eo quod non est vllo modo à Deo reuelatum, nec ab Ecclesia definitum, nec certo constat, an sit baptizatus, ac per consequens, an sit Sacerdos, & casu quo id constaret, non constat ex fide, quod canonica electione creatus fuerit: nihilominus probabilius est id esse certum de fide. Ita Valentia, Suarez, Lessius, Cardinalis Lugo, Siluius, Tannerus, Palaus, Amicus, & alij communius, quibus adhæret noster Philippus à Sanctissima Trinitate tom. 3. disputatione prima dub. 5. Primò, quia id supponit Martinus Quintus in Bulla apud Concilium Constantiense, in qua hæreticis reconciliari volentibus cum Ecclesia, proponitur inter alia credendum, quod Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit, sit verus Papa. Secundò, quia Concilium Chalcedonense, sexta Synodus, Concilium etiam Mileuitanum, & alia, Papam tunc regnantem pro vero Papa agnoscũt, & Ecclesiæ proponunt: ergo est de fide tales fuisse veros Pontifices. Tertiò, quia si non est de fide hos numero Pontifices esse veros Christi Vicarios; ergo nec etiam erit de fide, quod Concilia etiam generalia ab ipso congregata, & confirmata sint vera Concilia; cum tamen Ecclesia talia Concilia veneretur veluti Euangelia, iuxta Diui Gregorij testimonium. Quartò, quia de fide certum est, hanc numero Ecclesiã, scilicet Romanam, quæ modo est sub Alexand. VII. esse veram Ecclesiam: ergo eadem fide credere debemus ipsum Alexandrum, sub quo hæc Ecclesia, tam quam sub Capite, & Christi Vicario militat, esse verum Papam. Denique, quia si oppositum daretur, plurima dogmata fidei corruerent, vel saltem nutarent. Nam quod aliquis liber sit Canonicus v. g. Tobiæ, aut Iudith, pendet ex eo quod Concilium, v. g. Tridentinum, eum approbauit pro Canonico; & quod idem Concilium fuerit legitimum, ex eo, quod Papa illud confirmauit: si ergo certum non est de fide quod Papa confirmator Concilij fuerit verus Papa, nec erit de fide, quod Concilium ab illo approbatum, & confirmatum, aut liber Canonicus à Concilio approbatus, sint vera, & legitima. Idem dici potest de mille alijs veritatibus fidei à Papa, vel Concil ijs definitis.

Rationes

Rationibus etiam à priori probatur efficaciter idem assumptum. Prima sumitur ex parte ipsius Papæ, quia, vt constat ex dictis, de fide certum est, Summum Pontificem errare non posse in ijs, quæ toti Ecclesiæ proponit ad fidem, & mores spectantia: sed Papa, qui modo est postquam à Cardinalibus creatus fuit, se illis præsentialiter proposuit adorandum, & colendum, vt verum, & legitimum Papã, idemque manifestauit alijs Principibus, tum Ecclesiasticis, tum etiam sæcularibus, per Orbem Christianum dispersis, litteris, idque spectat ad fidem, & mores totius Ecclesiæ, vt patet: ergo de fide est ipsum esse verum Papam. Secunda, sumpta etiã ex parte ipsius Papæ, quia, vt etiam constat ex dictis, de fide certum est, quod ille, qui potest pascere totum gregem Christi, propositiones de fide definire, Sãctos Canonizare, Religiones approbare, & similia facere, est verus, & legitimus Papa: sed hoc potest facere Alexander Septimus modo regnans: de fide ergo certum est eum esse legitimum Papam. Tertia, ex parte ipsius Ecclesiæ, quia, vt constat ex dictis quæstione quarta, etiam est de fide certum, quod tota Ecclesia errare non potest, in ijs saltem, quæ pertinent ad fidei dogmata, & mores: eo quod ipsa, ex Apostolo sit *Columna, & firmamentum veritatis*: sed tota Ecclesia, omnesque fideles agnoscunt vt verum Papam, & vt talem venerantur, & colunt Alexandrum Septimum (idem dico de alijs pro legitimè electis habitis ab Ecclesia) ergo de fide est esse verum Papam.

Fun-

Cõtrariis respondetur.

Fundamentis autem in contrarium positis vnico verbo respondetur, quod eo ipso, quod Papa à Cardinalibus habetur pro canonicè electo, & ipse se proponit ipsis, & toti Ecclesiæ, vt adorandus, & colendus, & ab ipsis & tota Ecclesia adoratur, & colitur, eo inquam ipso, censetur implicitè reuelatum à Deo illum esse Papam: in illis videlicet testimonijs, ex quibus generaliter habetur Ecclesiam errare non posse. Similiter eo ipso censetur etiam implicitè à Papa definitum eum esse Papam, baptizatum, Sacerdotem &c. & canonicè electum.

Quæstio sexta.

De Concilijs.

Concilij quid.

NOmine *Concilij* Latinè, seu Synodi Græcè, in præsenti intelligitur Congregatio aliqua Maiorum, seu Prælatorũ Ecclesiæ sub aliquo certo Capite ad eiusdem Ecclesiæ negotia pertractanda. Quẽadmodum in Regnis, seu Prouincijs Comitia sunt quædam Congregationes ex Proceribus, seu Maioribus Regnorum, seu Prouinciarum sub quodam Capite ad negotia ipsorum tractanda. Est autem Concilium quadruplex, scilicet Generale, seu Oecumenicum, Nationale, Prouinciale, & Diœcesanum. Concilium Generale est quod constat ex Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, alijsque Prælatis totius Ecclesiæ, sub Papa: Nationale, quod ex Archiepiscopis, & Episcopis vnius Nationis sub Patriarcha, vel Primate ipsius: Prouinciale quod ex Episcopis alicuius Prouinciæ sub Archiepiscopo: & Diœcesanum, quod ex Sacerdotibus, seu Presbyteris vnius Episcopatus sub Episcopo illius. Quamuis autem Concilia prædicta ferè innumera sint, & Generalia etiam sint quamplura, de quibus historiæ Ecclesiasticæ, nihilominus hæc sunt præcipua Concilia Generalia. Primum est Nicænum contra Arriũ; secundum Constantinopolitanum primũ contra Macedonium; tertium Ephesinum contra Nestorium; quartum Chalcedonense contra Eutichem (quæ quatuor Concilia à Diuo Gregorio, & alijs comparantur quatuor Euangelijs); quintum, Constantinopolitanum secundum contra Petrum Antiochenum, & reliquias Nestorianorum; sextum, Constantinopolitanum tertium contra Monothelitas; septimum, Nicænum secundũ contra Iconomachos; octauum, contra Photium Iconomachum; nonum, Lateranense sub Innocent. 3. pro reformanda Ecclesia; decimum, Lugdunense contra Federicum Imperatorem sub Innocent. 4. vndecimum, aliud Lugdunense sub Gregorio decimo pro vnione, & reformatione Ecclesiæ; duodecimum, Constantiense, pro tollendo schismate; tertium decimum, Basilicnse pro disciplina Ecclesiastica, etsi non semper fuerit legitimum; quartum decimum, Florentinum pro vnione Ecclesiæ Græcę; & quintum decimum, Tridentinum contra Lutherum, & nouos Hæreticos.

Primum certum.

His præiactis, primo certum est, quæcunque Concilia, siue Generalia, siue etiam Nationalia, Prouincialia, aut Diœcesana, à Papa approbata, seu confirmata, esse infallibilis authoritatis, & Regulam fidei, in rebus fidei definiendis, Ratio est ex dictis quæst. præcedenti. Si enim Summus Pontifex infallibilis est authoritatis, & regula fidei in rebus fidei definiendis; ergo etiam in approbandis, & confirmandis: probatur consequentia, quia illa approbatio, & confirmatio est quædam definitio. Confirmatur ex illo Iuris axiomate desumpto ex l. 1. §. omnia, C. de veteriure enucleand. scilicet *Omnia nostra facimus, quibus authoritatem nostram impartimur*: cum ergo Pontifex suam authoritatem impertitur alicui veritati determinatæ à quocunque Concilio, censetur illã definire, ac per consequens ea erit infallibilis veritatis, & Regula fidei. Secundò probatur ex praxi, & vsu Ecclesiæ: in qua Concilia quælibet à Papa approbata, etiã si generalia non fuerint censentur esse infallibilis veritatis. Quod patet in primo Concilio Apostolorum Actorum 15. quod non fuit Generale, cum solum quatuor Apostoli, scilicet Petrus, Paulus, Iacobus, & Barnabas ei adfuerint: deinde in Concilio Mileuitano approbato ab Innocentio primo; Arausicano, & Carthaginensi à Leone primo, & Bonifacio; & in Concilijs Carthaginensi, Ancyrano, Neocęsariẽsi, Gangrensi, Sardicensi, & Africano, prout constat ex cap. *de libellis dist.* 20. Ac maximè in Concilio Complutensi, in quo damnati sunt errores Petri Oxomensis, & approbatum fuit à Sixto Quarto. Alia Concilia Prouincialis virtualiter, & implicitè approbata ab Ecclesia afferunt Canus, Bellarminus, Valentia, & Granadus.

Secundũ.

E contra verò etiam est certum secundò, Concilia, siue Nationalia, siue Prouincialia, multo magis Diœcesana, non esse infallibilis veritatis, nec Regulam fidei, nisi sint à Papa approbata, vel confirmata. Ratio est, quia promissio assistentiæ Spiritus Sancti in rebus fidei determinandis solum est promissa Petro, & eius Successoribus; vt patet en locis S. S. adductis quæst. præcedenti: non ergo competit prędictis

Conci-

Concilijs. Secundò, quia plura ex illis erraruntin rebus fidei, vt patet in Carthaginensi sub Sancto Cypriano, quia in eo decisum est baptizatos ab hæreticis iterũ rebaptizari debere. Alia referunt Bellarminus, & alij, qui simul dicunt, quod quamuis præfata Concilia non sunt infallibilis veritatis, nihilominus quando non errant contra fidem, esse magnæ authoritatis, vtpote quia à pluribus, & valde doctis Viris celebrata fuerunt.

De Concil. Generał. Loquendo autem de Concilijs generalibus difficultas est an ante Papę approbationem sint infallibilis veritatis, vel non. In qua prima sententia est affirmatiua, quam tenent Sotus, Castrus, Corduba, & Aragon, & fauent Vega, & alij. Fundamentum sunt primo, ex illo Matthæi 18. *Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Secundò, quia Concilium Generale repræsentat totam Ecclesiam, etiam ante Papæ approbationem: quemadmodum ergo tota Ecclesia errare non potest, iuxta dicta supra quæst. quarta, sic nec Concilium Generale. Tertiò, quia Patres Concilij Generalis, etiam ante approbationem Papæ sunt Iudices controuersiarum fidei, imo anathemate damnãt eos, qui ab eorum decretis discedunt: ergo sunt infallibilis authoritatis. Quartò, quia Concilium Generale est supra Papam: si ergo Papa est infallibilis veritatis in definiendo, multo magis Concilium Generale.

Supponẽdum, Pro veritatis tamen decisione supponẽdum primò, quæstionem non esse de Concilio Generali congregato sine authoritate Papæ, vel contra ipsius voluntatem: tale enim Concilium non est legitimum, vt probant plura testimonia Summorum Pontificum apud recentiores, & vsus, ac praxis Ecclesiæ, reprobantis similia Concilia, hoc solo titulo, quod sine Papæ authoritate, aut contra ipsius voluntatem coacta sint; pro quibus inter alios, legendus Vvaldensis noster tom. 1. lib. 2. art. 2. cap. 19. ergo errare poterit. Idem dico, si Concilium celebretur sine Papæ, aut Legatorum ipsius præsentia. Tale enim Cõcilium omnino videtur Acephalum, & sine Capite, cum careat Papa, qui est Caput Ecclesiæ. Rursus nec est quæstio de Concilio Generali expresse à Papa reprobato: eo enim ipso, quod à Papa reprobatũ est, cum eius iudicium sit infallibile, efficitur, vel non fuisse legitimum, vel in indaganda veritate parum solicitum, ac per consequens errasse. Quæ porrò sint hæc Concilia expresse reprobata habet Granadus post alios. Similiter nec procedit quęstio de Concilio Generali, cui adfuit Romanus Pontifex, qualia fuerunt plura Lateranensia, & Lugdunensia. Etenim eo ipso, quod Pontifex adfuit illi Concilio, & cum ipso aliquid determinauit res determinata est definitio Pontificia, & ita erit infallibilis veritatis, & Concilium potest dicere illud Actorum 15. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*. Idem dico, quando Concilium est celebratum per Legatos Papæ ab eo destinatos, & habentes instructionem de rebus particularibus in eo definiendis, ac secutum est illam instructionem. Ratio est, quia in hoc casu definitio Concilij est etiam definitio Papæ, cuius instructionem secuti sunt Legati, & Patres Concilii. Tota ergo difficultas est, quando Legati non habent instructionem à Papa de rebus particularibus definiendis, & Concilium aliquid definit.

Et dicendum, in hoc casu talia Concilia ante Papæ confirmationem, non esse infallibilis authoritatis, aut Regulam fidei, ac per consequens errare posse. Sic colligo ex Diu. Thom. in opusc. contra impugnant. Relig. Turrecremata, Caietano, Siluestro, Pighio, Bañez, Cano, Bellarmino, Valentia, Suarez, Tannero, Maldero, Siluio, Granado, Palao, & aliis recentioribus. Probatur primò, ex dictis, quia assistentia Spiritus Sancti ad definiẽdum res fidei solum est promissa Petro, & eius Successoribus, non autem aliis; nec est delegabilis huiusmodi potestas, etiam suis Legatis, vt bene Turrecremata, Canus, Castrus, Bellarminus, Valentia, Granadus, Palaus, & alii. Secundò, quia omnia Cõcilia habentia authoritatẽ in Ecclesia sunt ab Ecclesia Romana approbata, vt expresse habet Paschalis Papa in capitulo *significasti de elect.* & quæ non habent talem approbationem, nec etiam habent authoritatem, vt determinat Symachus Papa in can. Concilia dist. 17. & generaliter loquendo, Concilia hanc approbationem expostulant, postquam celebrata sunt, vt patet in nouissimo Tridentino sess. vltima in decreto de fine Concilii: signum ergo est semper requiri huiusmodi approbationem, pro valore Conciliorum. Tertiò, quia sunt aliqua Concilia Generalia, authoritate Papæ congregata, ac celebrata per Legatos Papæ, & tamen in eis inueniuntur aliqui errores, vt patet ex Concilio secundo Ephesino congregato à Leone primo, quod errores Dioscori, & Euthychetis approbauit; & in Concilio Basilensi congregato ab Eugenio Quarto, quod etiam errauit circa Papæ authoritatem; signum ergo euidens est, Concilia omnia, etiam Generalia, à Papa congregata, & per Legatos ipsius celebrata posse errare.

Concluſ.

Vnde ad primum in contrarium dico, locum illum principaliter intelligi de efficacia

Solutio cõtrarior.

cacia orationis ad impetrandum aliquid à
34 Deo, prout colligitur ex verbis illis antecedentibus : *De omni re quæcunque petierint fiet illis*. Quia tamen à multis applicatur Concilijs, ideo dicendum, ſenſum illius eſſe, Chriſtum eſſe in medio illorum, qui in nomine ipſius congregati fuerint in Concilijs; quatenus illos adiuuat ne errẽt, vel caſu quod errent, quod illorum error non approbetur, ſed potius reprobetur ab ipſius Vicario. Ad ſecundum, Concilium Generale cum Papa coniunctum repreſentare perfectè totam Eccleſiam, quia ſunt membra coniuncta Capiti, ſeparatum tamen à Papa, non repræſentare illam, niſi imperfectè, quia ſunt membra ſine Capite, & ita priori modo non poteſt errare, benè tamen poſteriori modo. Si dicas, totam Eccleſiam, etiam vt à Papa ſeparatam, & vt ſolum denotat collectionẽ omnium fidelium, imò vt denotat collectionem omnium Paſtorum, & Doctorũ, non poſſe errare, iuxta dicta ſupra quæſtione quarta : ergo neque Concilium Generale, etiam vt ſeparatum à Papa. Reſpondeo, ſolum probare, quod Patres omnes Concilij Generalis, etiam vt ſeparati à Papa errare non poſſint vt ſinguli, prout expreſsè docent Bañez, Valentia, Suarez, Turrianus, Amicus, & alij, poſſunt tamen errare quatenus ſunt Concilium Generale, eo quod vt ſic ſolum denotant maiorem partem. Ad tertium, Patres Concilij Generalis ſimul cum Papa eſſe Iudices controuerſiarum fidei, & poſſe anathemata intentare contra diſcedentes ab eorum decretis; ſeparatos tamen à Papa non eſſe Iudices ſupremos, nec poſſe imponere anathemata abſolutè, ſed ſolum quantum eſt ex parte ſua, & conditionatè, quatenus ſcilicet Papa conſenſerit.

Circa quartum. Maior difficultas eſt in quarto argumẽto. Circa quam non ſolum hæretici, ſed etiam aliqui Catholici ex vetuſtioribus, videlicet Alliacenſis, Maior, Gerſon, Almainus, Cuſanus, Panormitanus, Abulenſis, & alij, tenent Concilium Generale eſſe ſupra Papam. Probatur ex Concilijs Conſtantienſi, Baſilienſi, & Piſano, vbi id expreſsè deciditur. Secundò, quia in varijs caſibus poteſt Concilium Generale deponere Papam, ſcilicet caſu quo eſſet hæreticus, perpetuo amens, vel dubius Papa, in tempore ſchiſmatis : ergo eſt ſupra illum.

Vera ſententia. Nihilominus oppoſita ſententia, videlicet, quod Papa ſit ſupra Concilium, etiam Generale, eſt communis inter recentiores, nullo, quem viderim, dempto; & ita certa, vt Bellarminus dicat ferè eſſe de fide, Amicus ad fidem proximè accedere; Valentia oppoſitum pugnare cum certiſſima fide de Primatu Petri; Ferrara eſſe à fide alienum; & Tannerus eſſe erroneum, & temerarium, imò hæreſi proximum. Pro etiam videndus ex noſtris Philippus à Sanctiſſima Trinitate, tom. 3. diſputat. 3. dub. 3. Probatur primò, ex Sacra Scriptura. Etenim teſtimonia illa, quæ adduximus quæſtione præcedenti pro authoritate Papæ, ſolum loquuntur de illo, non de Concilio, aut Eccleſia; imò ſi expendantur, videbitur, quòd Concilium, & tota Eccleſia ſit ouile, cuius Paſtor eſt Papa; ac proinde Superior. Secundò, quia regimen Eccleſiæ eſt Monarchicum, id eſt ſub vno Supremo Principe; ſi autem Concilium Generale eſſet ſupra Papam, non eſſet niſi Democraticum, ſeu Ariſtocraticũ, quia Conciliũ eſt multitudo. Tertiò, quia ipſamet Concilia confeſſa ſunt hanc veritatem de primatu Papæ ſupra ipſa : vt patet in Concilio Chalcedonẽſi, vbi Leo Papa agnoſcitur pro Capite totius Concilij, & in Lugdunenſi, vbi Papa vocatur *Sponſus Eccleſiæ*, & *Rector vniuerſalis Eccleſiæ*; vt refertur *cap. vbi periculum de elect. in 6.* & in Florentino ante decretum vnionis, vbi etiam Papa vocatur *Caput totius Eccleſiæ*, & *vniuerſalis Eccleſiæ Rector*; ac maximè ex nouiſſimo Concilio Lateranẽſi ſub Leone Decimo ſeſſ vndecima, vbi reuocato Concilio Baſilienſi, in quo oppoſitum determinatum erat, decernitur Papã habere *authoritatem ſuper omnia Concilia*. Denique quartò, quia certum eſt ex Concilio Generali dari poſſe appellationem ad Papam, vt patet ex Bonifacio Octauo Extrauag. *vnam ſanctam de maiorit. & obedientia*: & è contra, quod ex Papa non detur appellatio ad Concilium, vt etiam patet ex Concil. Sinueſiano ſub Marcellino; ex Romano ſub Sancto Silueſtro, & alio Romano ſub Symacho & ex 8. Synodo act. 7. ex Conc. Lateranẽ. ſub Alex. 3. & cap. licet de elect. ſignum ergo euidens eſt Papam eſſe Superiorem Concilio. Alia fundamenta huius ſententiæ affert pouiſſimè, & eruditè Angelus Petricca à Sonnino in Turri Dauidica lib. 2. cap 4.

Vnde ad primum, quod attinet ad Cõcilium Conſtantienſe, dico, illud, etſi approbatum ſit à Martino Quinto, tamen ſolum eſt ab eo approbatum quantum ad decreta fidei conciliariter, ideſt, diligenti examine præmiſſo, ab eo conſtituta, quale non fuit iſtud, vt notant Caietanus, Bellarminus, Valentia, Tannerus, & Granadus. Quoad Baſilienſe, illud non fuiſſe approbatum à Papa quoad hoc decretum, imò fuiſſe reprobatum à Concilio Lateranenſi ſub Leone Decimo, vt diximus. Quoad Piſanum verò, illud non eſſe approbatum, ac propterea ab aliquibus vocari Conciliabulum. Ad ſecundum, conceſſo antecedenti nego conſequentiam, Soluio primi.

Digitized by Google

talis enim depositio Papę in illis casibus, non est actus iurisdictionis, aut superioritatis supra ipsum, sed declaratio quædam indignitatis, seu ineptitudinis talis hominis ad Papatum, concessa à Deo Ecclesiæ quasi per accidens, & casualiter, propter maximam, & vrgentem ipsius necessitatem: qua declaratione posita, Deus est, qui illum deponit. Sic fermè Suarez, Amicus, & alij.

Alia de Concilijs

Tractant hoc loco recentiores de eo qui potest Concilium Generale congregare, & de ijs, qui possunt, & debent ei assistere. Sed quoad primum, exceptis illis casibus schismatis, vel hæresis, aut perpetuæ amentiæ Papæ, de quibus supra, potestas ordinaria cogendi Concilia Generalia, & in eis præsidendi, saltem per suos Legatos, solum est Papæ; tum quia solus ipse est superior illis; tum quia ita habetur ex vsu, & praxi Ecclesiæ, ac ex plurium Summorum Pontificum testimonijs apud eosdem recentiores. Nec refert, quod aliquando Imperatores hoc munus sibi vendicarunt, quia non de iure, sed de facto, & potentia id fecerunt; esto quod aliquando etiam de consensu Romanorum Pontificum Concilijs astiterint, vt magis quiete, & maiori quadam exteriori authoritate celebrarentur; ac vt pro sumptibus in eis faciendis opem ferrent; & præsertim, quia in Ciuitatibus eorum fieri debebant.

De alijs.

Quoad secundum verò de ijs, qui possunt, & debent interesse Concilijs Generalibus, omissa sententia hæreticorum, qui etiam laicos, & fœminas ad ea vocari debere dicunt, veritas de fide est, solum Primiores Ecclesiæ Prælatos, Patriarchas videlicet, Archiepiscopos, & Episcopos, imo etiam Cardinales, iure ordinario vocari debere ad ferēdum suffragium; laicos verò non nisi ad disputandum, si fuerint docti, vel etiam defendendum, vel ministrandum. Sic enim ex vsu, praxi, & consuetudine Ecclesiæ, ac ex congruentissima ratione, quia solum illi sunt Pastores, & Principes Ecclesiarum, habentes iurisdictionem super oues Christi. Ita præfati recentiores. Qui etiam addunt, Generales Religionum ex consuetudine, & concessione Summorum Pontificum habere suffragium.

DISPVTATIO IX.

De Infidelitate.

Quæstio prima.

Quid, & quotuplex sit Infidelitas.

Infidelitas.

NOmine Infidelitatis non intelligimus in præsenti, eam, quæ opponitur virtuti morali, quæ appellatur *fidelitas*, sed quę opponitur *fidei* virtuti Theologicæ. Est autem triplex, alia *negatiua*, alia *priuatiua*, alia *positiua*. Infidelitas *negatiua* est carentia fidei in eo, qui illam non potest habere, quia videlicet nihil audiuit de fide Catholica; propterea enim vocatur inculpabilis, & potest esse sine peccato, vt contingit in puero enutrito in syluis, qui nihil audiuit de Euangelio. *Priuatiua* est carentia fidei in eo, qui habere illam potest, quia illi proposita sunt sufficienter mysteria fidei: idcirco enim vocatur culpabilis, & potest esse cum peccato quando adest obligatio habendi actum fidei. *Positiua* verò est actus positiuus intellectus, quo quis discredit alicui mysterio. Et hæc semper est peccatum, quando est cum pertinacia, id est, cum scientia, quod tale mysterium est reuelatum à Deo. Imò, graue valde, quia excludit medium necessarium ad salutem, scilicet fidem. Propterea enim dicere potuit Christus Ioann. 3. *Qui non credit iam iudicatus est*. Est etiam grauius peccatum, quam ea, quæ sunt contra virtutes morales, eo quod infidelitas sit contra præstantiorem virtutem, scilicet fidē. De ijs Diu. Thom. quæst. 10. artic. 1. & 3. & eius Expositores. An autem sit maius peccatum quam ea quæ sunt contra alias virtutes Theologicas, constabit ex dicendis in Tractatibus de Spe, & Charitate.

Quotupl.

Præcipua autem diuisio infidelitatis est, qua diuiditur in Paganismum, Iudaismū, & hæresim. Quæ traditur à Diu. Thoma dicta quæst. decima artic. quinto, & aliis ipsius Expositoribus. Colligi videtur primo ex Paulo 1. Corinth. 1. vbi illa recenset. Secundo, ex Concil. Ephesino sessione vlt. vbi enumerantur. Quod etiam colligitur ex Damaso Papa in professione fidei ad Paulinum. Tertió, ex vsu Ecclesiæ, quæ in die Parasceues orans pro omnibus infidelibus, distinctè erat solum pro Paganis, Iudæis, & hæreticis. Quartò, ex

iure

lure canonico, & ciuili, quæ tractant solum triplici hoc genere infidelium. Et ratio est, quia infidelitas, vel est negatio omnium veritatum fidei, & hęc est Paganismus; vel est negatio solum earum, quę pertinent ad Christum, & hæc est Iudaismus; vel est negatio solum alicuius, vel aliquarum, & est hæresis. Vnde infertur hanc diuisionem esse adæquatam, tum ex fundamentis relatis, tum etiam, quia omnis alia infidelitas ad aliquam ex tribus assignatis reducitur, vt patet respondendo ad obiectiones in contrarium.

Prima obiectio.

Prima est, de Mahumetanismo, qui nec est paganismus, quia Mahumetani nõ negant, sed potius cõfitentur aliquas fidei veritates contentas in veteri testamento, & aliquas ex nouo: nec Iudaismus, quia fatentur sanctitatem Christi, eius SS. Matris, & Ioann. Baptistę: nec hęresis, quia illa est error hominis baptizati. Secunda de atheismo, qui cum neget omne genus deitatis, non est paganismus, quia pagani credunt esse aliquem Deum, scilicet Iouem, Solem &c. Iudæi autem, & hæretici credunt verum Deum. Tertia, de apostasia, quę non est aliqua ex prędictis infidelitatibus.

Solutio.

Etenim ad primam dico, Mahumetanismum reduci ad paganismum, quia esto, quod illum profitentes, aliqua credant ex reuelatis, non tamen ea credunt vt à Deo, vel Christo reuelata, sed vt dicta à suo Mahomete, & ideo reputantur, veluti nihil credentes, & vt pagani. Ad secundam, atheismum, etiam reduci ad paganismũ, quia conueniunt in hoc, quod est non credere aliquod mysterium fidei, aut verum Deum. Ad tertiam, quod cum apostasia, iuxta dicenda in sequentibus, sit retrocessio, seu recessus à fide semel susceptą, ideo quando per illam receditur à tota fide, est paganismus; quando autem solum à fide Christi, & mysteriorum ipsius, est Iudaismus; quando verò solum ab aliquo, vel aliquibus mysterijs, erit hæresis.

Dubij solutio.

Si quæras, quęnam ex ijs tribus infidelitatis speciebus sit peior. Respondeo, se habere sicut excedens, & excessum. Etenim, si loquamur intensiuè, & quoad maiorem contemptum diuinę veritatis reuelantis mysteria fidei, hæresis excedit Iudaismum, & paganismum; & Iudaismus paganismum: eo quod hęretici maiorem cognitionem habent mysteriorum fidei, quam Iudęi, & pagani, & ita magis voluntarie errant, & magis contemnunt diuinam veritatem reuelantem: & ita applicatur illis illud 2. Petri 2. *Melius illis erat non cognoscere viam Iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum reuerti ab eo, quod illis traditum est*. At vero paganismus excedit Iudaismum, & Hęresim, ac Iudaismus hæresim extensiuè, quia plura negant Pagani quam Iudæi, & Hæretici, & plura Iudæi quam hæretici. Sic colligo ex Diu. Thom. sup. artic. 5. Bañez, Aragon, Valentia, Suarez, Becano, & Palao.

Difficultas.

Maior difficultas est, an ista diuisio sit generis in suas species; ita vt tria membra dictæ diuisionis sint tres species infidelitatis, & distinguantur essentialiter, sicut homo, leo, & equus respectu animalis; an verò solum accidentaliter, sicut album, nigrum, & rubrum respectu hominis. Primum tenent probabiliter Caietanus, Bañez, Aragon, Amicus, Serra, & alij. Secundum verò communius, & magis probabiliter, Suarez, Coninch, Turrianus, Becanus, Caspensis, Palaus, & Cardinalis Lugo. Quod probatur, quia malitia harũ sectarum solum potest desumi ex oppositione ad rectitudinem virtutis fidei, cuius priuationem important, cum iuxta dicta tom. 2. Tract. 5. disput. 2. quæst. tertia, malitia peccati commissionis in tali priuatione consistat: sed rectitudo virtutis fidei solum est vnica, & indiuisibilis formaliter, scilicet innitti diuinæ veritati reuelanti: ergo & malitia dictarum sectarum solum erit vna formaliter, & solum materialiter, & accidentaliter diuersa, in negandis pluribus, vel paucioribus ex veritatibus reuelatis. Confirmatur, quia tres voluntates, quarum vna esset occidendi omnes homines; & alia occidendi omnes vnius nationis, & alia occidendi solum aliquos, haberent vnam solam malitiam formaliter iniustitiæ, licet materialiter, & accidentaliter diuersam penes magis, & minus: sed sic se habent istæ tres sectæ; ergo quãtum ad malitiam peccati infidelitatis, sũt idem formaliter, & essentialiter, licet diuersæ materialiter, & accidentaliter penes magis, & minus.

Notatio.

Notandum tamen, quod in omnium sententia, siue dicatur has species infidelitatis esse essentialiter diuersas, siue non, nisi solum accidentaliter; & etiam supposito quod esset probabilis sentẽtia tenens solum circunstantias mutantes speciem esse necessario confitenda, non autem notabiliter aggrauantes; si baptizatus in aliquam illarum inciderit, teneri declarare in confessione speciem talis infidelitatis; non solum quia valde differunt in modo, & grauitate; sed etiam quia illæ includũt cæremonias, & cultus sacrilegos contra virtutem Religionis valde diuersos: ita vt propterea quoad praxim, & moraliter omnino censeantur species essentialiter diuersæ. Sic ferme Valentia, Suarez, Coninch, & Palaus. Qui etiam addunt, idem esse dicendum de hæretico, vt videlicet teneatur

confiteri an fuerit Lutheranus, Caluinista, Arrianus &c. Quod etiam approbat Sanchez.

Quæstio secunda.

An omnia opera infidelium sint peccata.

PRo parte affirmatiua refertur ex Catholicis Gregorius Ariminensis, Cassalius, & Catharinus, ac ex hæreticus Caluinus, & Kemnitius, quibus etiam adhæret Michael Baius in suis assertionibus, inter quas præter alias plures, quę faciunt ad intentum, clara est illa: *Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.* Fundamenta sunt, primum, ex Sacra Scriptura Isai 1. & 66. vbi sacrificia Iudæorum peccatorum reputantur abominationes, Matth. 7 dicitur: *Non potest arbor mala bonos fructus facere:* ad Roman. 14. *Omne autem, quod non est, ex fide, peccatum est.* Ad Titum 1. *Coinquinatis, & infidelibus nihil est mundum.* Ad Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Secundum, ex testimoniis aliquorum PP. præsertim Diui Augustini sæpe affirmantis, omnes infidelium actiones vitia esse, & peccata. Tertium, quia ad hoc quod aliquod opus sit bonum, debet referri in Deum, sed infideles non referunt opera sua in Deum, tum quia aliqui illorum eum non agnoscunt; tum quia, qui eum agnoscunt, cum careant charitate, non possunt id facere.

Sententia quorundã

Veritas tamen de fide certa est, non omnia opera infidelium esse peccata, sed elicere posse, & de facto efficere aliqua bona opera. Pro qua ex nostris videndus Bachonius in quarto distinct. 1. quæst. secunda artic. 2. Paulus de Perusio in prim. quæstione 25. Michael de Bononia in secundo distinct. 41. quæst. vnica. Colligitur primo ex Sacra Scriptura, Exod. 1. vbi obstetrices Aegyptiorum commendantur, & præmiantur à Deo, quia abstinuerunt ab infanticidio Hebræorum imperato à Pharaone. Deinde Ezechielis 29. præmiauit Deus Nabuchodonosor Regẽ, eo quod laborasset deuastando Tyrum; Deus autem non præmiat mala opera. Similiter Daniel. 4. dicitur Nabuchodonosori: *Peccata tua eleemosynis redime*, quod sanè non ipsi diceretur, nisi posset facere eleemosynas, quæ essent opera bona. Item ad Roman. 1. ait Apostolus, quod Gentiles *ea, quæ sunt legis faciunt.* Secundum, ex Concil. Tridentin. sess. 6. can. 7. vbi anathematizatur qui dixerit: *Omnia opera quæ ante iustificationem fiunt vera esse peccata.* Tertium, ex Pio Quinto, & Gregorio Decimotertio, ac nouissimè Vrbano Octauo, damnantibus assertiones Baii, inter quas, vt vidimus, habetur sẽtentia contraria. Quartum, ex PP. testimonijs, quorum plura referunt Bellarminus, Valentia, Suarez, Tannerus, & alij. Quintum, ex communi sententia Scholasticorum, & Theologorum cum S. Tho. dicta quæst. decima, art. 4. & in 2. dist 41. quæst. prima, artic. 2. Sextum, quia in infidelibus, vt inquit S. Thom. eo art. quarto, non est extinctum lumen rationis; & habent liberum arbitrium indifferens ad bonum, & malum: sicut ergo possunt operari male, ita etiam bene, saltem cum auxilio Dei. Secunda, quia possunt operari propter bonum honestum, non apponendo aliquam prauam circunstantiam; sed hoc est operari benè: ergo. Tertia, ex historiis constat euidentissimè plures ex infidelibus temperatè vixisse, honorasse parentes, seruasse iustitiam, & fidelitatem in pactis, coniugijs, contractibus &c. Imò eos, qui cognouerunt Deum, ipsum inuocasse, & aliquo modo coluisse: propter quæ laudantur etiam à Sanctis Patribus: ergo non omnia opera ipsorum sunt peccata. Dicere enim semper vitiasse huiusmodi opera alias bona aliqua praua circunstantia, profecto temerè, & sine fundamento dicitur, & contra Dei prouidentiam, erga homines viatores.

Veritas.

Vnde ad primum dico, loca illa Isaiæ non esse de infidelibus, prout nos loquimur in præsenti, sed de quibusdam Iudæis, ac per consequens fidelibus, qui tamen plus æquo confidebant in suis sacrificijs, etsi alioquin perseueraſſent in suis peccatis. Ad locum Matthęi, per arborem malam intelligitur mala intentio, ex ea enim non potest oriri bonum opus, iuxta dicta Tom 2. Tract. 2. disput. octaua. q. 9. Casu etiam quod per illam intelligerẽtur infideles, exponendus est, quod ex illis prout tales sunt, non potest oriri bona aliqua operatio, non tamen quatenus alias habent liberum arbitrium, & auxilium Dei. Ad illud Roman. 1. respondimus eo Tom. 2. Tract. 2. disput duodecima, q. 3. & 4. nomine fidei eo loco non intelligi fidem virtutem Theologicam, de qua loquimur in præsenti, sed conscientiam, aut fidelitatem debitam conscientię, ita vt sensus illius sit, quod non est ex fidelitate, id est conformitate conscientię, peccatũ est. Sic ex Bachonio supra. Locus etiam ille Pauli ad Tit. 1. intelligitur à D. Thom. & Caietano in sensu formali, id est, *coinquinatis, & infidelibus*, prout tales sunt, seu quatenus faciunt aliquid ex infidelitate, *nihil est mundum.* Ad locum eiusdem Pauli ad Hebr. 11. facilis est solutio, quod

Solutio cõtrariorũ

videlicet

videlicet, ſine fide impoſſibile ſit placere Deo, per opera videlicet ſupernaturalia, conducentia ad vitam æternam, aut meritoria, non quantum ad alia opera bona naturalia. Ad ſecundum fundamentum ex PP. petitum, reſponſio communis eſt, eos loqui, vt in plurimum, ſeu maiori ex parte. Deinde loqui de operibus factis ex infidelitate, hęc enim ſemper ſunt mala, ſicut & infidelitas mala eſt. Tertio, loqui de bonis ſupernaturalibus, quæ reddunt homines iuſtos, ſãctos, & amicos Dei: hęc enim non ſunt in infidelibus. Ad tertium, quod eſt fundamentum Gregorij, conformiter ad dicta Tom 2. Tract. 1. diſputat. prima, quæſt. quarta, & Tract. 7. diſputat. prima, quæſt. tertia, dico, quod ad hoc, quod opus factum ab infideli ſit bonum, non eſt neceſſarium, quod expreſsè, & formaliter referatur in Deum, ſed ſufficit quod fiat propter honeſtatem obiecti; eo enim ipſo refertur implicitè, & virtualiter in ipſum, quia tale obiectum ex natura ſua tendit ad illum vt finem vltimum naturalem. Vide dicta eis locis.

Quæſtio tertia:

An liceat fidelibus cum infidelibus diſputare.

Certum. CErtum eſt, & conueniunt omnes diſputationem fidelium, cum infidelibus, etiam de rebus ad fidem ſpectantibus, eſſe indifferentem, ita vt poſsit eſſe bona, vel mala, iuxta diuerſitatem circunſtantiarum, quæ in ea interuenire poſſunt. Ex quibus quatuor ſunt principales. Prima eſt, finis diſputationis; ſecunda, conditio diſputantis; tertia, conditio auditorum; quarta, eſt modus ipſius. Sic fermè D. Thom. hic quæſt. 10. art. 7. Caietanus, Bañez, Aragon, Valentia, Sanchez, Suarez, Coninch, Becanus, & Palaus.

Diſputatio bona. Et primò, ex fine erit bona talis diſputatio, ſi pro fidei defenſione, corroboratione fidelium, & infidelium confuſione, ſumatur. Sic enim Actorum 6. Stephanus diſputabat cum quibuſdam Iudæis; & eãp. 17. Paulus cum alijs. E contra verò mala, ſi ad euertendam fidem, errores q; ſeminandos, vt de ſe patet. Idem dico de eo qui diſputationem hanc aſſumeret, ex dubietate, quam haberet de fide ſuſcepta. Cum enim dubius in fide ſit hæreticus, qui ex hoc fine aſſumeret hanc diſputationem, ex malo fine id faceret, ac per conſequens peccaret. Ita plures ex relatis Authoribus, qui ſecus dicunt eſſe pro caſu quo quis id faceret non ex dubio fidei iam ſuſceptæ, ſed vt bene inſtrueretur, & informaretur circa recipiendam.

Secundò, ex parte diſputantis erit bona diſputatio, ſi diſputans ſit perſona Eccleſiaſtica, & ſufficienter apta, ac erudita ad confirmandum dogmata fidei, & argumẽtis contrarijs ſatisfaciendum. Similes enim diſputationes vtiliſſimæ fuerunt in Eccleſia, vt patet in ijs, quas contra Arrianos habuit Athanaſius, & contra Donatiſtas, Pelagianos, & alios hæreticos, D. Auguſtinus. Erit autem mala, ſi ſuſcipiatur à laico. Prohibitum enim eſt hoc iure poſitiuo ab Alexandr. 4. in cap. quicunque, §. inhibemus de hæretic. in 6. ibi. *Inhibemus quoque, ne cuiquam laicæ perſonæ liceat publicè, vel priuatim de fide Catholica diſputare, qui verò contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur.* Hæc porrò excommunicatio non eſt latæ ſententiæ, ſed ferendæ, vt colligitur ex illo verbo *innodetur*. Nec comprehendit laicos diſputantes ſolum, diſputatione, quã vocant, *materialem*; ea ſcilicet, quæ inter Catholicos in ſcholis fieri ſolet, exercitij litterarij, vel honoris gratia; ſed formalis; ea videlicet, quæ fit cum hęretico, vel infideli negante aliquam fidei veritatem. Sic enim cum authoribus relatis tenent Hurtadus, Cardinalis Lugo, & Serra. Quamuis autem nomine *Laicæ perſonæ* ijdem Lugo, & Hurtadus, Coninch, & alij comprehendi dicant Religioſos Conuerſos Religionum, qui etiam vocari ſolent Fratres Laici: nihilominus contrarium exiſtimo verum cum Suarez, Sanchez, Baldello, Palao, Serra, & alijs: eo quod illi ſunt perſonæ Eccleſiaſticę, & ſolum dicuntur Laici cum limitatione, ſcilicet, *Laici Religioſi*. Cum etiam inter eos ſint, & fuerint plures vitæ ſanctimonia, generis nobilitate, imo doctrina ſpirituali, per orationis exercitium comparata, inſignes, immeritò contra ipſos Hurtadus acriter inuehitur. Similiter, quamuis Caietanus, Bañez, Ledeſma, Granadus, & Hurtadus velint hac prohibitione non comprehendi laicos Doctores; eo quod in illis ceſſare videtur finis huius legis, qui eſt periculum diſputantis, & auditorum; ac ne ex tali diſputatione ſequatur aliquis contemptus fidei. Probabilius tamen eſt contrarium, prout cenſent Suarez, Sanchez, Coninch, Valentia, Azor, Baldelus, Aragon, Cardinalis Lugo, & alij apud Palaum. Eo quod quamuis Laicus ſit doctiſſimus, adhuc non ceſſat adęquate finis huius legis; ſcilicet indecentia, quę eſt in hoc, quod laicus tractet dogmata Eccleſiaſtica; cum propter eandem rationem etiam repellatur ab officip Prędicandi.

Quando etiam.

Digitized by Google

Limitatur tamen hæc doctrina, vt non procedat in casu magnæ necessitatis, quãdo videlicet necessaria esset Catholicis disputatio cum aliquo infideli ad ipsum cõfundendum, vel defendendum aliquod fidei dogma, & non esset aliquis vir doctus, qui id facere posset, nisi aliquis laicus. Quod præsertim continget in locis, in quibus hæretici grassantur. Sic fermè plures ex relatis Authoribus, quibus consentit Tannerus. Imò Suarez, & Palaus dicunt, id fieri posse, etiam secluſa necessitate, iussu, aut consensu Clericorum. Sed merito hoc reijciunt Lugo, & Hurtadus, cũ nullibi reperiatur talis facultas concessa Clericis ad hoc iubendum, aut permittendum, nec laicis ad id faciendum.

Quando quoque,

Tertiò, ex parte auditorum poterit esse talis disputatio bona, si fiat cum fructu ipsorum; mala autem si aliquod ipsis detrimentum afferat. Quod maximè pendet ex conditione ipsorum: si enim sunt viri probi, & prudentes, ac mediocriter instructi in rebus fidei, fructum spiritualem haurire possunt; sin verò omninò indocti, & vulgares, potius damnum adquirent, quia similes homines facilius solent intelligere argumenta hæreticorum, quam solutiones Catholicorum. Nisi forsan illi iam essent solicitati ab hæreticis ad deserendam fidem; quia in hoc casu licita esset disputatio coram ipsis, vt in fide confirmarentur, & obstruerentur ora illorum, qui ipsos peruertere conabantur. Sic fermè D. Thom. & DD. relati.

Allus casus.

Demum, ex parte modi reddi potest licita, vel illicita talis disputatio: licita quidem, si modestè, non contentiosè, non iniurijs, aut contumelijs, sed veritatis amore suscipiatur: illicita verò, si solis verbis, contra illud Pauli secund. ad Timoth. secund. *Noli contendere verbis*; çmulatione; superbia; aut nimio zelo. Sic etiam Diu. Thomas, & relati Doctores, id sumentes ex Patrum doctrina. De ijs etiam, & alijs concernentibus difficultatem huius Quæstionis, Vericelli de missionibus titulo primo de fide, quæstione 38. Et noster Philippus à Sanctissima Trinitate Tomo tertio, disputatione septima, dub. 3.

Quæstio quarta.

An Infideles cogi possint ad recipiendam fidem.

Ratio dubitandi.

RAtio dubitandi pro parte affirmatiua est, primò, ex Parabola Christi Luc. 14. vbi quidam qui fecerat conuiuium pro cœna magna, præcipit seruo suo *exi in vias, & sepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea*. Secundò, quia infideles tenentur ex diuino præcepto fidem Christi sibi sufficienter propositã acceptare; ergo, iure eodem tenẽtur Ecclesiæ Pastores ipsos cogere ad eam acceptandam: sicut quia præcepto diuino tenentur omnes fideles sua peccata confiteri, eodem præcepto tenentur Ecclesiæ Prælati eos cogere ad id faciendum. Tertiò, quia infideles cogi possunt ad audiendam prædicationẽ Euangelij: ergo ad ipsum acceptandum. Consequentia probatur, quia audire prædicationem Euangelii ordinatur sicut medium ad finem ad ipsum acceptandum. Quartò, ex variis exemplis Christianorũ Principum. Etenim Cõstantinus, & Theodosius boni Imperatores, prohibuerunt paganis suorum deorum cultum; vt patet in l. *nemo*, & aliis similibus, C. de paganis. Et in l. Cœlicolarum C. de Iudæis, & Cœlicolis, illi Cœlicolæ, qui videntur fuisse pagani, & cultores Cœli, astringuntur eisdem pœnis, ac hæretici, ad suscipiendam fidem. Deinde Sisebutus Rex Hispaniæ, vt constat ex cap. de Iudæis distinct. 45. quod est Concilii Toletani 4. cap. 56. vbi vocatur *Religiosissimus Princeps*, Iudæos compulit ad suscipiendum Baptismum. Similiter Ferdinandus Catholicus Rex Hispaniæ, Iudæos, & Saracenos nolentes baptizari, Regno expulit. Propter hæc ita tenent Scotus, & aliqui Scotistæ, Maior, & quidam Genesius Sepulueda tempore Caroli Quinti Imperatoris.

Distinctio.

Distinguendum tamen est de infidelibus. Alii enim sunt, qui fidem Christianam aliquando susceperunt, quales sunt hæretici; & alii à fide apostatantes: alii verò sunt, qui ipsam nunquam susceperunt, prout sunt Gentiles, Iudæi, Mahometani &c. Deinde inter istos aliqui sunt serui, aut subditi Ecclesiæ, aut Principi Christiano, vt sunt Iudæi Romæ commorantes, & aliqui Gentiles, & Mahometani: alii vero nullo modo ipsis subiecti.

Prima conclusio.

Dico ergo primò, infideles primi generis, scilicet hæretici, compelli possunt ab

Ecclesia

Eccleſia ad tenendam fidem, quam ſuſceperunt. Res eſt certiſsima, quæ conſtat tũ ex legibus Ciuilibus, & Canonicis, in toto titulo de hæreticis; tum ex Eccleſiæ praxi, & conſuetudine; tum ex Doctoribꝰ contra hæreticos ſcribentibus, ſpecialiter Caſtro, Simancas, Roxas, Peña, & aliis: tum ex ratione, quia cum hæretici baptiſmum ſuſceperint, & per illum profeſſi fuerint, ac promiſerint ſeruare fidem Chriſtianam; ſeque ſubiecerint Eccleſiæ, procul dubio in illa erit Poteſtas illos cogendi ad obediendum fidei; alias nimis diminuta, & inefficax eſſet facultas ipſi à Chriſto conceſſa, quod nullatenus credendum.

Concl. 2. Dico ſecundo, loquendo de alijs infidelibus, ſiue non ſubditis, ſiue etiam ſubditis temporaliter Eccleſiæ, non poſſe cogi directè ad ſuſcipiendam fidem, minis, terroribus, pœnis, armis, bello, aut ſimilibus medijs. Ita Diu. Thom. dicta q. 10. art. 8. Durandus, Paludanus, D. Antonin. Ricardus, Abulenſis, Silueſter, Caſtro, Victoria, Bañez, Aragon, Azor, Valentia, Suarez, noſter Philippus á Sanctiſſima Trinitate Tom. 3. diſput. ſeptima dub. 4. & alijs communiter. Colligitur primo ex teſtimonijs Sacræ Scripturæ, in quibus agitur de prædicatione Euangelij: ſemper enim in ipſis denotatur id fieri debere ſine vlla violentia, ac coactione, ſed ſuauiſſimè, & pacificè, *ſicut oues in medio luporum* &c. non portando ſecum, *neque virgam*, & dicendo; *Pax huic domui*, vt patet Matth. 10. Quinimo cum Luc. 9. dixiſſent Apoſtoli Chriſto contra quoſdam incredulos. *Vis dicimus, vt ignis deſcendat de cælo, & conſumat illos*, acriter ipſos reprehendit dicens: *neſcitis cuius ſpiritus eſtis.* Et ex iure ciuili in l. Chriſtianis, C. de paganis, & ex iure Canonico in cap de Iudęis diſtinct. 45. deſumpto ex Concilio Toletano quarto, cap. 56. & ex ca. qui ſincera eadem diſtinctione, deſumpto ex Diuo Gregorio; & ex ca. ſicut Iudæi de Iudæis, & Saracenis, & ca. Iudæi 3. & ca. conſuluit 8. eodem titulo. Colligitur ſecundo ex hac efficaci ratione: quia coactio hæc non poteſt procedere, niſi ab habente iuriſdictionem; vis enim coactiua illam ſupponit, ſeu includit: ſed hæc iuriſdictio nec eſt in Eccleſia, neque in Principibus temporalibus; à nemine ergo cogi poſſunt præfati infideles ad recipiendã fidem. Min. probatur; de Eccleſia quidẽ, quia ipſa ſolum accepit iuriſdictionem à Chriſto ſuper proprias oues, iuxta illud *Paſce oues meas*, id eſt, ſuper illos, qui in Eccleſiam ingreſſi ſunt per baptiſmum, prout fatetur Apoſtolus 1. Corinth quinto dicens: *Quid mihi de ijs, qui foris ſunt*, & Concilium Tridentinũ ſeſſ. 14. cap. 2. de Baptiſmo, dum ait: *Cum Eccleſia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipſam per Baptiſmi ianuam fuerit ingreſſus.* Cum igitur infideles, de quibus in præſenti, nec ſint oues Chriſti, aut Eccleſiæ, nec ingreſſi fuerint in ipſius ouile, quia hoc fit medio Baptiſmo, nullam ſuper illos habebit Eccleſia iuriſdictionem. De Principibus autem temporalibus id etiam patet, quia cum tota ipſorum poteſtas, & iuriſdictio ſit politica, & naturalis, vtpotè ſolummodo ad rectam Reipublicæ adminiſtrationem, & conſeruationem ordinata; nullo pacto extendi poteſt ad ſuſceptionem fidei, aut legis Euangelicæ, quæ eſt omnino ſupernaturalis, & ad finem ſupernaturalis Beatitudinis ordinata. Denique ratio veluti à priori eſt, quia fides debet eſſe omnino voluntaria, & ſpontanea, ſolum pendens ex Dei motione, & libera, ac pia affectione voluntatis, vt conſtat ex dictis in ſuperioribus: nulla ergo coactio, aut violentia eam præcedere debet.

Dico tertiò, poſſunt tamen Principes temporales ſibi ſubditos infideles indirectè cogere ad ſuſceptionem fidei. Sic ſetmè Valencia, Suarez, Coninch, Becanus, Bonacina, Palaus, Amicus, & alij. Probari poteſt primò argumentis pro prima sẽtentia adductis. Secundò, quia poſſunt facere circa illos aliqua, quæ alias licitè fieri poſſunt, eo fine vt inducantur ad ſuſceptionem fidei; qualia ſunt, v. g. illos priuare aliquibus beneficijs, officijs, aut fauoribus ipſis non debitis, & quæ alijs liberaliter concedunt; ſeu imponere eis tributa grauiora quam alijs, alias tamen iuſta, & licita: vel etiam expellere à ſuo dominio, ſi fuerint aduenæ, aut bello capti, aut ſi eorum conuerſatio fidelibus noceat. Cum enim huiuſmodi actiones ſint bonæ ex parte obiecti, & ex parte finis; omnino erunt licitæ: & cum ex alia parte, per illas inducantur infideles ad fidei ſuſceptionem, erunt indirecta quædam & moralis vexatio, & coactio. Tertia.

Vnde ad illud ex Luc. 14. pro contraria ſententia adductum, dico nihil probare contra nos: tum quia Diuus Auguſtinus epiſtola 48. & 50. illud intelligit de hæreticis, non de aliis infidelibus, de quibus nos loquimur; tum quia Diuus Chryſoſtomus, & alii illud accipiunt quaſi propheticè de fine mundi, quo tempore propter ingentia ſigna, & prodigia infideles cogentur ad fidem recipiendam: tum denique, quia eſto illud intelligatur de aliis infidelibus præter hæreticos, & pro quocunque tempore, ad ſummum probat cogi poſſe coactio ne indirecta, de qua in tertia concluſione diximus. Ad ſecundũ conceſſo antecedenti, nego conſequentiã: etſi Soluțio obiectorũ

etsi enim infideles teneantur fidem acceptare, illos tamen punire propter peccatum non acceptandi fidem, solum spectat ad Deum, cum eam non communicauerit, neque Ecclesiæ, neque Principibus sæcularibus, vt probatum. Nec exemplũ, quod adducitur in argumẽto aliquod valet: non enim ex eo præcisè Ecclesia potest cogere fideles ad confessionem suorum peccatorum, quia ipsi tenentur ea confiteri; sed, aliis prætermissis, quia sunt subditi Ecclesiæ, quod non procedit in infidelibus.

Maior difficultas

Maior difficultas est in solutione ad tertium. An scilicet infideles cogi possunt ab Ecclesia, seu Principe laico ad audiendã prædicationem Euangelii. Omissis autem variis distinctionibus, nobis, conformiter ad dicta dicendum primò, nec Ecclesiam, nec Principem aliquem sæcularem posse directè cogere infideles sibi non subditos in temporalibus ad audiendum prædicationem Euangelii. Sic colligo ex Valentia, Suarez, Coninch, Bonacina, Palao, Tannero, Caspensi, & Cardinali Lugo. Ratio clara est, quia ad talem coactionem requiritur iurisdictio, quam non habet Ecclesia in huiusmodi infideles, & multo minus Princeps sæcularis, vt superius dictum est. Dixi autem *directè*, quia indirectè id fieri potest, vt bene notat Becanus. Si etiam infidelis aliquis inter Christianos viuere vellet posset non admitti, nisi sub ea conditione, vt, saltem aliquibus diebus audiret prædicationem Euangelii, quod esset quædã indirecta coactio. Dico tamen secundò, posse Ecclesiam, & Principes sæculares cogere infideles sibi temporaliter subiectos ad audiendam prædicationem Euangelii, aliquoties saltim. Sic colligo ex Bañez, Suarez, Bonacina, Cardinali Lugo, Granado, Hurtado, Pesantio, Serra, Turriano, Amico, & nostro Philippo à Sanctissima Trinitate Tom. 3. disputatione secunda, dub. 6. & Turriano. Ratio à priori est, quia hoc non excedit. Potestatem politicam, & naturalem Principis temporalis, cum sit aliquid honestũ, rationi conforme vtile Reipublicæ, imò ipsis infidelibus cum per huiusmodi conciones discant plura spectantia ad legem naturæ, bonam politicam, obedientiam erga Superiores, & obseruantiam pacis, & concordiæ cum conciuibus. Secundò, à posteriori, exemplo Summorum Pontificum, Nicolai Tertii, & præsertim Gregorii Decimitertii, & Successorum, qui pœnis, & mulctis cogunt Iudæos Romæ commorantes, vt certis diebus audiant conciones de rebus nostræ fidei: non quidem per modum tributi, vt quidam dicunt, sed per modum pœnæ, & punitionis, vt constat ex Bulla Gregorii Decimitertii, quæ incipit *Sancta Mater Ecclesia*: quo quidem facto satis clarè ostenditur id posse fieri à Principibus sæcularibus. Aliam rationem affert Cardinalis Lugo sumptam ex munere Legatorum Christi, quo funguntur Cõcionatores, & propter quam videtur cogi posse istos infideles vt illos audiant. Quæ est pia & probabilis, etsi metaphorica.

Solutio tertij argumenti.

Ex quo patet solutio ad tertium argumentum; concesso enim antecedenti de infidelibus subditis Principibus temporalibus, quod scilicet possunt cogi ad audiẽdum Euangelium neganda est consequẽtia, videlicet, quod etiam possint cogi ad ipsum recipiendum: tum quia multo maius est recipere Euangelium, quam illud audire; tum quia, esto quod auditio Euãgelii sit medium ad receptionem illius, tamen nec habet necessariam connexionem cum illa, nec eam infert necessario, cum possit dari auditio sine receptione, & ita non valet argumentum ex *illa* ad *istam*. Vnde patet responsio ad probationem consequentiæ.

Obiectio

Obiici tamen potest, quia omnes infideles quicunque sint, cogi possunt, ne impediant, sed potius permittant prædicationem Euangelii: ergo etiam cogi possunt vt audiant illud. Consequentia videtur clara eo quod idem est non impedire, seu permittere prædicationem Euangelii, ac illam non audire. Respondeo tamen antecedens esse verum, vt cum Diu. Tho. dicta quæst. 10. art. 8. docent Caietanus, Victoria, Couarrubias, Azor, Bañez, Aragon, Suarez, Tannerus, Hurtadus, Cardinalis Lugo, Granadus, Turrianus, Caspensis, Serra, & alii multi, quos refert, & sequitur Verricelli de missionibus quæstione 182. sect. vndecima contra Artiagam oppositum tenentem. Eo quod hoc est necessario inclusum in præcepto diuino quod habet Ecclesia ad prædicandum Euangelium omni creaturæ. Math. & Marc. vlt. & in iure, quod etiam habet ad propulsandam iniuriam, quæ infertur fidei; dum impeditur ipsius prædicatio; & ipsis Prædicatoribus, qui sunt veluti Legati nomine: Ecclesiæ annunciantes pacem: imò pluribus ex ipsis infidelibus, qui in illorum regionibus sine dubio reciperent, aut saltem spontanee audirent Euangelii prædicationem. Nego tamen consequentiam, qua infertur, posse etiam cogi vt audiant hanc prædicationẽ; eo quod multo minus est nõ impedire illam, ac audire illã quia primũ consistit in mera negatione impediẽdo, posterius verò in positiua actione auditionis, assistentiæ &c. & quia possunt separari, sicut separarentur, si Papa, vel Episcopus mitterent aliquem Concionatorem ad concionandum in aliqua Ciui-

ta

uitate, & ciues illum permitterent prædicare, nollent autem ipſum audire. An autem hæc coactio ad coercendum impedientes prædicationem Euãgelij, fieri poſſit vi, armis, militibus, bello etiam tractant Suarez, Solorzanus, Diana, Lugo, & Palaus inter alios. Solum dicam, cautiſſimè eſſe in hoc procedendum; ita videlicet, vt iure Eccleſiæ ſeruato, euitetur ſcandalum, quod ex hoc oriri poteſt, non ſolum inter ipſos infideles, ſed inter Catholicos etiam, quorum aliqui, vt mihi conſtat, de eo conqueſti ſunt ad Philippum Tertium pijſſimum Hiſpaniarum Regem: præſertim cum Apoſtoli, & Apoſtolici Viri diuerſiſſimo modo in annunciando Euangelio Gentibus ſe gererent, ſola humilitate, manſuetudine, & patientia armati, *ſicut agni inter lupos*.

Solutio quarti.

Ad quartum argumentum, quod attinet ad leges illas ex C. de paganis deſumptas, nihil probant ad intentum, quia per eas ſolum prohibita fuerunt Gẽtilibus cultus dæmoniorum, & alia quæ ſunt contra legem naturalem, quod licitum eſt, vt dicemus quæſtione ſequenti; nec propterea coacti fuerunt recipere legem Euangelicam. Illud etiam de Cælicolis nihil quoque probat, quia, vel illi Cælicolæ erant Chriſtiani, vt colligitur ex Diu. Auguſtin. epiſtola 163. vel eſto merè pagani eſſent, quia ſuis ſceleribus contra rationem naturalem turbabant Rempublicam, ideo meruerunt puniri pœnis hæreticorum, quod non fuit cogere illos directè, ſed ſolum indirectè ad fidem, vt dictum eſt. Quo etiam modo reſpondetur ad ſimile argumentum, quod adduci ſolet de Manichæis, & Samaritis. Ad illud de Siſebuto Rege communiter dicitur, illum quidem, etſi ex bona, & pia intentione, erraſſe in eo facto, & propterea reprobari in eo Concilio. Illud de Ferdinando Rege Catholico ſolum probat, infideles ſubditos Chriſtianorum Principum poſſe cogi indirectè ad fidei ſuſceptionem, quia non alio modo coacti ſunt à Rege Ferdinando illi Iudæi, & Mahometani. Expulit enim eos ex Hiſpaniæ Regnis, non quia baptizari nolebant, ſed quia Chriſtianis *petra ſcandali* erant ſuis malis moribus, & ritibus; Mahometani etiam bello iuſto ſuperati, ac per conſequens tanquam captiui.

Quæſtio quinta.

An ſaltem poſſint cogi infideles ad diſponendos errores rationi naturali contrarios, & cultum falſum.

Suppoſitio.

NOn procedit hæc quæſtio de infidelibus baptizatis, ſeu de hæreticis, quia certum eſt illos poſſe cogi ad prædicta, prout conſtat ex dictis quæſt. præcedent. concluſ. prima: ſolum ergo procedit de alijs infidelibus non baptizatis. Nec etiã eſt quæſtio de illis erroribus, qui ſpecialiter opponuntur noſtræ fidei, quales ſunt negare Trinitatem, Incarnationem, Euchariſtiam, & ſimilia. Cum enim, iuxta dicta quæſt. præcedenti, iſti infideles ſiue ſint ſubditi Chriſtianis, ſiue non ſubditi, nequeant cogi ſaltem directè ad receptionem fidei, ſic neque ad deſerendum errores ſpecialiter ipſi fidei contrarios. Solum ergo procedit de illis erroribus, qui non ſpecialiter opponuntur fidei noſtræ, ſed ſolum generaliter, quia opponuntur rationi naturali, vt ſunt v. g. negare Deum eſſe, eſſe vnum, habere prouidentiam, & ſimilia, ac colere vt Deum creaturam, dæmones, Idola, &c.

Prima ſententia.

Prima ſententia generaliter affirmat omnes infideles ſiue ſubditos, ſiue non ſubditos Eccleſiæ, vel Principi Chriſtiano, poſſe cogi ab ipſa Eccleſia, vel Principe Chriſtiano, etiam vi, & armis, ad deſerendum errores, & cultum falſum rationi naturali contrarios. Ita tenent Maior, & Sepulueda, quibus etiam adhærent Diuus Antoninus, Aluarus, Pelagius, Siluester, Caſtrus, Abbas, & Hoſtienſis. Fundamenta ſunt primò, ex Sacra Scriptura Eccleſiaſt 10. ibi: *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniuſtitias, & iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos*. Ex hoc enim denotatur, propter huiuſmodi crimina, quæ ſunt contra rationem naturalem, poſſe infideles etiam priuari ſuis Regnis. Secundò, ex Diuo Cypriano in exhortat. ad Martyr. cap. quinto. vbi recenſens aliqua præcepta Dei in veteri teſtamento, quibus mandauit Idololatras interfici, addit, *Quanto magis poſt aduentum Chriſti ſeruanda ſunt?* Tertiò, ex Diuo Auguſtino lib. 5. de Ciuitate cap. 12. & 17. cui conſentire videtur Diu. Thom. ſeu author libri tertij de regimin. Princip. cap. 4. & ſequent. laudante Romanos, quod barbaras nationes ſibi ſubiecíſſent, vt

Digitized by Google

vt earum deprauatos mores corrigerent. Quartò, ex Diu. Gregor. lib 1. Regiſtr. epiſt. 73. laudante ſimiliter Gennadium, quod bello contra infideles geſto fidem Chriſtianam propagaſſet. Quintò, quia Alexand.6. Papa dedit Ferdinando, & Eliſabethæ Regibus Catholicis, dominium omnium Inſulanum, & Prouinciarum Indiæ Occidentalibus, quod nullo alio titulo fieri potuiſſe videtur, niſi vt cogerentur Incolæ illarum deſerere Idololatriam, &prauos mores contra legem naturę. Sextò, quia alias ſequeretur plura peccata externa etiam contra legem naturę, eſſe quę ab aliquo homine puniri non poſſint, iſta videlicet, quæ ab iis infidelibus committuntur; quod videtur eſſe contra Dei prouidentiam.

Secunda. Secunda tamen ſententia, communis, & vera, diſtinguit de infidelibus ſubditis Eccleſię, aut Principi Chriſtiano, & de non ſubditis; & de prioribus aſſerit cogi poſſe ab Eccleſia, & illo Principe ad deſerendos errores, & falſum cultum contra rationem naturalem; ſecus verò de poſterioribus niſi in caſu infra referendo. Sic fermè Caietanus, Victoria, Sotus, Valentia, Aragon, Suarez, Turrianus, Coninch, Tannerus, Hurtadus, Cardinal. Lugo, Amicus, & alij paſsim. Videndus etiam noſter Philippus à SS. Trinit. tom.3. diſp.7. dub. 5.

Concl.1. Cum quibus dico primò, Papa, & Principes Chriſtiani, poſſunt cogere vi etiam, & armis infideles ſibi ſubditos ad deſerendos errores, & falſum cultum, ſeu Idololatriam, contra legem, ſeu rationem naturalem. Ita authores ſecundæ ſententiæ. Ratio eſt clara, quia poteſtas humana Principis temporalis ad omnes ſubditos, ſiue fideles, ſiue infideles, & in ordine ad finem naturalem politicum, & honeſtum Reipublicæ, exrenditur: ſed ſeruare legem naturæ, & deſerere errores, & cultum contraria ratione naturali, ſpectat ad finem naturalem, politicum, & honeſtum Reipublicę; ergo ad ea extendi poteſt poteſtas Papę, & Principum Chriſtianorum. Confirmatur exemplo Papæ, qui circa Iudæos ſibi Romę ſubditos hoc modo ſe gerit. Deinde exemplo antiquorum Imperatorum, qui cum primum Chriſtiani eſſe ceperunt, Idololatriam ſeueriſſimè prohibuerunt, prout conſtat tum ex hiſtorijs, tum ex iure ciuili, C. de paganis, tum ex PP. & pluribus Concilijs, præſertim Hiſpanienſibus, tales leges approbantibus. Item exemplo Regum Hiſpaniç, qui in ſuis Regnis, vbi commorantur huiuſmodi Pagani, maximè in Inſulis Philippinis, ab huiuſmodi erroribus eos compeſcunt, vt teſtatur Cardinal Lugo. Addendum tamen eſt, non ſolum poſſe prę-

ſatos Principes id facere, ſed etiam teneri. Eo quod proprium munus eorum eſt cogere inferiores, vt viuant ſecundum rectã rationem. Videndi D. Tho. d.q 10.ar. 10. & 11. Bañez, Suarez, Valentia, Palaus, & Lugo. Qui id limitant, niſi quando grauiora mala inde timeantur, iuxta exemplum Patrisfamilias, qui Math. 13. prohibuit ſeruis eradicare zizania, ne forte ſimu eradicaretur triticum.

Dico ſecundò, nec Papa, nec Principes Chriſtiani poſsũt cogere infideles ſibi nõ ſubditos ad deſerẽdum errores, aut cultũ falſum contra rationem naturalem. Ita etiam authores ſecundæ ſententiæ. Et probatur ex Nicolao Papa, qui in interrogationibus Bulgarorum dixit: *De ijs, qui Idolis imolant, nihil aliud dicere poſſumus, niſi quod ratione potius, quam vi conuincendi ſunt*. Deinde ratione, quia vel id fieri poſſet ex vi ſpiritualis poteſtatis, vel ex vi temporalis: non primum, quia, vt dictum eſt quæſtione quarta, hæc, ſolum eſt in Papa, & reſpectu baptizatorum: neque ſecundum, quia loquimur de infidelibus, qui nullo modo ſubijciuntur in temporalibus Papæ, aut Principibus Chriſtianis: ergo. Confirmatur, quia ideo vna priuata perſona non poteſt aliã ſimiliter priuatam ſibi non ſubditam cogere ad deſerendos errores, etiam contra rationem naturalem, quia non habet aliquam iuriſdictionem in ipſam: ſed eodem modo ſe habent Papa, & Principes Chriſtiani reſpectu horum infidelium: ergo. Si dicatur, ſaltim Papam habere indirectam poteſtatem temporalem ſuper temporalia omnia mundi; & ita ratione illius, poſſe hos infideles cogere ad relinquenda ea, quę ſunt contra rationem naturalem. Reſpondeo, veriſſimum eſſe, quod Pontifex habeat iſtã indirectam poteſtatem temporalem, vt quæſtione ſequenti oſtendam; nihilominus ea ſolum eſt quaſi ſubſidiaria poteſtatis ſpiritualis, ſuper tẽporalia videlicet, quatenus neceſſaria fuerit pro bono cõmuni Eccleſię, ipſorum fidelium, & ad finem ſpiritualis poteſtatis; ad quod non pertinet cogere infideles ad deſerendum errores contra rationem naturalem. Secus autem eſſet ſi inde reſultaret aliquod nocumentum fidelibus, vt dicam quæſtione ſequenti; imò eadem prout extenſa, & dilatata. Cum autem non ſit in Papa poteſtas, aut iuriſdictio ſpiritualis ſuper non baptizatos, & iſti infideles, de quibus loquimur, baptizati non ſint, ideo ſuper eos non habet iſtam indirectam poteſtatem.

Secunda.

Caſu tamen, quo huiuſmodi infideles ſuis erroribus, aut ſceleribus damnum inferrent innocentibus: vt ſi eos occiderent, vt carnibus ipſorum veſcerentur; vel dijs ipſos immolarẽt, poſsẽt Papa, & Principes

Explicatio.

Digitized by Google

cipes Christiani eos cogere ad ea non perpetranda, in defensionem innocentium. Ratio est, quia ius defensionis ad repellendam iniuriam sibi, vel alijs innocentibus illatam, eosque tueri, competit omnibus, cum possunt: multo ergo magis Papæ, & Principibus Christianis. Sic ex Maiori, Victoria, Bañez, Molina, Suarez, Valentia, Solorzano, Granado, Lugo, ex Verricelli dicta quæstione 182. sect. 11. ac ex nostro Thoma de Iesu de conuers. omnium Gentium lib. 5. par. 1. dub. 4. Nec est necessarium expectare, vt hæc actualiter fiant, sed sufficit scire talem consuetudinem, aut legem esse inter eos infideles. Molina, Granadus, & Verricelli. Addit Lugo, nec esse expectandum, quod ipsi innocentes hoc petant; quia semper præsumuntur velle suam tutelam, & defensionem. Et cum Suarez, etiam si ipsi consentiant, & velint sacrificari: eo quod sunt plus quam amentes in hoc consentiendo, nec possunt consentire.

Soluțio dubij.

Ex dictis autem tam in hac, quam in præcedenti quæstione, colligitur solutio illum dubiij, quod mouet Diu. Thom. dicta quæstione decima, art. 11. an scilicet infidelium ritus sint tolerãdi. Etenim loquẽdo de hæreticis; cum illi subditi sunt Ecclesiæ, prout constat ex dictis quæstione quarta, & ipsorum ritus speciales sint eidem valde pernicioſi, absolutè loquendo tolerari non debent. An autẽ, causa aliqua valde rationabili subsistente, id fieri possit, vel illis permitti, vt dicitur, libertas conscientiæ, dicetur disputatione sequenti commodius. Loquẽdo autem de alijs infidelibus temporaliter subiectis Principibus Christianis, Iudæis scilicet, vel paganis, Diu. Thom. supra, & alij communiter cum ipso, dicunt tolerari posse eorum ritus, & cœremonias, magna aliqua causa subsistente, videlicet, *propter aliquod bonum, quod ex ipsis prouenit; vel propter aliquod malum, quod vitatur*. Hæc enim est communis causa propter quam Deus permittit mala. Cui homines confirmari possunt; quia, vt inquit Sanct. Thomas; *humanum regimen derivatur à diuino regimine, & ipsum debet imitari*. Vnde antiquitus Christiani Imperatores, ritus etiã superstitiosos horum infidelium tolerabant, ob vitandam perturbationem Reipublicæ, & vt ipsis daretur occasio conuersionis. Similiter idé D. Thomas supra subiungit, quod ritus Iudæorum tolerantur, *quia ex ipsis hoc bonum prouenit, quod testimonium fidei nostræ habemus ab hostibus, & quasi in figura nobis repræsentatur, quod credimus*. Propterea etiam Diu. Augustin. 18. de ciuit. cap. 49. ait; ideo Iudæos non fuisse extinctos à Deo, sed permissos dispergi per totum orbem, vt ab inimicis nostris haberemus testimonium nostræ fidei. Quod sanè habemus propter Sacram Scripturam, quam ipsi conseruant, in qua de aduentu, & miraculis Messiæ, reprobatione, obdurationè, & dispersione ipsorum Iudæorum clarè habetur, & generaliter adumbratur veritas Euangelij. Cauet autem Ecclesia, ne ex ijs Iudæorum ritibus aliquod scandalum sequatur; & ideo eos à multis Prouincijs expulit, vbi erat tale scandalum, & in illis, in quibus tolerat, prohibet inter alia nouas Synagogas extruere; vel illas Ecclesijs Christianorum habere vicinas; in die Parasceues in publicum progredi, aut tenere ostia, vel fenestras apertas; ac præcipiuntur ferre signum, quo à fidelibus secernantur. Vt patet in tit. de *Iudæis* per multa capita, & in Codice eodem titulo, ac multis legibus Hispaniæ. Et ex ijs & alijs Doctoribus afferunt Suarez, & Palaus. Demum loquendo de infidelibus, nullo modo subditis Principibus Christianis, consequenter ad dicta supra in hac, & præcedenti quæstione, cum dictum sit non posse cogi ad suscipiendam fidem, nec etiam ad deponendos errores quantumuis contrarios naturali rationi, nisi solum ratione defensionis innocentuum, ita etiã debet dici de illis, debere tolerari in ritibus suis quantumuis naturæ rationali contrarijs, nisi adsit titulus prædictæ defensionis innocentium.

Solutio argumentorum.

Ad arguuenta autem pro prima sententia adducta sic respondeo. Ad primum quidem, quod ex loco illo Ecclesiastici solum habetur Dei prouidentia fieri, quod Regna transferantur de vno ad alium propter illa peccata, non vero, quod homines alijs non Superiores habeant authoritatem ad id faciendum. Ad secundum, Diuum Cyprianum ibi loqui, vt ex contextu constat, de fidelibus transeuntibus ad Idololatriam puniendis; non vero de infidelibus, de quibus nos loquimur. Ad tertium, non laudari Romanos eò, quod ea solum de causa bellum suscepissent contra barbaros, vt eorum mores corrigerent; esset enim tale bellum iniustum: sed quia posito quod ea bella suscepissent alio fine, nihilominus eam etiam intentionem habuerint eos corrigendi, & de facto ita fecerint. Ad quartum ex Diuo Gregorio, non esse ad propositum, tum quia illi infideles, contra quos bellum susceperat Gennadius, videntur fuisse hæretici, & Arriani; tum quia erant rebelles Imperio: at verò infideles, de quibus nos in præsenti, sunt pagani, & non rebelles, sed veri domini suorum Regnorum. Adde, quidquid de ijs sit, laudari

dari hunc Gennadium eo quod occasione huius belli curarit propagari Religionem Christianam. Ad quintum, nec etiam videri ad propositum; esto enim Alexander Sextus eam donationem fecerit Regibus Catholicis, omnium Insularum, & Provinciarum India Orientalis, non tamen eam fecit titulo errorum, aut falsi cultus illarum nationum, vt constat ex ipsa Bulla, quæ habetur in Bullario commuui Laertij Cherubini inter Constitutiones huius Pontificis Tom. 1. num. 2. in qua nihil de huiusmodi titulo habetur; cum potius in ea supponatur in illis partibus esse *quam plurimas gentes pacifice viuentes nec carnibus vescentes, qui credunt vnum Deum creatorem in cælis esse, ac ad fidem Catholicam amplexandam* aptas. Quo autem titulo, vel causa facta fuerit hæc concessio commodius dicetur quæstione sequenti. Ad sextum respondetur negando sequelam: omnia enim istorum infidelium peccata puniri possunt, & debent à Principibus harum gentium; quod autem de facto non puniantur, per accidens est, propter eorum videlicet malitiam. Si dicatur, saltem ipsorum Principum peccata impunibilia erunt. Respondeo, dici posse esse punibilia à tota communitate, quia, quando peccata sunt tam enormia, & grauia, scandalosa, & contra rationem naturalem, qualia sunt ea, de quibus nunc est sermo, populus potest deponere Principem barbarum ea committentem. Vel dicatur non esse inconueniens, quod aliqua peccata supremorum Principum impunibilia sint, nisi à solo Deo: vt patet in peccato, quę Papa committere potest.

Quæstio sexta.

An infideles possint habere aliquam potestatem, seu dominium supra fideles.

Suppositio

NOn loquimur in præsenti de infidelibus baptizatis, videlicet hæreticis, quia de his sermo erit disputat. sequenti; sed de infidelibus non baptizatis, Paganis scilicet, vel Iudęis, siue subditis, siue non subditis Ecclesiæ Principibus. Potestatis autem dominij nomine intelligimus tam politicam, eam videlicet, quam habet Princeps in suos Vassallos, & subditos; quam despoticam, quam habet dominus in suos seruos; & œconomicam, seu domesticam, quam habet herus supra suos famulos: ac paternam, quam habet pater in filios. Concl. 1.

Dico ergo primò, nullus infidelis, ratione infidelitatis præcisè, aut stando in iure naturali, aut diuino est priuatus aliqua potestate, seu dominio rerum, personarum, seruorum, subditorum &c. etiam fidelium. Est res certissima, quia videtur definita in Concilio Constantiensi sess. octaua contra Vviclephum, à Paulo Tertio in Bulla, quam referunt Solorzanus de iure Indiarum tom. 1. lib. 2. c. 8. num 79. & Verricelli de missionib. tit. 13. quæst. 182. sect 4. num. 17. Et colligitur ex Sacra Scriptura ad Roman. 13. ad Ephes. 6. ad Colossens. 3. ad Tit. 2. & 1. Petr. 2. in quibus locis monentur fideles subditi obedire suis dominis; qui tunc erant Gentiles, seu pagani. Item ex PP. quorum plura testimonia afferunt recentiores. Ac ex ratione efficaci, quia scilicet dominium non fundatur in fide, sed in iure naturæ, vel gentium, ratione tituli adquisiti, possessione, emptione, hæreditaria successione, bello iusto &c. ergo quantumuis desit fides nō propterea deerit dominium. Nec obstat illud Christi Matth. 17. *Ergo liberi sunt filii*. Quia loquitur de se ipso, qui solus erat filius naturalis Dei; vel, saltem per extensionem, de Apostolis, & alijs, qui erant de ipsius familia. Similiter nec obstat, quod Apostolus 1. Corinth. 6. reprehendat fideles, quod causas agerent apud iudices infideles. Illos etenim reprehendit propter indecentiam; & scandalum, quod esse poterat propter hoc, quia poterant vel non agere illas causas, vel illas agere coram Iudicibus fidelibus: quod enim absolutè id liceret satis ostēdit suo exemplo, quando Actorum 25. appellauit ad Cæsarem. Illud quoque, quod adduci solet ex ad Galatas 5. *Vos in libertatem vocati estis*, solum probat de libertate à peccato, & iugo legis Mosaicæ. Videantur Diu. Thom. quæst. 10. artic. 10. Victoria, Aragon, Suarez, Becanus, Granadus, Card. Lugo. Difficultas tamen est, an, saltem per Ecclesiam priuari possint dicti infideles ea potestate, & dominus. Secunda.

Et dico secundò, loquendo de infidelibus temporaliter subiectis Principibus Christianis, posse ab Ecclesia priuari quocunq; dominio, siue potestate supra fideles, seu Christianos. Ita fere cōmuniter Expositores D. Tho. q. 10. art. 10. ex cap. cū sit nimis de Iudęis, & cap ex speciali eodem titulo vbi Iudæi, & Sarraceni prohibentur habere publica officia habentia iurisdictionem supra fideles. Conformiter ad l. vltima, C. de Iudæis, & Concilia Toletana 3. & 4. relata in ca. nulla dist. 54. & ca.

Digitized by Google

& ca. constituit 17. quæst. quarta, & Concil. Matisconense primum, cap. 13. Ratio autem horum iurium est, quia, vt inquit S. Thom. supra, cedit hoc in scandalum, & periculum fidei, cum facilè subditi inclinari soleant ad beneplacitum Superiorũ; & ex alia parte infideles, si essent superiores fidelibus eos iniustè vexarẽt; contemnerent etiam eos, & fidem Christianam, si cognoscerent ipsorum defectus. Secundò, de dominio, seu potestate despotica super seruos, & ancillas, ex cap. Iudei 2. & cap. nulli Iudęo de Iudęis, & Sarracenis, & ca. mancipia, & ca. nulla, & alijs, dist. 54. conformiter etiam ad l. Iudęus C. ne Christianum mancipium, l. Deo nobis C. de Episc. & Cleric. & propter rationes assignatas. Tertio, de dominio, seu potestate Oeconomica super famulos, ex c. ad hęc, & cap. etsi Iudęus de Iudęis, & Sarracenis, & consonat l. vlt. §. vlt. C. de Episcop. & Cleric. & iuuant etiam rationes adductę. Quarto demum de patria potestate, à qua eximuntur filij Iudęorum baptizati, & constat ex ca. Iudęorum filios 28. quæst. 1, ex vsu Ecclesiæ, & alijs DD. apud Barbosam in collectan. DD. ad hunc canonem n. 4. An vero paruuli Iudęorum possint inuiti parentibus baptizari dicetur in Tractatu de Baptismo.

De infidelibus non subditis.

Loquendo autem de infidelibus non subditis Ecclesiæ, de quibus est principalis difficultas huius quæstionis, prima sententia affirmat Ecclesiam posse illos priuare omni dominio supra fideles. Pro ea referuntur Hostiensis, Aluarus Pelagius, fauent S. Thom. dicto ar. 10. Valentia, & alijs. Probatur primo ex Bulla Alex. 6. qui, vt vidimus quæstione præcedenti, donauit Regibus Catholicis dominium Indiarum Occidentalium, quod alias habebant Principes infideles illarum Regionum, ex quo manifestè sequitur illos priuasse tali dominio. Secundò, quia infideles præcisè ratione infidelitatis sunt digni priuari tali dominio; eo quod infidelitas sit maximum peccatum: ergo cõcedendum est Christum contulisse hanc potestatem Ecclesiæ. Tertio, exemplo matrimonij infidelium: etenim ex duobus infidelibus coniugibus, si vnus conuertatur ad fidem, altero remanẽte in infidelitate, dissoluitur tale matrimonium, & coniux infidelis priuatur iure quod habebat in alium coniugem; ergo similiter, cum subditus, vel seruus domini infidelis conuertitur ad fidem, potest talis dominus priuari dominio super ipsum.

Secunda sentẽt.

Secunda sententia est negatiua. Pro qua stare videntur Durandus, Victoria, Sotus, Bellarminus, Turrianus, & alij. Fundamentũ est, quia, vt constat ex dictis concluſ. prima stando in iure naturali infidelis est capax dominij supra sibi subditos, nec illud perdit ex eo, quod isti fiant fideles, prout communiter sentiunt DD. ex alia etiam parte, in iure diuino stando neque ex S. Scriptura, traditione, Concilijs, aut Patrib. constat Christum dedisse hanc authoritatem Ecclesiæ, aut Papæ, vt possit infideles priuare suis bonis, & iuribus; quin potius ex locis Sacræ Scripturę supra insinuatis, constat contrariũ, & illis fauet, tum quod Ecclesia, & Papa solum habent authoritatẽ supra fideles, & Christi oues; tum possessio quam habent, quæ in materia iustitiæ magni ponderis est: non ergo possunt ab Ecclesia priuari tali dominio.

Suppositio.

Pro veritatis tamen decisione, & conciliatione duplicis sententiæ relatę supponendum est, in Papa, seu Ecclesia, prẽter iurisdictionem, & potestatẽ spiritualem, quam habet supra cunctos baptizatos; & prẽter temporalem, quam specialiter etiã habet supra aliquas Prouincias, vel Vrbes, Italię prẽsertim, Romam scilicet, Patrimonium Sancti Petri &c. esse quoque illi concedendam aliam temporalem, generalem, etsi indirectam super omnia temporalia mundi, quatenus scilicet necessarium fuerit ad commune bonum Ecclesiæ, & finem ipsius spiritualis potestatis. Quod adeo certum est, vt opposita sententia sit hæretica, saltem reductiuè, vt declaratum est in Congregatione quadam Romana de mandato Innocentij Decimi habita, quam referunt Diana par. decima in Tract. de exauthor. Reg. Resolut. 8. & Verricelli de missionibus, quæst. 182. sect. 17. num. 251. & ita illam tenent innumeri authores, tum Theologi, tum Iuristæ afferunt, & alij, quibreuitatis gratia omittuntur. Quorum fundamentum, præter quamplura Conciliorum, Sacrorũ Canonum, & PP. testimonia, est, quia potestas, seu iurisdictio spiritualis à Christo concessa Ecclesiæ debet esse perfecta, & sufficiens ad dirigendos fideles ad bonum ipsius Ecclesiæ, & finem ipsius potestatis, qui est beatitudo supernaturalis: sed ad hoc est necessarium pro varijs casibus, occasionibus, & occurrẽtiis habere potestatẽ supra temporalia, vt per se patet, & constabit ex dicendis tum hoc loco, tum alibi: concessa ergo etiam est indirectè Ecclesiæ potestas hæc supra temporalia omnia. Confirmatur ex axiomate communi Iuristarum, *Concessa alicui iurisdictione censentur concessa omnia sine quibus nequit exerceri, ex l. 2. ff. de iurisdict. omn. iudic. cap. praterea de offic. delegat.*

3. cõcluſ.

Dico ergo tertio, etsi Papa, aut Ecclesia non possint per potestatem aliquam directam, quam habeant, priuare Principes infideles sibi non subiectos tempora-

Digitized by Google

liter dominio super fideles; id tamen possunt facere indirectè, seu per indirectam potestatem temporalem, propter bonum commune ipsius Ecclesiæ, ipsorum fidelium, & finem potestatis spiritualis eiusdem, quando fuerit necessarium. Sic magis communiter Doctores, & Expositores, Sanct. Thom. hoc artic. 10 specialiter Suarez, Palaus, Lugo, Granadus, & Amicus. Prima pars probatur ex fundamentis secundæ sententiæ. Secunda verò, ex adductis pro prima. Quæ vlterius roborantur, quia quotiescunque sunt duæ potestates, quarum vna est sublimior, & superior altera; potest ea quæ est superior reprimere inferiorem, quatenus necessarium fuerit pro communi bono Superioris subditorum, & vt consequantur suum finem. Sed potestas, quam habet Papa supra fideles est superior ea, quam Princeps infidelis habet super ipsos: nam illa est supernaturalis, hæc naturales; illa in ordine ad salutem æternam, hæc solum in ordine ad pacem, & concordiam publicam. Ergo potest illam reprimere, ac per consequens priuare ipsa infideles, quando fuerit necessarium, iuxta modum dictum. Hæc porro doctrina extenditur suo modo, & proportionaliter non solum ad potestatem politicam, sed etiam ad despoticam, œconomicam, & paternam, iuxta dicta etiam.

Declaratio. Declaratur etiam magis ex solutione argumentorum vtriusque sententiæ, quatenus aduersari videntur nostræ. Et ad primum; Valentia, & Becanus indicare videntur Papam errasse in facto in ista donatione. Sed licentiosè hoc dicitur, nõ solum quia Alexander Sextus, vt Doctor particularis erat in iure doctissimus, & vt Papa errare non potuit è Cathedra docẽs, & in eis, quæ quoad mores proponit toti Ecclesiæ, qualiter fecisse videtur in ea Bulla, vt ostendit Verricelli relatus ea quæstione 182. sect. octaua, Ideo Sotus, Bañez, Bellarminus, Suarez, Salas, Turrianus, Coninch, & alij, negant per illam Bullam concessisse Papam Regibus Catholicis aliquod dominium super Regna Indiarum, sed solum facultatem mittendi ad illas partes Prædicatores Euangelij, & quod essent Protectores, & defensores, tum illorum, tum conuersorum ad fidem, vel similia. Cæterum ex Bulla ipsa constat contrarium, ita vt mirum sit viros doctos non id animaduertisse. Dicit enim Pontifex loquendo de illis Insulis, & terris firmis inuentis, & inueniendis. *Authoritate Omnipotentis Dei Nobis in Beato Petro concessa, ac Vicariatus Iesu Christi, qua fungimur in terris; cum omnibus illarum dominijs, Ciuitatibus, Castris, Locis, & Villis, iuribusque, & iurisdictionibus, ac pertinentijs vniuersis, Vobis, heredibusque, & successoribus vestris (Castellæ, & Legionis Regibus) in perpetuum tenore præsentium donamus, concedimus, & assignamus, Vosque, & hæredes, ac successores præfatos illarum dominos cum plena, libera, & omnimoda potestate, authoritate, & iurisdictione, facimus, constituimus, & deputamus*. Melius propterea respondet Cardinalis Lugo, cui fauet Barbosa de offic. & potestate Episcopi par. prima tit. 3. cap. 2. num. 41. videlicet, donationem hanc Alexandri Papæ non esse intelligendam absolutè, sed veluti conditionaliter, & iuxta terminos iuris, & in terminis habilibus, vt scilicet eas Regiones Regibus Catholicis concederet, supposita aliunde iusta belli causa, vel alio titulo illas occupandi; vt si, vel impedirent prædicationem, vel prædicatores, aut fideles vexarent &c.

Melior solutio. Nihilominus, conformiter ad dicta, videtur dicendum, Papam absolutè donasse prætatas Regiones illis Regibus; non quidem, propter directam potestatem temporalem ipsius super omnia temporalia, prout tenent Solorzanus de iure Indiarum lib. 2. cap. 22. & 23. & alij apud ipsum; sed propter indirectam, quam diximus habere quoties est necessarium ad bonum commune Ecclesiæ, & fidelium, & finẽ spiritualis potestatis. In hoc enim casu instabat hęc necessitas; eo quod spectatis barbaris illarum gentium moribus, cultus dæmonum, esu carnium humanarum, innocentium immolatione, magorum, & ariolorum frequentia, sacrificulorum malitia, ac similibus, impossibile moraliter erat, quod Principes illi assueti tyrannidi, Catholicam Religionem recipi, aut esto, quod Hispanorum metu reciperetur, propagari permitterent. Meritò proinde ijs perspectis, in defensionem fidei, & fidelium, Christi Vicarius ea indirecta super tẽporalia potestate vtens Regiones illas Regibus illis pijs, & Catholicis concessit, pro prætatis impedimentis fidei recipiendę, & propagandę tollendis Recipit hanc doctrinam Granadus, & eã vocat Legitimum titulum vir Hispani Reges, ex Papę concessione Indias possideãt. Eamq; valde amplificat Verricelli ex pluribus authoribus, & fundamentis dicta quæst. 182. ferè per totam, ac præsertim sect. 11. & 12. Nec contra eã obstat, quod Paulus Tertius postea in alia Bulla declarauerit, *Indos, licet extra fidem Christianam existant, sua libertate, ac rerum suarum dominio gaudere, libere, & licitè posse* ex quo inferri videtur priuatos non fuisse ab Alexandro Sexto illarum Prouinciarũ dominio. Etenim, vt benè idem Verricelli ibi sect. 16. num. 225. notat, Paulus 3. loquitur

loquitur de perſonis particularibus Indorum, & bonis etiam ipſorum particularibus, contra quoſdam, qui contra intentionem Regis Catholici aſſerebant eos ſua libertate, & ſuorum bonorum dominio carere: at vero Papa Alexander loquitur de dominio Regnorum, & Vrbium illarum Regionum, auferens illud à Principibus illis Ethnicis, propter bonũ commune Eccleſiæ, defenſionẽ fidelium, & ad tollenda impedimenta, quæ erant in receptione, & propagatione fidei, vt dictum eſt.

Soluțio ſecundi. Ad ſecundum argumentum pro prima ſententia, dico in primis, non omnes infideles dignos eſſe tali priuatione rerum ſuarum; cum plures illorum ſolum habeãt infidelitatem negatiuam, quæ non eſt peccatum. Caſu autem, quo ſint digni tali pœna puniri debent à Deo, non ab Eccleſia per directam poteſtetem in illos, quia non eam habet, ſed ſolum per indirectam, vt dictum habet. Ad tertium conceſſo antecedenti nego conſequentiam: quod enim coniux infidelis priuetur iure quod habet ſupra coniugem factum fidelem prouenit ex voluntate, & diſpenſatione Chriſti intimata ab Apoſtolo 1. Corinth 7. dum dixit: *Si infidelis diſcedit, diſcedat, non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater, aut ſoror in huiuſmodi*: non conſtat autem vllo modo fuiſſe voluntatem Chriſti, quod infidelis priuetur aliarum rerum dominio niſi ſolum indirectè. Argumentum etiam pro ſecunda ſententia ſolum probat non eſſe in Papa, aut Eccleſia poteſtatem directam ſupra temporalia omnia, de indirecta autem nihil probat.

Quæſtio ſeptima.

An communicatio cum infidelibus ſit prohibita.

Suppoſitio. QVæſtio procedit de infidelibus non baptizatis, nam de baptizatis, quales ſunt hæretici, diſputat. ſequenti dicetur. Deinde procedit tam ſtando in iure naturali, aut diuino, quam in iure Eccleſiaſtico.

Concluſ. prima. Dico ergo primò, ſtando in iure naturali, & diuino, primò eſt prohibita communicatio cum his infidelibus, in ritibus, & ſuperſtitioſis cœremonijs ſpectãtibus ad ſuam ſectam. Ita colligitur ex illo 2. Corinthiorum 6. *Nolite iugum ducere cum infidelibus*: ac ex eo, quod talis communicatio non ſolum eſt ſuperſtitioſa contra Religionem, & profeſſio falſæ Sectæ, ſed etiam eſt contra confeſſionem fidei. Videnda quæ diximus ſupra diſputatio. 6 quarta Secundo etiam eſt eodem modo prohibita communicatio cum illis ipſos admittendo ad Sacramentorum participationem. Sunt enim incapaces fructus illorum ob defectum baptiſmi, qui eſt ianua ad alia Sacramenta. Idem dico de Sacrificio Miſſæ, propter eamdem rationem, & ca. Epiſcopus nullum de conſecrat. diſtinct. prima, vbi tamen admittuntur ad conciones, & ad Miſſam Cathecumenorum, id eſt, ad Miſſam vſque ad Offertorium excluſiuè. Imo etiam caſu quo ipſorum conuerſio ſperaretur, poſſent admitti ad totam Miſſam, iuxta Coninch, Palaum, & Lugum. Tertiò generaliter eodem modo eſt prohibita communicatio cum his infidelibus in caſu quo immineret periculum peruerſionis, Diu. Tho. quæſt. 10. artic. 9 & alii paſſim.

Secunda. Dico ſecundò, ſtando in eodem iure naturali, & diuino, licitum eſt communicare cum huiuſmodi infidelibus in rebus politicis, ac contractibus ciuilibus. Etenim Apoſtolus prim. Corinthiorum ſeptimo, Coniugi fideli permittit omnem domeſticam, & humanam communicationẽ cum infideli Et cap. decimo, quod fidelis poſſit manducare, & bibere cum infideli, quando ab eo inuitatur. Cauenda tamen nimia familiaritas, ſaltem propter ſcandalum. Azor, Sanchez, Suarez, Bonacina. Quomodo autem prohibitum ſit cum illis matrimonia contrahere, in Tractatu de matrimonio dicetur. Similiter an liceat vendere ipſis ea, quibus ad vſum ſuę ſectę abutuntur, dicetur ſuo loco.

Tertia. Dico tertiò, nihilominus tñ, ob vitandã fidei contumeliam, fidelium cautelam, & alios honeſtos fines, ſunt multa prohibita ab Eccleſia fidelibus, quoad communicationem cum infidelibus, Iudæis præſertim, vltra aſſignata in quæſtione præcedenti. Primò, habitare cum eis. Secundò, eorum azimis veſci. Tertiò, ijs vt medicis vti. Quartò, medicinas ab eis accipere. Quintò, cum eis in balneum ingredi. Sextò, illos inuitare, vel ad eorum conuiuia accedere. Septimò, eſſe obſtetrices, aut nutrices filiorum ipſorum. Octauo, in teſtamento aliquid eis relinquere. De quibus latè Summiſtæ verbo Iudæus, & ex alijs authoribus Azor, Sanchez, Suarez, Coninch, Bonacina, Palaus, & alij. Ad quos remittimus eorum interpretationem: non enim eſt res valde magni momenti, & conſuetudo, ac praxis fidelium explicat quomodo ſint intelligenda, & omnia fermè reducuntur ad prohibẽdum fidelibus magnam familiaritatem cum eis, iuxta cap. Iudæi, cap. ad hæc, cap. fin. de Iudæis.

DISPV-

DISPVTATIO X.

De hæresi, & apostasia à fide.

Quæstio prima.

Quid sint hæresis, & apostasia à fide.

Conclusio prima

Dico primo, vera hæresis definitio est ista: *Error voluntarius cum pertinacia contrarius fidei Catholicæ hominis Christiani, seu baptizati*. Per *errorem* denotatur actus positiuus intellectus, quo verum existimatur pro falso, vel falsum pro vero. Dicitur *voluntarius* non solum quia hæresis est peccatum, de cuius ratione est esse voluntarium, sed quia cum sit contrarius fidei, debet esse voluntarius, sicut ipsa; quia quemadmodum fides pendet à pia affectione voluntatis, vt dictum in superioribus, ita hæresis ab impia voluntate, seu electione: vnde hæresis ethymologia sumitur à verbo græco, quod significat electionem, prout, & Patres, & Doctores passim. Dicitur *cum pertinacia*, quia iuxta D. Augustinum relatum in cap. qui in Ecclesia 24. quæst. 3. & concil. Viennens. relatum in Clem. 1. de summ. Trin. §. 2 ea est de intrinseca ratione hæresis. Consistit autem pertinacia, non in permanentia, aut perseuerantia in errore; cum in momento temporis, aut etiam instanti, possit esse hæresis: sed in hoc quod quis sciens & prudens Ecclesiam Catholicam aliquid docere, ipse nihilominus contrarium iudicet. Dicitur *contrarius fidei Catholicæ*, quia propia materia hæresis est propositio contraria fidei, nõ contraria alicui scientiæ, aut arti. Similiter dicitur *hominis Christiani*, quia qui non est Christianus, etiam si erret nõ dicitur hæreticus, sed infidelis, Paganus videlicet, vel Iudæus. Addidi autem, *seu baptizati*, ad denotandum, quod licet ad essentiã hæresis nõ sit prærequisitus baptismus, cum etiam possit esse in catechumeno, si post receptam fidem, ante baptismum, eam neget; ad hæresim tamen veluti completã, & antonomasticè sumptam, illam videlicet, quæ ab Ecclesia iudicatur, & punitur, prærequiritur baptismus. De ijs Turrecrem. Caietan. Azor, Bañez, Suarez, Sanchez, Becanus, & alii moderni. Ac ex nostris Guido in lib. de hæresibus cap. 3. Ioannes Beetz de præcep. Decal. præcep. 1. expos. 1. cap. 5. et Philippus à Sanctissima Trinitate tom. 3. disputat. octaua dub. primo & 2.

Ex his autem patet resolutio grauis illius quæstionis, qua quæritur, an qui errat in fide ex ignorantia doctrinæ Ecclesiæ, etiam vincibili, saltem crassa, vel affectata, committat peccatum hæresis. Prætermissis enim variis sententiis affirmatiuis, quas referunt recentiores, verior tamen, & communior id negat, dicens, quancũque ignorantiam, ẽt crassam, & affectatam, testimonii, seu doctrinæ Ecclesiæ, excusare à peccato hæresis. Hanc tenent Bañez, Azor, Aragonius, Vasquez, Becanus, Suarez, Hurtadus, Cardinal. Lugo, Caspensis, & alii, ac ex nostris Vrbanus ab Assensione in Theolog. morali Tract. 1. c. 22. quibus etiam fauet etiam ex nostris Guido in Summ. de hæres. cap. 3. Ratio efficax sumitur ex dictis, quia de ratione hæresis est pertinacia, id est, quod quis sciens, & prudens, Ecclesiam Catholicam aliquid docère, ipse nihilominus contrarium iudicet: sed qui habet ignorãtiam, quæcunque illa sit, testimonij, seu doctrinę Ecclesię, non est sciens, & prudens se sentire aliquid contra Ecclesiam vt per se patet: ergo non committit peccatum hæresis. Secundò, quia peccatum hæresis consistit in hoc, quod quis neget id quod scit esse propositum ab Ecclesia: sed hęc scientia non est in eo, qui habet quamcunque ignorantiam talis propositionis factæ ab Ecclesia: ergo non peccat peccato hæresis. Confirmatur primò, quia ille solus est hæreticus, qui sciens, & prudens contradicit doctrinæ Ecclesiæ: sed qui habet quam, cunque ignorantiam doctrinæ Ecclesiæ non contradicit illi, sciẽs, & prudens; ergo non est hæreticus. Secundò, quia cum quis quomodocunque ignoret, se sentire cõtra suum Magistrum, non est pertinax, aut contrarius doctrinæ illius aliquid sentiens contra illam: pariter ergo, cum quis per quamcunque ignorantiam ignorat se sentire contra Ecclesiam, non est pertinax, aut contrarius ipsi.

Resolut. quæstion.

Sunt tamen aliquæ obiectiones contra hoc. Prima, quia eiusdem speciei sunt peccatum ex ignorantia vincibili, crassa, seu affectata, ac peccatum ex malitia, vt patet in homicidio, furto, seu adulterio; sed error in fide ex malitia, id est ex scientia, quod sit contra doctrinam Ecclesiæ est hæresis; ergo etiam error in fide ex ignorantia, maximè crassa, vel affectata. Secunda, quia ignorantia crassa æquiparatur scientiæ, sed qui errat sciens se contradicere doctrinę Ecclesiæ est hæreticus; ergo etiam qui errat ex ignorantia crassa

Obiectiones.

talis

talis doctrinæ. Tertia, talis error eſt peccatum infidelitatis: ergo cum ſit hominis, qui fidem profeſſus eſt, erit hæreſis. Conſequentia patet, & antecedens conſtat, quia ille error eſt contra fidem. Quarta, quia ad Iudaiſmum, & Paganiſmum ſufficit errare in illa materia ex ignorantia culpabili doctrinæ Euangelicæ: ergo etiam ad hæreſim.

Solutionis. Ad primam, communis, & vera ſolutio eſt, maiorem illam eſſe veram in alijs peccatis, non verò in hæreſi: eo quod in illis cognitio, ſeu ſcientia, non mutat obiectum, nec eſt circunſtantia ſe tenens ex parte illius, ſed ſolum ſe tenet ex parte actus, ad hoc quod ſit voluntarius, & liber: at vero in hæreſi, ſcientia, ſeu cognitio doctrinę Eccleſię ſe tenet ex parte obiecti, & eſt circũſtantia illius: & ideo ignorantia in aliis materiis non facit diuerſificare ſpecie actus habẽtes idem obiectũ: ſecus vero in hæreſi, quia per illam mutatur omnino obiectum, & tollitur ſcientia talis doctrinę Eccleſiæ, ac per conſequens impeditur pertinacia, quæ eſt de eſſentia hæreſis. Ex quo etiam ad ſecundam dico, eſto quod admittatur, quod in alijs materiis ignorantia affectata æquiualeat ſcientiæ, de quo alibi; in materia tamen hæreſis non æquiualet; eo quod, vt dictũ eſt, ea debet eſſe cum pertinacia, id eſt, cum ſcientia, quod talis error eſt contra doctrinam Eccleſię, quæ ſcientia tollitur per ignorantiam etiam affectatam. Ad tertiam, nego talem errorem formaliter eſſe infidelitatem, aut contra fidem; cum enim fides ſit aſſenſus alicuius vetitatis à Deo reuelatæ, & ab Eccleſia propoſitę, infidelitas illi oppoſita debet eſſe diſſenſus rei cognitę vt reuelatę a Deo, & ab Eccleſia propoſitę: vnde ſolum erit talis error materialiter infidelitas, & contra fidem: ac proinde non deſtruet illam. Si quæras cui virtuti opponatur formaliter talis error. Dico opponi virtuti ſtudioſitatis, aut alterius ſimilis, quæ inclinat hominem ad ſciendum ea, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem. Ad quartam etiam nego antecedens, loquendo de infidelitate poſitiua Iudaiſmi, vel Paganiſmi, hæc enim non habetur formaliter niſi per errorem poſitiuum quo cognoſcatur, illa, quæ creduntur in ijs ſectis eſſe contra doctrinam Eccleſiæ, propter dicta in ſolutione ad tertiam. Pro quo videndi Suarez, & Lugo.

Limitatio. Limitanda tamen eſt doctrina adducta, cum Vaſquez, Suarez, Sanchez, Palao, Turriano, Becano, & aliis, ita vt ſolum ſit vera quãdo is qui errat in fide ex ignorantia affectata, ſolum affectauit illam ignorantia ex tædio addiſcendi, negligẽtia, otioſitate, vel ſimili alia cauſa: tunc enim procedunt ea, quæ dizimus, ſcilicet talem errorem non eſſe hæreſim. Si autem id fiat ex falſa opinione, quam habeat de Eccleſia, aut quia putat parui momenti eſſe quæ in ea creduntur, aut ſi mili alio erroneo affectu, tunc talis error erit hæreſis, & ille homo hæreticus.

Difficult. Eſt alia difficultas, an dubius in fide ſit hæreticus, & eſt ſermo de eo, qui voluntariè, & deliberate, nõ aũt per motus ſubitaneos; aut cõſenſũ voluntatis indeliberatus, dubitat. Ad quam, etſi Canus, Sanch. Tannerus, Malderus, & alij, reſpondeant negatiuè; nihilominus vera eſt communis ſententia, quæ id affirmat: quam tenent Caietanus, Azor, Suarez, Coninch, Lorca, Hurtadus, Palaus, Bonacina, Lugo, Farinacius, & Barboſa, plurimos alios referentes, ac ex noſtris Ioannes Beetz de præcept. Decalogi præcept. prim. expoſit. prima, cap. 5. & Vrbanus ab Aſcenſione in Theolog. moral. Tract. 1. cap. 23. Probatur primò ex cap. 1. de hæretic. vbi dicitur, *Dubius in fide infidelis eſt*, & ex Clementin. 1. 5. porrô de Summa Trinit. vbi damnantur vt hæretici, qui dubitant animam rationalem eſſe formam corporis humani; ac ex Leone Decimo in Concil. Lateranenſ. damnante eos, qui in dubium vertunt animę rationalis immortalitatem. Deinde ratione, quia dubitãs voluntariè, & deliberatè de aliqua re eã habet pro dubia, & incerta; nam ſi exiſtimaret habere certitudinem non dubitaret de illa; quia nemo dubitat de re quam putat eſſe certam: ſed habere res fidei pro dubijs, & incertis eſt hæreticum, quia ipſa fides docet eſſe certas, & infallibiles: ergo dubitans de illis voluntariè, & liberè, ſi aliunde adſit pertinacia, vt ſupponitur, eſt hæreticus. Confirmatur, quia dubitans dicto modo de rebus fidei, peccat contra ipſam, quia ſupponit diuinum teſtimonium cui innititur, poſſe eſſe fallax: & ex alia parte, ſi adeſt pertinacia, etiam offendit Eccleſiam, ſupponens eam poſſe errare in doctrina, quam proponit credendam; verè ergo eſt hæreticus.

Obiectio. Nec obſtat ſi dicatur, quod hæreſis debet eſſe error, id eſt, actus poſitiuus, ſeu iudicium falſum; qui autem dubitat non habet talem actum poſitiuum, quia hæc dubitatio ſolum eſt quædam ſuſpenſio actus. Reſpondeo enim cum Cardinali Lugo, quod quemadmodum in voluntate, omiſſio, eſto quod formaliter loquendo non ſit actus, ſed ſolum carentia actus, nihilominus vocatur actus virtualis, & interpretatiuus, vt nos diximus Tom. 2. Tract. 2. diſp. prima, quæſt quarta, quia videlicet voluntas per illam ſe habet, ac ſi operaretur; ſic etiam hæc dubitatio, ſeu

ſuſpenſio

suspensio actus, etiam si formaliter loquendo non sit nisi carentia actus, nihilominus est actus virtualis, & interpretatiuus, quia per illam se habet intellectus, ac si positiuè iudicaret res fidei non esse veras, aut non esse certas; quia videlicet voluntariè, & deliberatè se habet negatiuè circa illas, sciens etiã esse ab Ecclesia propositas; propter difficultates, quas videt esse in illis; cum tamen posset, & deberet eis positiuè assentiri, non obstantibus talibus difficultatibus ob præfatum testimonium diuinum, & Ecclesiæ propositionem, seu doctrinam.

De Apostasia.

Circa secundum de apostasia à fide, dico secundo, eam, iuxta dicta disputat. præced. quæst. 1. non esse aliud, quam recessum à fide semel suscepta. Ita D. Thom. quæstione 12. art 1. & alij cum ipso, specialiter ex nostris Ioannes Beetz de præcept. Decalog. præc. 1. expos. 1. c. 9. & Philippus à Sanctissima Trinitate tomo 3. disputat. 9. dub. 1. non verò est species distincta à Paganismo, Iudaismo, & hæresi, sed coincidit cum illis, prout diximus eo loco. Notandũ tñ, quod quãuis apostatæ nomen tribuatur hæreticis, vt colligitur ex iure tam ciuili, quam canonico in Titulo de hæreticis, ac etiam ex modo loquendi aliquorũ PP. nihilominus proprijssime, & per antonomasiam solũ tribuitur illi qui totã fidem, & Christianam Religionem omnino deseruit, transeundo videlicet ad Paganismum, Atheismum, &c. Ita ferè communiter Doctores, ex quibus Suarez, de fide disput. 16. sect. 5. num. 3. refert nostrum Guidonem, Turrecrematam, Siluestrum, Caietanum, Bañez, Aragon, Canum, Castrum, Azor, Valentiam, Sanchez, Hugolinum, & Farinacium. Addo ego Palaum, Hurtadum, & Cardinalem Lugo. Quibus etiam consentiunt Patres, qui Iulianum Imperatorem non hæreticum, sed apostatam appellarunt, alios verò Imperatores, qui à fide defecerunt non Apostatas, sed Hæreticos. Quo tamen non obstante, omnes pœnæ quas hæretici contrahunt, locum etiam habent in Apostatis, vt notant Suarez, Sãchez, Lugo, & noster Vrbanus ab Ascẽsione in Theologia morali, Tract. 1. c. 22. & alij. De hac porrò Apostasia totali, seu per antonomasiam alia diximus Tom. 3. Quæstionum Regularium, verbo Apostata, & apostasia, vbi etiam de alijs speciebus Apostasiæ, præsertim ea, quæ est à Religione.

Quæstio secunda;

De censura propositionum contra fidem.

Censura quid sit.

CEnsura, prout in præsenti, est iudicium, seu qualificatio propositionum damnabilium, seu, quæ sunt contrariæ fidei. Est autẽ multiplex huiusmodi gradus, seu species censuræ propositionum fidei contrariarum, prout colligitur ex Concil. Cõstantiensi sess. octaua, & 15. dum damnat propositiones Vviclephi, & Ioann. Hus; & ex Bulla Pij Quinti, & Gregorij Decimi Tertij damnantium propositiones Michaelis Baij. Ac in Bulla Innocentij Decimi damnantis quinque propositiones Ianseni, scilicet *hæretica*, *erronea*, *scandalosa*, *blasphema*, *piarum aurium offensiua*, *temeraria*, *seditiosa*, *impia*, *contumelioſa*, *suspecta*. Et, vt alij adiungunt *proxima hæresi*, *sapiens hæresim*, *proxima errori*, *male sonans*, *schismatica*, *superstitiosa*. De quibus dicendum cum Guidone nostro, Diu. Antonino, Turrecremata, Albertino, Simancas, Castro, Cano, Corduba, Peña, Siluestro, Caietano, Bañez, Lorca, Suarez, Coninck, Granado, Maldero, Turriano, Palao, Cardinal. Lugo, Amico, Serra, & aliis, etsi valde differant in explicando huiusmodi censuras. Sequendo tamen clariorem, & probabiliorem modum illas explicandi.

Qualis sit

Propositio *hæretica* ea est, quæ directè, & immediatè opponitur alicui veritati reuelatæ, quales sunt istæ: *Deus non est trinus*, *Verbum non est incarnatum*. Sic colligo ex Guidone nostro in summ. de hæres. cap. 4. 5. & 6. Bañez, Suarez, Coninck, Granado, Lugo, & Amico. Pro quo notandum, aliud esse *hæresim*; aliud verò propositionem *hæreticam*: hæresis enim, iuxta dicta in superioribus, est error cum pertinacia; at verò propositio hæretica potest esse sine illa, & solum est materia talis hæresis. Propositio *erronea*, est ea, quæ non opponitur immediatè alicui propositioni reuelatæ, sed solum mediatè, quatenus opponitur alicui, quæ infertur necessario ex illa. Talis est illa *Christus non est risibilis*: opponitur enim illi *Christus est* risibilis, quæ infertur necessario ex ea *Christus est homo*. Sic fermè communiter Theologi, vt testatur Bañez, & sequitur Suarez, Hurtadus, Coninck, Turrianus, Palaus, Lugo, Granados, Amicus, & Serra. *Scandalosa* propositio ea est, quæ in materia doctrinæ ad fidem pertinentis, præbet aliquibus occasionem ruinæ spiritualis. Sic communiter Doctores. Ponit autem

autem exemplum Suarex in ista propositione, *Imagines non sunt adorandæ*. Non benè tamen, quia hæc propositio multo maiorem censuram meretur. Rectius Serra ponit exemplum in illis propositionibus, in quibus diceretur esse aliqua incommoda in confessione auriculari, ieiunio, aut cœremoniis Ecclesiç. *Blasphema* propositio est illa, quæ iniuriam, vel irreuerentiam contra Deum, vel Sanctos continet. Vt sunt istæ: *Deus peccauit; Sancti fuerunt viles*. Vide alia disputat. 11. Propositio *piarum aurium offensiua*, est, quç quamuis nihil contineat fidei contrarium, sed potius veritatem, offendit tamen piorum, & sapientium aures, illos tepidiores reddendo. Eius exempla plura affernnt Canus, & Serra; sed melius Lugo, in eis, quibus diceretur de Christi, & Sanctorum membris, & actibus necessariis aliquid indecenti modo. *Temeraria* est, qua aliquid dicitnr in materia Theologiç contra communem sensum Patrum, & Doctorum Theologorum: vt si quis negaret aliquam historiam, quam Patres, vel Doctores communiter recipiunt, vel quando in re incerta, & occulta aliquid affirmatur sine sufficienti fundamento: vt si quis diceret tali, vel tali anno erit dies Iudicii. Alia exempla magis particularia affert Carena de offic. Sacrç Inquisitionis par. 2. titulo 16. à num. 8. in ipso videnda. *Seditiosa* propositio ea censetur, quç viam sternit ad seditionem in Ecclesia. Talis fuit illa damnata sub Innocentio Decimo, S. *Paulus fuit æque, ac* S. *Petrus Summus Pastor Ecclesiæ*. Affert etiam Serra istas: *Papa non est superior Episcopis. Malo Prælato non est obediendum*. Sed istç propositiones maiorem etiam censuram merentur. *Impia*, quç operibus pietatis contradicit. De qua Cardinalis Lugo, & Amicus. *Contumeliosa*, seu, vt credo, *iniuriosa*, quæ Deo, Sanctis, aut Prælatis, aut Religionibus iniuriam affert. Lugo, & Carena supra n. 13. Nota autem, quod hçc propositio coincidit cum *Blasphema*, vt constabit ex dicendis disput. 11. quçstione prima. Demum *suspecta*, intelligo de hçresi, vel errore, ea est, quæ licet alias possit habere bonum sensum, spectatis tamen circumstantiis personæ dicentis, loci, temporis, causat suspicionem probabilem de hçresi, vel errore. Tales videntur esse illæ *Pater est maior filio*, loquendo de Patre, & filio Christo. *Fides iustificat*.

De alijs censuris. De alijs censuris adiunctis à Theologis loquendo, propositio *proxima hæresi* cẽsetur illa, quç opponitur doctrinç, quç licet non certo, probabiliter tamen est de fide. Ita Hurtadus, Coninch, & Lugo, *sapiens hæresim* videtur coincidere cũ suspecta, ita vt parum aut nihil ab ea differat. Sic fermè Tannerus, Hurtadus, Coninch, Lorca, Lugo, & Amicus. *Proxima errori* bene diffinitur à Conich, Turriano, & Amicus, quod sit illa, quç opponitur conclusioni probabilissimè deductç ex principiis fidei. Si enim, *erronea*, vt diximus, est quç opponitur conclusioni deductç necessario ex propositionibus de fide, proculdubio *proxima errori* erit ea, quç opponitur conclusioni, quç nõ necessario, sed probabilissimè deducitur ex illis. *Male sonans* confunditur à Tannero, Serra, & Amico, cum piarum aurium offensiua. Cęterum Canus, Corduba, Suarez, Lorca, Coninch, & Palaus, bene dicunt eam appellari propositionem male sonantem, quæ est çquiuoca, & habet sensum Catholicum, & proprium, sed frequenter hęreticum. Exemplum ponit Lorca in hac propositibne *Perniciosum est ditare Clerum. Schismatica* propositio, quç parit in Ecclesia diuisionem, qualis fuit illa, de qua supra, quç ponebat Sanctum Petrum, & S. Paulum Pontifices simul in Ecclesia. De ea Simanchas, Paramus, & alii apud Carenam n. 9. & Amicum, qui ponit alia exẽpla ipsius. Demum *superstitiosa*, quç superstitionem docet. De ipsa Cardinalis Lugo.

Notç aliç quæ. Sunt aliç notç impositæ aliquibus propositionibus, videlicet, *arrogans*, *vana*, *stulta*, *insana*, *falsa*, *improbabilis*. Sed has prętermittimus, quia non sunt censuræ Theologicç, de quibus in prçsenti: vel si aliquo modo sunt tales, sensus illarum facile cognoscitur. Videndi Lorca, Hurtadus, & Lugo, ac alii à Carena relati.

Obiectio Obiici tamen potest contra assignatas censuras propositionum, quod talis assignatio sit diminuta, siquidem dantur aliæ censuræ: nam ista propositio *Christus nondum venit* est *Iudaica*; ista, *Plures dij sunt* est pagana, ista *Deus non est* est *athea*. Respondetur tamen has censuras reduci ad *hæreticam*, quia possunt proferri istæ propositiones ab eo, qui alias recepit fidem Catholicam, & cum pertinacia, & tunc puniri ab Ecclesia: esto quod quando proferuntur à Iudæo, Pagano, vel alio, qui fidem Catholicam antea non susceperat, hæreticæ non sint, veluti per accidens.

Notatio. Adhuc tamen notandum circa censuras assignatas. Primò, non repugnare, imò sæpius contingere, quod aliqua propositio plures ex illis mereatur. Hoc enim facile constabit discurrenti per illas, & clarè colligitur ex Concil. Basilienfi sess. 22. vbi illa propositio *Christus quotidie peccat*, vocatur erronea, scandalosa, & piarum aurium offensiua. Simancas, Albertinus, Suarez, Carena, & alij. Secundò, quod

Digitized by Google

licet Doctores particulares errare possint in censurandis, aut qualificandis propositionibus Theologicis, seu contra fidem, Ecclesia tamen, aut Papa non potest in hoc errare. Ita etiam Bañez, Malderus, Conink, Turrianus, Carena, Lugo, Amicus, & alij. Ratio est, quia id videtur necessario colligi ex infallibili Spiritus sancti assistentia Papæ promissa: præsertim, cum hic agatur de materia concernente fidem. Et confirmatur quia Papa non potest errare si declaret v. g aliquem contractum esse vsurarium, ergo neque si declaret aliquam propositionem esse hæreticam, eroneam, temerariam, &c.

Quæstio tertia.

An hæreticis concedi possit libertas conscientiæ.

1. Cõclus. Dico ergo primò, libertas Religionis seu conscientiæ concessa hæreticis secundum se, & absolutè loquendo, est mala, & illicita. Primò, quia omni iure, naturali, Diuino, Canonico, & Ciuili prohibita. Naturali, quia, cum hæresis sit pestis permaximè contagiosa, quæ, vt Paulus ait 2. ad Timoth. 2. velut *cancer serpit*, adeo sua contagione cunctos sibi coniunctos inficit, vt moraliter impossibile sit, quod si impune grassari permittitur, animæ detrimentum, & perniciem fidelibus non afferat sicut contigit Iudæis olim psalm. 105 *Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum*. Deinde, si solo naturæ lumine ducti Principes, & Magistratus non permittunt in suis ditionibus, fures, adulteros, sodomitas, &c. quanto minus eodem lumine docente non debent permittere hæreticos; cum hæresis sit deterius crimen, vtpotè fide Deo datæ violatio; apostasia ab ipso; totius Reipublicæ exitiosissima pernicies; ob bella, seditiones, & discordias, quæ ex ipsa oriuntur, prout, proh dolor, nostra tempora in vno Luthero, vel alio Caluino, & asseclis plus æquo demonstrant.

De iure diuino. Quod verò iuri etiam diuino sit contraria hæc habentes satis colligitur ex Sacra Scriptura Exod. 34. ibi: *Caue ne vnquam cum habitatoribus terræ illius* (infidelibus nempe) *iungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam: sed aras eorum destrue, confringe statuas, lucosque succide*. Clarius Ecclesiast. 13. *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea, & qui communicauerit superbo induet superbiam*. Et cap. 7. *Discede ab iniquo, & deficient mala abs te*. Hinc Io. 4. *Iudæi non coutuntur Samaritanis*, quia illi erant fideles, illi verò quasi hæretici. Clarè etiam Paulus ad Roman. 16 *Rogo vos fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones, & offendicula, præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis. Huiusmodi enim Christo Domino nostro non seruiunt*. Et 2. Corinth. 6. *Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli?* Et ad Galatas 5. *Modicum fermentum* (doctrina videlicet hæretica) *totam massam corrumpit &c. Vtinam abscindantur qui vos conturbant*. Et 2. ad Timot. 2. *Prophana, & vaniloquia* (hæreticorum) *deuita: multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum vt cancer serpit*. Et ad Tit. 3. *Hæreticum hominem post vnam, & secundam correptionem deuita: sciens quia subuersus est, qui huiusmodi est*. Et Ioannes in epist. 2. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, ne, Aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi Aue, communicat operibus eius malignis*. Deinde Apocalyps 2. Pergami Præsul reprehendit quia habebat apud se hæreticos *tenentes doctrinam Nicolaitarum*, legatur Carthusianus sup. hunc locum. Et Præsul Thyatiræ, quia permittebat *mulierem Iezabel* (hæresis symbolum apertum) *quæ se dicit Propheten, docere, & seducere seruos Dei*. Demum vt vno dicatur verbo hoc patet ex decursu totius Euangelii. Christus enim in ipso voluit, vt Ecclesia esset vna, vnum ouile, vnus pastor, vna fides; fugiendos esse falsos prophetas, qui veniunt in vestimentis ouium; & similia, quæ digito tangunt hæreticorum consortium euitandum esse.

De iure Canonic. De iure etiam Canonico, seu Ecclesiastico, præter plura, quę afferri possunt ex titulo de *Apostatis, hæreticis, & schismaticis*, constat idem intentum ex praxi Summorum Pontificum, & Conciliorum semper auersantium, & prohibentium consortia cum hæreticis; & propterea eos anathematizantium, & eiicientium extra Ecclesiam: quod arguit ex Christi, & Apostolorum traditione id esse acceptum. Fauet etiam ca. sępe 28. quęstione prima.

Ex ciuili. Maximè ex iure ciuili, prętер alia ex prędictis titulis extrahenda, congruit ex *l. nullus, C de Summ Trinitat. & fid. Catholica* illud, *Nullus hæreticis ministeriorum locus, nulla ad exercendam animi obstinationis dementiam pateat occasio*. Et infra. *Arceantur cunctorum hæreticorum ab illicitis congregationibus turbæ*. Inferius.

Si

quid eruptio factioſa tentauerit, ab ipſis etiã Vrbium mœnibus exterminato furore propelli iubemus. Item ex *l. cuncti C. de hæreticis, & Manichæis, illud, Cuncti hæretici proculdubio nouerint omnia ſibi loca adimenda eſſe.*

Secunda probatio.

Secũdo probatur aſſertio poſita ex iugi praxi Eccl. Cathol. inter SS. PP. obſeruata. Et vt omittamus, quę de S. Ioanne Euangeliſta, S. Polycarpo, & S. Antonio Abbate in eorũ hiſtoriis circa hęreticorũ conſortii fugam refertur, S. Ioannes primus Papa circa ann. 526. Arrianorum Eccleſias inter Catholicas non permiſſit, ſed ab ipſis ablatas, Catholicas conſecrauit. Ipſe Ioannes epiſt. 2. ad Epiſcop. Italię tom. 2. par. 1. Concil. fol. 624. Gregorius Turonen. lib. de gloria Martyr. c. 40. Extant etiam duo egręgia exempla, Sãcti Ioannis Chriſoſtomi, & S. Ambroſii, Chriſoſtomus etenim Gainę potentiſſimo Duci Arriano poſtulanti ſibi dari Templum pro ſuis Sacris celebrandis, & Imperatori Arcadio pro eo intercedenti, conſtantiſſime reſtitit, poſtulata negãdo. Theodoret. lib. 5. c. 33. Ambroſius etiam Valentiniano Imperatori mãdanti, vt Templum Arrianis permitteret, accerimè quoque ſe oppoſuit: vt ipſe narrat epiſt. 33. ad Marcellinam Sororem.

Imperatorum geſta

Imperatorum etiam geſta id declarant. Conſtantinus enim Maguus, Arrium hęreſiarcham cum Euſebio, & Teognidè in exilium miſit. Iouinianus Imperator poſtulatus ad Imperiũ, illud ſe accepturum affirmabat, ſi omnes Chriſtianę fidei profeſſores eſſent. Sigiſmundus Imperator, quamuis ab Huſſitis multis cladibus acceptis premeretur, conſcientię libertatem ipſis negauit. Bzouius tom. 15. ann. 1420. num. 9. His iure annumerandus Catholiciſſimus Hiſpaniarũ Monarcha Philippus 2. qui, cum plures ipſum pro libertate conſcientię in Belgio concedenda ſolicitarent, humi ante Imaginem Crucifixi proſtratus hęc verba proculit: *Diuinam Maieſtatem oro, hanc vt mihi mentem perpetuam velis, ne illorum, qui te Dominum reſpuerint, vſpiam eſſe me, aut dici Dominũ acquiescam.* Strada de bello Belgico lib. 4. pag. mihi 213. Alia diligentiores in Hiſtoriis reperient. Ac è contrario, quomodo Iulianus Apoſtata Eccleſiæ hoſtis huiuſmodi conſcieniæ libertatem inter Chriſtianorum Cœtus deſideraret. Sic enim notant Marcellinus lib. 22. num. 7. Optatus Mileuitanus lib. 11. & Lypſius *lib. aduerſus Dialogiſtam.*

Patrum doctrina.

Patrum quoque doctrina intentum roborat. Etenim Diu. Gregor. Nazianzen. orat. 46. ad Nectarium optimè dixit: *Cum nobis cum eorum dogmatibus non conueniat, cœtus habendi poteſtatem illis factam eſſe nihil aliud eſt, quam eorum doctrinam noſtram veriorem exiſtimare. Nam ſi illis, vt & piè ſentientibus, ea quæ ſentiunt, docere, libereque promulgare permittitur, quis non videt Eccleſiæ doctrinam condemnari, perinde ac veritate ab illorum partibus ſtante?* Diu. Hilarius huiuſmodi conſenſionem cum hęreticis reprobauit ſcribens ad Coſtantium Imperatorem Arrianum. Item Lucifer Calaritanus librum edens *de non communicãdo cum hæreticis.* S. Auguſtin. epiſt. 50. ad Bonifacium. *Quomodo Reges ſeruient Domino in timore, niſi ea quæ contra Domini iuſſum fiunt, religioſa ſeueritate prohibendo, atque plectendo?* Legatur lib. 2. contra Gaudentium, & epiſt. 129. vbi Olympium Comitem exhortatur, vt Imperatoris leges in Donatiſtas hęreticos conſtitutas euulget, iudicans ſanè tales hæreticos cum Catholicis ſociari non debere. Diu. Leo Papa epiſt. 76. reprehendit Anatholium Epiſcopum, quod Catholicis permixtos permitteret viuere alienos á fide Catholica. Fauet & D. Gregor. Magnus epiſt. 32. lib. 3. dicens. *Hi igitur, quos & fidei noſtræ integritas, & legum dãnat diſtrictio, non leue peccatum eſt, ſi veſtris inueniant temporibus licentiam reſerpendi.*

Doctores

Suſtragantur etiam aſſertioni noſter Simancas Catholicar. inſtitut. c. 46. Petrus Ribadeneira lib. 1. de inſtit. Princip. 3. c. 17. & 18. Mariana de inſtit. Regis lib. 3. c. 17. Ioann. Molanus de fide hęretic. ſeruanda, Ioãnes Lenſæus lib. de vna Religione in Republic. conſeruanda, Contradus Brunus dè hęretic. lib. 3. c. 15. Franciſcus Burcardus in Tract. de autonomia par. 1. Becanus diſp. de fide hętetic. ſeruanda cap. 10. Tannerus tom. 3. diſp. 1. q. 9. dub. 3. à num. 65. & nouiſſime Angelus Maria Verricelli de miſſionib. tit. 14. quæſt. 194.

2. cõcluſ.

Nihilominus dico ſecundo, licitum eſt Chriſtianis Principibus ob vrgentiſſimam aliquam cauſam, permittere hæreticis in ſuis Regnis, ſeu ditionibus libertatem conſcientiæ. Ita colligitur ex authoribus relatis pro prima ſententia. Quibus valde fauet S. Thom. quæſt. 10. artic. 11. adhęret etiam Coninck diſput. 18. num. 195. aliquo modo Layman lib. 2. Tract. 1. c. 17. num. 4. & Suarez diſput. 18. ſect. 4. num. 9 maximè Diana 10. par. Tract. 3. Hurtado diſputat. 79. ſect. 5. & Cardinal. Lugo diſput. 19. ſect. 2. §. 4. & Verricelli ſup. Colligitur ex parabola zizaniorum, Math. 13. in qua cum quærerent ſerui à Patre familias; *vis eamus, & colligamus ea,* reſpondit: *Non, ne forte colligentes zizania eradicetis ſimul cum eis & triticum.* Cum enim *triticum* ſint fideles, *zizania,* vt ex PP. habetur, hæretici; dum prohibetur colligi zizania

nia ante triticum, indicatur, tolerari aliquando posse hæreticos cum Catholicis. Ratio etiam sumitur ex eo, quod licet nunquam sint facienda mala, vt inde eueniant bona, iuxta doctrinam Pauli ad Roman 3. nihilominus, iuxta regulas charitatis, iustitiæ, & prudentiæ, potest permitti minus malum in duobus casibus: primus, ad euitandum maius, quando vtrumque euitari non possit: tunc enim non assumitur minus malum, vt malum est, sed vt bonum vtile ad euitandum maius: qua de causa communiter dicitur, *ex duobus malis, minus est eligendum*, & Diu. Thom. affert exemplum de meretricibus, quę permittuntur ad euitandum maiora peccata. Secundus, cum ex permissione sequitur melius bonum: talis enim est modus diuinæ prouidentiæ circa homines, cui Principes conformari possunt, vt clarè & egregiè docet Sanctus Thomas dict. artic. 11. dicens: *Humanum regimen deriuatur à diuino regimine, & ipsum debet imitari. Deus autem quamuis sit omnipotens & summè bonus, permittit tamen aliqua mala fieri in Vniuerso, quæ prohibere posset, ne eis sublatis maiora bona tollerentur, vel etiam peiora mala sequerentur. Sic ergo & in regimine humano, illi qui præsunt, rectè aliqua mala tollerant, ne aliqua bona impediãtur, vel etiam ne aliqua mala peiora incurrantur.* Cum ergo ex libertate conscientiæ, etiam si illa sit valde mala, possit impediri aliquod maius malum spirituale, videlicet rebellio hæreticorũ, ex qua, quia potentes valde essent, timeretur prudenter hæresis dilatatio, quia Catholicos superabunt: vel aliquod melius bonum, quale esset conuersio plurium hæreticorum, aut alicui Regis, seu magni Principis, qui suo exemplo traheret alios ad Ecclesiam, vel aliquid simile; poterit tunc permitti. Confirmatur exemplo plurium, & pijssimorum Principum, qui ob similes causas libertatem conscientiæ in suis Principatibus permiserunt.

Additio. Addendum, in talibus casibus posse dictam permissionem libertatis conscientię, pacto, promissione, seu iuramento firmari. Ita Molanus lib. 3. de fide hæreticis seruanda cap. 17. Lugo supra num. 124. Hurtadus supra sect. 7. & Verricelli dicta quæstione 194. sect 2. num. 38. Ratio est, quia generaliter loquendo, quidquid est licitum facere, licitum etiam faciendum promittere. Notant autem Tannerus, Molanus, & Ernestus, quos refert, & sequitur Verricelli num. 39. regulariter non fieri debere istam promissionem de perpetua libertate conscientiæ permittenda.

Notandũ Maximè tamen notandum, quod adhuc posita vrgentissimu causa assignata, ad permittendum libertatem conscientię, & de ipsa paciscenda requiritur, nisi fortè in casu quo esset periculum in mora, consensus, & beneplacitum Summi Pontificis. Sic fermè Tannerus, Layman, Robertus Suuertius, Hurtadus, Card. Lugo, Molanus, & alij, quos referunt, & sequũtur Verricelli supra sect. 2. num. 41. & P. Diana dicto Tractat. 3. contra aliquos Sectarios, ac Tract. de fœderibus resol. 8. Ratio est, quia in hoc negotio agitur de re concernente Christianam Religionem, ipsamque fidem Catholicam; & quæ omni iure est prohibita, & toti Ecclesiæ odiosa, & scandalosa, ac illi afferre potest magnum detrimẽtum, nisi cum maxima circumspectione fiat: vt ergo ritè, & legitimè fiat, requiritur consensus, & beneplacitum eius, cui Christus tanquam supremo Pastori totius Ouilis Ecclesiæ, Io. 21. dixit: *Pasce oues meas*: ipsius enim partes sunt in causis similibus Religionis prouidere.

Summè etiam animaduertendum, quod cum ex dictis cõstet solum posse pẽmitti huiusmodi libertatem Religionis ad euitandum maius malum, & obtinendum melius bonum, prout ex communi Doctore D. Thom. vidimus, ideo nullatenus esse permittendam, quando ex ea timetur peruersio aliqua Catholicorum ex cõfortio hæreticorum secutura: aut propter quamcunque rationem merè politicam; seu ad euitandum quodcunque damnum temporale, etiam amissionem alicuius Regni; aut obtinendum quodcunqoe etiam temporale bonum, etiam vnum Regnum. Ratio est euidens, quia cum hæresis sit pessimum crimen, & malum spirituale, nullum maius malum est, quam ipsa; nec vllum maius, aut melius bonum, quam fidei, & Religionis integritas, cui ipsa hæresis opponitur: eo quod fides sit bonum spirituale, longè, latèque superans quæcunque bona temporalia, & altioris ordinis quam ipsa. Sic colligo ex authoribus relatis, ac Diana par. 10. Tractat. de fœderibus, resolut. 8. & 9. ac præsertim ex aureo illo Diu. Ioannis Chrisostomi in casu illo relato de Gainæ postulatione: *Satius esse Imperio cedere quam prodere domum Dei*. Alia pro casibus libertatis conscientiæ permittendæ, vel non permittendę apud Verticelli relatum.

Aliud.

Quę-

Digitized by Google

Quęstio quarta.

An liceat Catholicis fœdera inire cum hæreticis, in politicis, & humanis.

Notatio. NOn est quæstio in præsenti de fœderibus ad sibi mutuo suppetias, seu auxilium exhibendo tempore belli, quia de hoc dicetur Tract. in disput. de bello, sed de fœderibus, seu pactis in rebus politicis, & humanis necessariis ad vitam.

1. concl. Dico primò, huiusmodi fœdera Catholicorum cum hæreticis, in rebus politicis, & humanis, quales sunt negotia emptionis, & venditionis, mercimoniæ, seu mercaturæ, nauigationis, receptionis in portubus Maris, vel similium; secundũ se, & absolutè loquendo sunt licita, & permissa. Probatur primò, quia cõmunicatio politica, & humana in huiusmodi negotiis, est permissa, veluti necessaria prouita humana, de iure naturę; nec tollitur per infidelitatem, aut aliud quodcunque peccatum: & quamuis per hęresim, propter excõmunicationẽ maiorem illi adiũctam hęretici priuẽtur ipsa; non tamen alii prohibentur cum illis communicare, nisi cum sunt notorij percussores Clericorum, aut nominatim declarati excommunicati, quod raro contingit; & tunc extra casus comprehensos illo versiculo; *Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse*, vt dicitur in Tract. de excommunicatione, & diximus tom. 3. q. Regulariũ, verbo excommunicatio quoad Regulares n. 42. & seqq. licita ergo erit talis communicatio, ac per consequens etiam fœdus super illam habenda, quia, quotiescunque aliqua res est licita, etiam sunt licita fœdus, pactum, & promissio de illa. Secundo, quia ex eo libertatis conscientię permissio, iuxta dicta quæst. præcedenti, secundum se est mala, & illicita, quia est materia spiritualis concernens fidem Catholicam, & Religionem Christianam, & tolerantiam falsorum rituum; ac propterea omnino prohibita, nisi ex vrgentissima causa, & de licentia Papæ. At vero huiusmodi fœdera in rebus politicis, & naturalibus, sunt mere temporalia; ergo non excedunt facultatem Principum sæcularium. Videndi pro hac cõclusione, Arauxus, Lorca, Baldellus, Sãchez, Duallius, Vvigers, & plures alij, quos affert, & sequitur Diana 10. par. Tract. de fœderibus, præsertim resolut. 8. & 9.

Secunda. Dico secundo, nihilominus huiusmodi fœdera, seu pacta iniri non debent à Principibus Catholicis cum hęreticis, nisi ex magna aliqua causa. Ita intelligendi authores relati. Et colligitur ex dictis quæst. præcedenti, de periculo peruersionis, quod regulariter est in communicatione cum infidelibus. Quibus iunguntur illud Exod. 34. *Ne ineas pactum cum hominibus illarum Regionum*. Et Deuteronom. 7. *Non inibis cum eis fœdus*. Hinc 2. Paralipomenon 16. Asa Rex Iuda reprehenditur, quia fœdus inierat cum Benadabo Rege Syrię; & c. 19. Iosaphat, quia etiam amicitiam inierat cũ Achab: vnde Iehu Propheta sic eum corripit: *Impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum amicitia iungeris, & idcirco iram quidem Domini mereberis*. Et cap. 20. idem Iosaphat, quia fœdus inerat cum Ochozia audit ab Eliezer Propheta: *Quia habuisti fœdus cum Ochozia percussit Dominus opera tua, contritaque sunt naues, nec potuerunt ire in Tharsis*. Idque constat experientia in partibus Gallię, Germanię, Belgii, & aliis, vbi simul commorantur Catholici cum hęreticis; crebrius enim quam par est cernuntur plures ex istis à fide deficere ob commercium cum illis. Est etiam alia ratio, propter quam Catholici debeant fugere huiusmodi fœdera, nisi, vt dixi, ex magna aliqua causa. Quia scilicet plures, præsertim rudiores, & infirmiores, cum vident Principes, Magnates, aut Viros doctos cum hęreticis fœdera ista inire, credũt eos non esse tam prauę sectę, vt fides Catholica docet, præsertim quia quidam illorum, vt inquit Apostolus 2. Timoth. 3. habent *speciem quidem pietatis*; & sic incipiunt eos diligere, & cum eis familiariter conuersari; ac paulatim eorum errores amplecti. Cum igitur aliquod istorum, scilicet periculum peruersionis, vel scandalum adfuerit, nullatenus licita erunt dicta fœdera, aut pacta cum hęreticis.

Dubium An vero quando hęc non adsunt, possint Principes laici inire hęc fœdera, Summo Pontifice inconsulto; aliqui negant; alij vero affirmant, quos sequitur Diana d. resolut. 8. Sed destinguendum est: si enim certum fuerit non esse in illis casibus periculum peruersionis, aut scandali, cum ex alia parte res sit merè naturalis, & politica, fieri poterit, inconsulto Papa. Si autem non constat certo abesse, præsertim si fœdera pro multo tempore inirentur, credo recurrendum ad Papam, vt iudicet an tale periculum adsit, vel immineat.

Digitized by Google

Quæstio quinta.

An Hæretici, et Apostatæ debeant Iudicibus fidei denunciari.

Cõclusio. CONclusio est affirmatiua. Quam probauimus to. 3. quæst. Regular. verbo accusare, & accusator n. 7 & verbo denũciatio, & denũtiare n. 4. & verbo hæresis, & hæreticus n. 1. & seq. Et præter ibi dicta colligitur ex c. 2. de hæreticis & c. in nonnullis de Iudæis, & Sarracenis, & l. Manichæos, C. de hæreticis, & ex l. 2. C. de Apostatis, ac alijs iuribus, vbi denotatur hanc denunciationem non solum esse vtilissimam, sed etiam moraliter necessariam, ex diuino, & naturali præcepto Charitatis, eo quod peccatum hæresis est grauissimum, & valde nociuum Reipublicæ Christianæ, ac crimen læsæ Maiestatis diuinæ. Sic quoque colligitur ex authoribus citatis locis relatis, ac alijs, quos afferunt moderni Scriptores.

Secunda Dico secundo, tales hæretici, & Apostatæ debent denunciari etiam si sint omnino occulti, & solum cogniti denuncianti. Hæc assertio est communis DD. quorum plures affert, & sequitur Suarez. Ratio est, quia licet, iuxta ea quæ diximus eo verbo acusare, & accusator n. 17. delicta secreta proximi, quorum non præcedit infamia, semiplena probatio, vel aliquale inditium, non debeant reuelari, hoc tñ limitandum, vt ibi diximus, nisi talia delicta sint contra bonum commune: cũ ergo hæresis sit huiusmodi; tum quia est contra fidem, Ecclesiam, & Religionem Christianam; tum propter magnum damnum Reipublicæ, quod ex illa sequi potest præsertim, quia isto modo impeditur ne serpat, & alios inficiat, quia qui sciam hæresim vni figillatim manifestauit, prout ẽt pluribus seorsim, & separatim cõmunicare: ergo quantumuis occulta denũciari debet Confirmatur, quia talis denunciatio vtilis est Reipublicæ, vt patet; & etiam Iudicibus fidei, quia ex illa possunt habere aliquẽ fumum ad inquirendum, saltem inquisitione generali, & cautius inuigilare circa delinquentem; imo etiam ipsi reo, quia timore talis denunciationis cohibetur à sua nequitia, & ipsius manifestatione: ergo omnino est facienda, iuxta præscriptũ edictorum S. Inquisitionis. Vide dicta eo verbo hæresis, & hæreticus n. 5. Quomodo autem ad id teneantur fideles, etiam casu quo id sciuerint sub secreto naturali (intellige extra Confessionem Sacramentalem) affirmatiuè respondimus eo verbo denunciatio, & denunciare num. 7. Etiam pro casu, quo iurauerint seruare secretũ, argument. cap. intimauit de testibus, & cap. non est obligatorij de regulis iuris, in 6. vt ex multis alijs cõprobat Palaus, & diximus eo verbo hæresis, & hæreticus n. 5. Pariter etiam teneri ad dictam denunciationem, non obstante quod delictum probare non possint; eo quod talis est vsus Tribunalis S Inquisitionis, in quo denũciator non obligatur ad probationem delicti; & quia hoc non competit nisi soli accusatori, vt diximus verbo accusatio, & accusare n. 12. & verbo denunciatio, & denuntiare n. 4. Sic etiã habetur ex Eimerico, Peña, Scaccia, Paramo, Suarez, Palao, & alijs. Maximè circa denuntiationem faciẽdam non præmissa correctione fraterna, & an etiam in casu, quo delinquens est iam emendatus, consulenda quæ scripsimus eo verbo denunciatio num. quarto, & 7. & videndi Palaus, & Caspensis.

Tertia. Dico tertio, per hæreticos istos denunciandos intelliguntur pertinaces, iuxta dicta verbo hæresis, & hæreticus num. 2. & eo verbo denunciatio num. 4. vbi etiam an Parentes, Mariti, Vxores, filij, &c. Pro quo ex modernioribus videndis Caspensis, & Verricelli de missionibus quæstione 225. ex multis alijs. Similiter an ipsimet delinquentes, vel saltem socij, & complices ipsorum, diximus eo verbo accusare, & accusatio num 10. & 11. De quo etiam idem Verricelli. Dubios etiã in fide denunciari debere, diximus dicto verbo hæresis, & hæreticus num. secundo; & constat etiam ex dictis quæst. prima, Item suspectos de hæresi, de quibus latè egimus ibidem num. 3. Circa id porrò, quod diximus eo verbo denunciatio numero quarto ex Corduba, & Nauarro, videlicet non deberi denunciari illos, de quorum hæresi solum habetur notitia ex testimonio personarum leuium, quod etiam tenent Bonacina, Reginaldus, Lessius, Villalobos, Sanctarellus, & alij, notandum valde, cautè in hoc procedendũ, quia sæpius viles istæ personæ, vtpotè simpliciores, melius manifestant veritatem, quam prudentiores, astutiores, & politici; & quia crimen hæresis est contra bonum publicum, & serpit vt cancer; ac etiam, quia in Tribunali Sacræ Inquisitionis viles istæ personæ admittuntur vt testes. Propterea partem contrariam satis probabiliter tenent noster Thomas de Iesu, & Spatharius, quos refert, & sequitur Diana par. quarta, Tract. 5. Resol. 28. & sauet nouissimè Verricelli supra relatus ex Thoma Hurtado,

Dico

4. Cõcluſ. Dico quartò, non denuncians prædictos hæreticos incidit in excommunicationem maiorem latæ ſententiæ Papæ reſeruatam, quæ ponitur in Edicto Sanctæ Romanæ vniuerſali Inquiſitionis, quod attuli eo verbo accuſatio, & accuſator n. 7. Refertur etiam alia excommunicatio ferenda ex quadam Extrauaganti Gregorij Noni, quam addunt Peña, & alij poſt ipſum. Deinde Religioſi non denuncientes alios Religioſos de hæreſi ſuſpecto, incidunt in cenſuras, & pœnas deſignatas à Paulo Quinto in Bulla *Romanus Pontifex* de anno 1606. in 3. Tom. Bullarij, inter Bullas huius Pontificis num. 26. aliàs 19. Item redditur ſuſpectus de hæreſi, prout ex Caſtro, Roxas, Peña, Farinacio, & Deciano colligitur. Præterea inter fautores hæreticorum numeratur à Peña, & alijs. De quo etiam Decianus, Vgolinus, Toletus, Farinacius, Sanchez, & Palaus.

Quinta; Dico quinto, huiuſmodi denunciatio facienda eſt iuxta præſcriptum Edictorum Iudicibus in ipſis deſignatis, quales ſunt in Edicto illo relato Sac. Romanæ Inquiſitionis, ipſi Domini Cardinales, à quibus editum eſt; Commiſſarius Sancti Officij in Vrbe, & vbiuis locorum Inquiſitores, vel locorum Ordinarij, ſeu eorum Vicarij Generales. In alijs autem Edictis particularibus ex eorum lectura conſtabit. Hi ſũt vt in plurimũ ipſimet Inquiſitores, à quibus eduntur. Quia tamen ſunt aliquæ perſonæ exemptæ à iuriſdictione Inquiſitorum. v.g. Cardinales, Patriarchę, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Nuntij, ſeu Officiales Papę, de quibus Repertorium Inquiſitorum verbo Epiſcopus, Villadiego, Simancas, Suarez, Molina, Palaus, & alij; ideo iſti, etſi non tenentur denunciare coram inquiſitoribus ſpecialibus, quia non ſubduntur illis, tenentur tamen id facere coram Papa, vel S. Conoregatione Romana S. Inquiſitionis, quibus ſubduntur. Caſu etiam quod illi denũtiãdi eſſent, ſimiliter denuntiari debent corã Papa, vel S. Congregatione Romana prędicta, cui ſubſunt; imo etiam coram Inquiſitoribus ſpecialibus, quia illi ſaltem poſſunt accipere depoſitionem teſtium, & Romam tranſmittere; quin etiam ex benigna interpretatione mentis Papæ, in caſu vrgentiſſimę neceſſitatis, exemptum capere, ſi timetur eius fuga, & quod aliquod pernicioſiſſimum damnum Eccleſię immineret. Sic ferme Palaus, ex Peña, Molina, Simancas, & alijs.

De termino Edictorum. Circa terminum ponì ſolitum in huiuſmodi Edictis pro denunciatione facienda, videnda quę diximus eo verbo Denunciatio, & denunciare n. 8.

Quęſtio Sexta

An libri hæreticorum legi, aut retineri poſsint.

REſpondeo negatiuè cum Vvaldenſi noſtro tom 1. Doctrin fidei in princ. doctrin. 6. propter multiplicę prohibitionem talium librorum. Primo enim, antiquiora Cõcilia, & Imperatores eos prohibuerunt, & igni cremandos tradiderunt, vt latè afferunt Simancas, Bellarminus, Suarez, Cardin. Lugo, & alij. Secundo, in Bulla Cœnę caſu 1. clarè, & expreſſe id prohibetur illis verbis *Excommunicamus, & anathematyzamus &c. eorum* (ſcilicet hęreticorum) *libros hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, ſine authoritate noſtra, & Sedis Apoſtolicæ, ſcienter legentes, aut retinentes, imprimẽtes, ſeu quomodolibet defendentes, ex quauis cauſa, publice, vel occulte, quouis ingenio, vel colore.* De qua prohibitione latè egimus *to* 4. quęſt. Regular. verbo libri, num. 18. & ſequentibus. De ipſa etiam præter authores ibi relatos, recentiores, ſcilicet Granadus, Quiedo, Hurtadus, Palaus, Baldellus, Cardinal Lugo, Leandrus à Sacramento, & nouiſſime Vericelli de miſſionibus quæſt. 195. Tertio, per Pium 4. in Bulla, quę vocatur *Indicis*, & eſt in 2. to. Bullar. inter Conſtitutiones ipſius n. 77. vbi hęc: *Qui hæreticorum libros, vel cuiuſuis authoris ſcripta, propter hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem damnata, atque prohibita, legerit, habuerit, ipſo iure in excommunicationis pœnam incidat: eamque ob cauſam in eum, tanquam de hæreſi ſuſpectum inquiri, & procedi liceat, præter alias pœnas ſuper hoc ab Apoſtolica Sede, Sacriſque Canonibus inſtitutas.* De qua etiam prohibitione diximus eo verbo libri num. 16. & 17. & præter authores ibi relatos agunt recentiores ſupra adducta. Quarto, per Paulum Quintum in Bulla, quæ extat in principio Expurgatorij Hiſpanici, vbi degentes in illis Regnis, prædictos libros legentes, aut tenentes, ſeu imprimentes, vel venales habeñtes, incidunt in excommunicationem latæ ſententiæ Papę etiam reſeruatæ. Tenentur etiam eos libros Officio Inquiſitionis tradere, & notificare delinquentes. Nota tamen noſtrum Vrbanum ab Aſcenſione in Theologia morali Tractatu primo, cap. 23 dicere in Gallijs non extare aliquã prohibitionem iure poſitiuo legendi libros hæreticorum; quod mirabile eſt, poſita ea, quę ſingulis annis legitur Romę in Bulla Cœnæ. Vide dicta To. 4. meæ Summæ verbo libri à num. 15.

Conclus.

Suat

Quæstio quinta.

An Hæretici, et Apostatæ debeant Iudicibus fidei denunciari.

Cõclusio. CONclusio est affirmatiua. Quam probauimus to. 3. quæst. Regular. verbo accusare, & accusator n. 7 & verbo denũciatio, & denũtiare n. 4. & verbo hæresis, & hæreticus n. 1. & seq. Et præter ibi dicta colligitur ex c. 2 de hæreticis & c. in nonnullis de Iudæis, & Sarracenis, & l. Manichæos, C. de hæreticis, & ex l. 2. C. de Apostatis, ac alijs iuribus, vbi denotatur hanc denunciationem non solum esse vtilissimam, sed etiam moraliter necessariam, ex diuino, & naturali præcepto Charitatis, eo quod peccatum hæresis est grauissimum, & valde nociuum Reipublicæ Christianæ, ac crimen lesæ Maiestatis diuinæ. Sic quoque colligitur ex authoribus citatis locis relatis, ac alijs, quos afferunt moderni Scriptores.

Secunda Dico secundo, tales hæretici; & Apostatæ debent denunciari etiam si sint omnino occulti, & solum cogniti denuncianti. Hæc assertio est communis DD. quorum plures affert, & sequitur Suarez. Ratio est, quia licet, iuxta ea quę diximus eo verbo acusare, & accusator n. 17. delicta secreta proximi, quorum non præcedit infamia, semiplena probatio, vel aliquale indicium, non debeant reuelari, hoc tñ limitandum, vt ibi diximus, nisi talia delicta sint contra bonum commune: cũ ergo hæresis sit huiusmodi; tum quia est contra fidem, Ecclesiam, & Religionem Christianam; tum propter magnum damnum Reipublicę, quod ex illa sequi potest præsertim, quia isto modo impeditur ne serpat, & alios inficiat, quia qui sciam hæresim vni sigillatim manifestauit, prout ēt pluribus seorsim, & separatim cõmunicare: ergo quantumuis occulta denũciari debet Confirmatur, quia talis denunciatio vtilis est Reipublicæ, vt patet; & etiam Iudicibus fidei, quia ex illa possunt habere aliqué fumum ad inquirendum, saltem inquisitione generali, & cautius inuigilare circa delinquentem; imo etiam ipsi reo, quia timore talis denunciationis cohibetur à sua nequitia, & ipsius manifestatione: ergo omnino est facienda, iuxta præscriptũ edictorum S. Inquisitionis. Vide dicta eo verbo hæresis, & hæreticus n. 5. Quomodo autem ad id teneantur fideles, etiam casu quo id sciuerint sub secreto naturali (intellige extra Confessionem Sacramentalem) affirmatiuè respondimus eo verbo denunciatio, & denunciare num. 7. Etiam pro casu, quo iurauerint seruare secretũ, argument. cap. intimauit de testibus, & cap. non est obligatorium de regulis iuris, in 6. vt ex multis alijs cõprobat Palaus, & diximus eo verbo hæresis, & hæreticus n. 5. Pariter etiam teneri ad dictam denunciationem, non obstante quod delictum probare non possint; eo quod talis est vsus Tribunalis S. Inquisitionis, in quo denũciator non obligatur ad probationem delicti; & quia hoc non competit nisi soli accusatori, vt diximus verbo accusatio, & accusare n. 12. & verbo denunciatio, & denuntiare n. 4. Sic etiã habetur ex Eimerico, Peña, Scaccia, Paramo, Suarez, Palao, & alijs. Maximè circa denuntiationem faciẽdam non præmissa correctione fraterna, & an etiam in casu, quo delinquens est iam emendatus, consulenda quæ scripsimus eo verbo denunciatio num. quarto, & 7. & videndi Palaus, & Caspensis.

Tertia. Dico tertio, per hæreticos istos denunciandos intelliguntur pertinaces, iuxta dicta verbo hæresis, & hæreticus num. 2. & eo verbo denunciatio num 4. vbi etiam an Parentes, Mariti, Vxores, filij, &c. Pro quo ex modernioribus videndis Caspensis, & Verricelli de missionibus quæstione 225. ex multis alijs. Similiter an ipsimet delinquentes, vel saltem socij, & complices ipsorum, diximus eo verbo accusare, & accusatio num 10. & 11. De quo etiam idem Verricelli. Dubios etiã in fide denunciari debere, diximus dicto verbo hæresis, & hæreticus num. secundo; & constat etiam ex dictis quæst. prima. Item suspectos de hæresi, de quibus latè egimus ibidem num. 3. Circa id porrò, quod diximus eo verbo denunciatio numero quarto ex Corduba, & Nauarro, videlicet non deberi denunciari illos, de quorum hæresi solum habetur notitia ex testimonio personarum leuium, quod etiam tenent Bonacina, Reginaldus, Lessius, Villalobos, Sanctarellus, & alij, notandum valde, cautè in hoc procedendũ, quia sæpius viles istæ personę, vtpotè simpliciores, melius manifestant veritatem, quam prudentiores, astutiores, & politici; & quia crimen hæresis est contra bonum publicum, & serpit vt cancer; ac etiam, quia in Tribunali Sacræ Inquisitionis viles istæ personæ admittuntur vt testes. Propterea partem contrariam satis probabiliter tenent noster Thomas de Iesu, & Spatharius, quos refert, & sequitur Diana par. quarta, Tract. 5. Resol. 28. & sauet nouissimè Verricelli supra relatus ex Thoma Hurtado,

Dico

4. Cõclus. Dico quartò, non denuncians prædictos hæreticos incidit in excommunicationem maiorem latæ sententiæ Papæ reseruatam, quæ ponitur in Edicto Sanctæ Romanæ vniuersali Inquisitionis, quod attuli eo verbo accusatio, & accusator n. 7. Refertur etiam alia excommunicatio ferenda ex quadam Extrauaganti Gregorij Noni, quam addunt Peña, & alij post ipsum, Deinde Religiosi non denuncientes alios Religiosos de hæresi suspecto, incidunt in censuras, & pœnas designatas à Paulo Quinto in Bulla *Romanus Pontifex* de anno 1606. in 3. Tom. Bullarij, inter Bullas huius Pontificis num. 26. aliàs 19. Item redditur suspectus de hæresi, prout ex Castro, Roxas, Peña, Farinacio, & Deciano colligitur, Præterea inter fautores hæreticorum numeratur à Peña, & alijs. De quo etiam Decianus, Vgolinus, Toletus, Farinacius, Sanchez, & Palaus.

Quinta; Dico quinto, huiusmodi denunciatio facienda est iuxta præscriptum Edictorum Iudicibus in ipsis designatis, quales sunt in Edicto illo relato Sac. Romanæ Inquisitionis, ipsi Domini Cardinales, à quibus editum est; Commissarius Sancti Officij in Vrbe, & vbiuis locorum Inquisitores, vel locorum Ordinarij, seu eorum Vicarij Generales. In alijs autem Edictis particularibus ex eorum lectura constabit. Hi sũt vt in plurimũ ipsimet Inquisitores, à quibus eduntur. Quia tamen sunt aliquæ personæ exemptæ à iurisdictione Inquisitorum. v.g. Cardinales, Patriarchę, Archiepiscopi, Episcopi, Nuntij, seu Officiales Papę, de quibus Repertorium Inquisitorum verbo Episcopus, Villadiego, Simancas, Suarez, Molina, Palaus, & alij; ideo isti, etsi non teneantur denunciare coram inquisitoribus specialibus, quia non subduntur ibis, tenentur tamen id facere coram Papa, vel S. Conoregatione Romana S. Inquisitionis, quibus subduntur, Casu etiam quod illi denũtiãdi essent, similiter denuntiari debent corã Papa, vel S. Congregatione Romana prędicta, cui subsunt; imo etiam coram Inquisitoribus specialibus, quia illi saltem possunt accipere depositionem testium, & Romam transmittere; quin etiam ex benigna interpretatione mentis Papæ, in casu vrgentissimę necessitatis, exemptum capere, si timetur eius fuga, & quod aliquod pernicioſissimum damnum Ecclesię immineret. Sic ferme Palaus, ex Peña, Molina, Simancas, & alijs.

De termino Edictorum. Circa terminum ponì solitum in huiusmodi Edictis pro denunciatione facienda, videnda quę diximus eo verbo Denunciatio, & denunciare n. 8.

Quęstio Sexta

An libri hæreticorum legi, aut retineri possint.

Concluſ. REspondeo negatiuè cum Vvaldensi nostro tom 1. Doctrin fidei in princ. doctrin. 6. propter multiplicẽ prohibitionem talium librorum. Primo enim, antiquiora Cõcilia, & Imperatores eos prohibuerunt, & igni cremandos tradiderunt, vt latè afferunt Simancas, Bellarminus, Suarez, Cardin. Lugo, & alij. Secundo, in Bulla Cœnę casu 1. clarè, & expręsse id prohibetur illis verbis *Excommunicamus, & anathematyzamus &c. eorum* (scilicet hęreticorum) *libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes, sine authoritate nostra, & Sedis Apostolicæ, scienter legentes, aut retinentes, imprimẽtes, seu quomodolibet defendentes, ex quauis causa, publice, vel occulte, quouis ingenio, vel colore.* De qua prohibitione latè egimus *to* 4. quęst. Regular. verbo libri, num. 18. & sequentibus. De ipsa etiam præter authores ibi relatos, recentiores, scilicet Granadus, Quiedo, Hurtadus, Palaus, Baldellus, Cardinal Lugo, Leandrus à Sacramento, & nouissime Vericelli de missionibus quæst. 195. Tertio, per Pium 4. in Bulla, quę vocatur *Indicit*, & est in 2. to. Bullar. inter Constitutiones ipsius n. 77. vbi hęc: *Qui hæreticorum libros, vel cuiusuis authoris scripta, propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita, legerit, habuerit ue, ipso iure in excommunicationis pœnam incidat: eamque ob causam in eum, tanquam de hæresi suspectum inquiri, & procedi liceat, præter alias pœnas super hoc ab Apostolica Sede, Sacrisque Canonibus institutas.* De qua etiam prohibitione diximus eo verbo libri num. 16. & 17. & præter authores ibi relatos agunt recentiores supra adducta. Quarto, per Paulum Quintum in Bulla, quæ extat in principio Expurgatorij Hispanici, vbi degentes in illis Regnis, prædictos libros legentes, aut tenentes, seu imprimentes, vel venales habentes, incidunt in excommunicationem latæ sententiæ Papę etiam reseruatæ. Tenentur etiam eos libros Officio Inquisitionis tradere, & notificare delinquentes. Nota tamen nostrum Vrbanum ab Ascensione in Theologia morali Tractatu primo, cap. 23. dicere in Gallijs non extare aliquã prohibitionem iure positiuo legendi libros hæreticorum; quod mirabile est, posita ea, quę singulis annis legitur Romę in Bulla Cœnæ. Vide dicta To. 4. meæ Summæ verbo libri à num. 15.

Suar

Sunt etiam prædicti legentes, vel retinentes libros hæreticorum, suspecti de hæresi, prout communiter tenent DD. & colligitur ex Bulla *Indicis* relata. Sunt autem de hæresi suspecti, leuiter, vel vehementer, iuxta personarum, & facti qualitatem, vt tenent Merolla, Sousa, Azorius, Zechius, Paramus, Zanchinus, & alii, quos citat, & sequitur Diana par. 4. Tract. 7. resolut. 3. Idem dicendum de defendentibus, asportantibus, vendentibus, & emẽtibus, tales libros, sicut ex Peña, Farinacius, Menochio, & aliis affert etiam, & sequitur Palaus.

Dubium. Est tamen dubium an lex ista non legendi, nec retinendi &c. libros hæreticorum, comprehendat generaliter omnes fideles, an verò sint aliqui ab ea exempti. Respondeo, non constare, quod aliqui sint ab ea exempti, sed potius videri, omnes generaliter esse in ea comprehensos. Ratio est, quia etsi olim Episcopis licuisset libros hæreticorum legere, vt patet ex Cõcil. Carthaginensi 4 can. 16. & Hormisda Papa epistola 56. ad Possessorem Episcopum; postmodum tamen reuocata est hæc facultas omnibus, etiam Episcopis, & Cardinalibus in Bullis Iulii Tertii, Pauli Quarti, & Pii Quarti, quas refert Peña in fine Director Inquisit. Et esto, quod in hac reuocatione non comprehenderentur Inquisitores, vt asserunt Peña, Vgolinus, Azor, Graffius, Farinacius, & alii (quod tamen magis probabiliter negant Sãchez, Suarez, Sanctarellus, Barbosa, Ricciullus, Leandrus, & Carena de offic. Sacræ Inquisitionis par. secunda titulo decimo, §. 1. num. 13.) nihilominus comprehenduntur in Bullis Gregorii Decimiquinti, & Vrbani Octaui, quas retuli Tom. 1. Quæst. Regularium cap. 8. num. 96. Ibi enim generalissimè reuocantur omnes facultates prædictæ quibuslibet personis concessæ. Imo, cum hæc reuocatio valde generalis sit, videtur etiam in ea comprehendi concessionem Pauli Quinti in Bulla, quæ habetur in principio Indicis Expurgatorii Hispanici pro Inquisitoribus Hispaniæ, vt videlicet, solus Inquisitor Generalis possit legere hæreticorum libros, & ij, quibus ipse commiserit. Audio tamen à viro quodam egregio eiusdem Inquisitionis, ipsos Inquisitores, imo & Fiscales, hac facultate vti: & ita credibile est, vt Cardinalis Lugo ait, quod habuerint declarationem circa hoc à Papa: alioquin de tali priuilegio non constat, vt supponunt Hurtadus, & ipse Lugo. Quod attinet vero ad Regulares, non habere priuilegium aliquod, id constat ex dictis eo num. 96. quod & sequitur Carena supra num. 11.

Dubium. Si quæras, an soli infideles comprehendantur dicta lege. Respondeo, etiam cõprehendi infideles baptizatos, scilicet hæreticos, vt benè Suarez; quia etiam ipsi sunt subditi Ecclesiæ, etsi rebelles. Infideles autem non baptizatos, vtputa Iudæos non comprehendi, quia non subduntur Ecclesiæ, nec sunt capaces excommunicationis. Aliunde tamen Iudæis subditis Principibus Christianis prohibiti sunt libri hæreticorum, & nostram Religionẽ impugnantium; ex Constitutione Iulii 3 & alia Gregorii Decimitertij, sub pœnis arbitrio Inquisitorum imponendis. Peña Farinacius, Simancas, Palaus, & alij.

Est aliud dubium, quis possit concedere hanc facultatem legendi libros hæreticorum. Respondeo, iuxta dicta To m. 4. Summæ Quæstionum Regularium loco relato, nullum nisi Papam, posse eam concedere. (Nomine autem Papæ etiam intelligo Cõgregationem Sancti Officij, quę coram ipso fit, prout habetur in Bullis Gregorij Decimiquinti, & Vrbani relatis, & ex declararione eiusdem Sacræ Congtegationis apud Carenam supra num. 11. Imo, & Reuerendiss. Mag. Sac. Palatij pro residentibns in Vrbe.) Sic enim docet cõmunis praxis, & stylus Curiæ, & ex DD. specialiter Nauarrus, Azor, Duardus, Farinacius, Sanchez, Suarez, Fagundez, Lugo, & Verricelli supra sect. 12. Et ratio est, quia loquẽdo de hac prohibitione in terminis Bullæ Cœnæ, id est, de libris hæreticorum hæresim continentibus, vel de Religione tractantibus, id patet ex ipsa illis verbis *sine authoritate nostra, & Sedis Apostolicæ*. Similiter de quibuscunque aliis libris prohibitis ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, id etiam patet ex Bullis Gregorij. & Vrbani relatis; vbi cõcessio talis facultatis solum tribuitur Cõgregation. S. Officii. Excipiunt tamen Sãchez, Fagundus, Granadus, Lugo, Quiedo, Leandrus, & Verricelli casum vrgentissimę necessitatis ad tales libros legendos; quia in illo posset Episcopus eam facultatem concedere; sicut, propter necessitatem vrgentẽ. Idem dico de Collegio DD. Cardinalium tempore Sedis vacantis. Quia licet ipsi non possint eo tempore aliquid de Papę authoritate sibi assumere; vrgente tamen grauissima necessitate hoc possunt facere, cap. vbi *vbi periculum de elect. Clement. ne Romani de elect.* Suarez Sanchez, Palaus, Lugo.

Aliud.

Quęstio septima.

Quas poenas incurrant hæretici.

Prima suppositio.

SVppono primo, per hæresim mere internam, quę nullo modo externè manifestatur, nullam incurri pœnam Ecclesiasticam. Sic enim statuunt quamplurimi DD. quibus adhæret ex nostris Vrbanus ab Ascensione in Theologia mor. tractat. 1. c. 22. contra alios oppositum sentientes, de quibus recentiores. Fundamentum est: tum quia cum Ecclesia sit visibilis, & sensibilis, solum super ea, quę cadunt sub sensu habet iurisdictionem: tum quia solum potest punire ea, de quibus potest iudicare; de actu porro mere interno Ecclesia iudicare non potest, sed solus Deus, & ita solus ipse eum punire. Notandum tamen, ad hoc quod hæresis dicatur externè manifestata, sufficere quod id fiat per actum occultissimum, & solum ipsi peccanti notum. Quia talis actus reuera est externus, & ex se sensibilis, & solum per accidens ex defectu testium non cognoscibilis: est ergo verè punibilis ab Ecclesia. Aragon, Bañez, Valentia, Sanchez, Suarez, Vrbanus relatus, & alij communiter. Requiritur autem quod signum manifestatiuum sit satis expressiuum hæresis internæ, siue ex natura sua, siue ex hominum institutione, siue ex circunstantijs. Azor, Sanchez, Suarez, Turrianus, Saa, Palaus, & alij.

Secunda.

Suppono etiam secundo, quod neque per hæresim mere externam, eam videlicet, quæ non oritur ex iudicio interno fidei contrario, sed aliunde, scilicet ex metu alicuius mali (prout contingit in illis qui solum exterius negant fidem apud Turcas, vel alios infideles) incurri pœnas positas ab Ecclesia contra hęreticos. Ratio, quia, quemadmodũ fides cõsistit in assensu interiori ob diuinum testimoniũ, ita hæresis consistit in dissensu interiori contrario eidem diuino testimonio: ergo qui non habet istum dissensum non est hæreticus: acper consequens nec incurret pœnas hæreticorum; cum illæ solum sint impositæ contra hæreticos, & pœnæ non sint extendendæ vltra delictum contra quod sũt impositæ. Lessius, Suarez, Sanchez, & plures apud ipsum. Nota tamen, quod in externo foro haberi potest & debet pro hæretico; nisi alias ostendere possit contrarium. De quo Simancas, Roxas, Farinacius, & Peña.

Tertia.

Suppono tertio, hæreticos iustè puniri posse ab Ecclesia. Ita enim olim contra Donatistas docuit D. Augustinus epist. 50. & definitum est in Concil. Constantiensi contra Ioannem Hus, & in Bulla Leon. X. contra Lutherum. Ac docent communiter DD. cum S. Th q. 11. ar. 3. & constat ex vsu, & praxi Ecclesiæ, quæ plures, & varias pœnas contra ipsos statuit. Nec obstat quod ipsi non sint membra Ecclesiæ. Primo, quia sufficit quod aliquando talia fuerint, & sua malitia ab ipsa fuerint separati, vt puniri possint ab illa, sicut milites transfugæ puniuntur à Duce exercitus. Secundo, quia, iuxta dicta disput 8. q. 4. secundum quid, scilicet quoad obligationem ortam ex promissione facta in baptismo, membra Ecclesiæ dici possunt, & ab ipsa punibiles.

Cõclusio

His positis, dicendum, plures pœnas tum spirituales, tum temporales, tum etiam corporales, impositas esse hęreticis. Ex spiritualibus prima est excommunicatio latę sententiæ; secunda, infamia iuris; tertia, irregularitas; quarta, priuatio omnium officiorum, & beneficiorum, & inhabilitas ad illa. Ex temporalibus, istæ recensentur, confiscatio bonorum; secunda, priuatio officiorum laicalium; incapacitas testandi; priuatio successionis ex testamento; exemptio filiorum à patria potestate; priuatio dominij in seruos; amissio cuiuslibet iuris, & obligationis; amissio etiam securitatis ei promissæ à priuata aliqua persona; & combustio domus vbi conuenticula fecerunt. Ex corporalibus autem istæ numerantur. Pœna carceris, fustigationis, exilij, triremis, portãdi saccum benedictum, & vltimi supplicij. De aliquibus istarum diximus to. 3. quæst. regular. verbo hæresis, & hæreticus num. 3. Et de illis & alijs, præter authores ibi relatos, Palaus, qui latissime, Amicus, Lugo, Carena, Vrbanus relatus, & alij moderni. Quæ omittimus, quia eorum consideratio potius ad forum externum, quam ad internum animę spectant.

Aliorum pœnæ.

Sunt etiam pœnæ ab Ecclesia impositę pro illis, qui vocantur *credentes*, *receptores*, *seu receptatores*, *fautores*, *& defensores* hæreticorum, de quibus eo verbo hæresis, & hæreticus, num. 7. 8. 9. & 10. diximus, & agunt authores tam ibi quam hic supra relati. Ad quos rem remittimus, quia non est valde Theologica, & potius spectans ad forum externum, quam ad internum. De pœnis autem sulpectorum de hæresi, & quinam sint taliter suspecti, agimus etiam ibi n. 3. 4. 5. & 11.

Earũ absolutio.

Circa absolutionem harum pœnarum, seu dispensationem in ipsis, videnda quæ diximus eo etiam loco n. 12. 13. & 14. & verbo irregularitas n. 61. & sequentibus, ac quæ authores relati. Maximè vero circa absolutionem ab hęresi virtute Iubilęi,

aut alterius similis Indulti, quod videlicet dari non possit, nisi in eis exprimatur casus hæresis, præter dicta eo tomo verbo Iubilæum num.17. notandum, authenticũ decretum SS D.N. Alexandri VII. qui nouissimè ad instantiam grauissimi Dom. D. Francisci de Cabrera Inquisitoris supremæ, & Generalis Inquisitionis Hispaniæ, quod affert P. Diana 12. p. in Resolutionibus Miscellaneis pag. 105. & ego etiam vidi in manibus eiusdem Dom. Inquisitoris In eo enim sic habetur. *SS D.N. D. Alexander VII. prædictus, inhærendo declarationibus alias à prædecessoribus suis factis, ad remouendum omnem dubitandi occasionem, & ne circa id in posterum vllo tempore hæsitari contingat, cum crimen hæresi cæteris grauissimum, speciali nota dignum sit, decreuit, facultatem absoluendi ab hæresi in Iubilæis, vel alijs similibus concessionibus non censeri comprehensam, nisi expressis verbis concedatur facultas absoluendi ab hæresi.* Quæ porro sint istæ declarationes Pontificum prædecessorum, quę in hoc decreto afferuntur, dicendum, esse vnam Innocentij X. quę in petitione eiusdem Dom. Inquisitoris citatur, & alias Pij V. & Gregorij XIII. quas citat ibidem idem Diana. Quibus animaduersis, simul cum aliis quæ afferunt Palaus, Lugo, & Verricelli de Missionibus, q 147. non videtur iam in praxi probabilis sententia contraria.

DISPVTATIO XI.

De blasphemia.

Quæstio prima.

Quid, & quotuplex sit blasphemia.

1. cõcilul. DIco primo, *Blasphemia*, quæ græcè, idem est quod latinè *maledictio*, seu execratio bonitatis alicuius, bene, succinctè, & clarè definitur, omissis variis definitionibus ipsius, est *locutio falsa contra Deum per modum conuitij*. Sic colligitur ex D.Th. q.13. ar.1. Bañez, Valentia, Suarez, Sairo, Sanchez, Turriano, Sanctarello, Caspensi, Carena, & aliis, ac de nostris Ioanne Beetz in præcep.Decalog.præcep.2. expos 3. c.1. & Vrbano ab Ascensione in Theolog.mor.tract.1. c.30. Dicitur autem *locutio*, quia est quædam maledictio, & execratio, vt diximus; execrare enim, & maledicere est loqui. Dicitur *falsa*, quia per illam semper dicitur aliquid falsum de Deo, vel affirmando id quod in eo non est, vt si dicatur, *Deus est iniustus*; vel negando id quod est, vt si dicatur, *Deus non est omnipotens*: vel alio modo, vt explicabitur inferius. Dicitur etiam *contra Deum*, quia qui blasphemat derogat diuino honori. Tandem dicitur *per modum conuitij*, seu improperij quod idem est, (siquidem de latronibus cum Christo crucifixis dicitur Math.27 *improperabãt ei*, & Marc 15. *conuitiabãtur*) propter eandem rationem, quia videlicet blasphemia est diminutio, & derogatie honoris diuini; imo est quædam sacrilega infamatio, & contumelia ipsius, vt bene Suarez, Sanctarellus, & Caspensis. Si autem quæras, an ad blasphemiam requiratur expressa, & formalis voluntas derogandi honori diuino. Respondeo negatiuè; tum quia generaliter loquendo ad malitiam actus non requiritur voluntas expressa, & formalis, sed sufficit indirecta, & virtualis; sicut dixi to. 2. Tract. 4. disp.3. q. 10. tum quia alias peccatũ blasphemię raro cõmitteretur. quia raro homines blasphemant cum hac voluntate: tũ quia sicut in humanis eo ipso quod aliquis profert verba contumelioſa, vel infamatoria in aliquem hominem, etiam si directe non intendat eum infamare, aut derogare ipsius honori, dicitur verè infamator, & contumelioſus, sic in ordine ad Deum.

Sunt tamen aliquę obiectiones contra dicta, ex quarum solutione magis innotescet natura blasphemię. Prima est, quia blasphemia etiam potest reperiri in factis, aut signis, vt si quis Imagines, aut res Sacras conculcet: non ergo semper consistit in locutione. Secunda, quia etiam potest inueniri in actibus intellectus, v. g. in dęmonibus, aut animabus damnatis, vt colligitur ex D.Th. ar. 4. huius quęst. 13. ergo non solum est locutio. Tertia, quia non semper blasphemia est locutio falsa; tum quia referre verbis obscęnis vera aliqua membra Christi, vel Sanctorum, scilicet verenda, communiter habetur, & punitur pro blasphemia; tum quia esto quod blasphemia, quę dicitur verbis enunciatiuis, v. g. *Deus est iniustus*, Deus *non est bonus* includat falsitatem, ea tamen quę dicitur verbis optatiuis, vel imprecatiuis, v. g *ad despectum* Dei, *maledictus sit Deus*, *veniat malum* Deo &c. non includit illam, quia falsitas solum est in enunciatiuis. Quarta, quia etiam datur blasphemia cõtra Sanctos, vt si quis diceret Beatissimam Virginem fuisse peccatricem, aut S. Petrũ non fuisse Apostolum: ergo diminuta est definitio blasphemię cum dicitur esse locutionem falsam *contra Deum*. Obiectiones.

Ad

Solutio primæ. Ad primam, quamuis Castrus, & Corduba admittant antecedens, eo quod etiam factis, & signis possit Deus inhonorari probabilius tamen negatur à Nauarro, Lessio, Suarez, Sanchez, Sãctarello, Caspensi, imo à D. Th. d. quæst. 13. ar. 1. Alẽsi, & alijs. Tum quia blasphemia communiter appellatur vitiũ *linguæ*, & græcè dr *nocens dictum*, seu male dictio; tũ quia opponitur laudi diuinę, quę propriè est in ore; iuxta illud Psalm. 33. *semper laus eius in ore meo*; tum quia alias idololatria, hariolatio, & similia peccata essent blasphemia, eo quod etiam illis inhonoretur Deus: quod esset confundere rerum naturas. Dicendum ergo falsum esse antecedẽs si propriè, & in rigore loquamur, si autem impropriè, & metaphoricè nihil de hoc curandum.

Secundæ. Ad secundam dico, nomine *locutionis*, quę ponitur in definitione blasphæmię intelligi omnem productionem verbi, sine sit interna, qualis est intellectio, prout in Angelis, & animabus etiam dãnatis, sine externa, qualis est ea, quę est inter homines, siue etiam scripta. Nam quod attinet ad blasphemiam internam, quæ à D. Th. eo art. 1. & 4. vocatur *cordis blasphemia*, colligitur ab ipso ex eo Apocalyps. 16. *blasphemauerunt nomen Domini*, adiuncta Glossa: de blasphemia externa id est certissimum, & habetur ex Apocalyps. 13. *datum est ei os loquens blasphemias*; ac denique de blasphemia scripta ex Paralip. 32. vbi de Senacherib dicitur, *Epistolas scripsit plenas blasphemia*. Quorum omnium ratio est, quia cum blasphemia sit derogatio honoris diuini, vbicunque hoc reperitur ibi erit ratio blasphemię; & cum reperiri possit tam in ore, quam in scriptura, quam etiam in mente, ideo ibi erit blasphemia. Suarez, Sanchez, Serra, & alij.

Tertiæ. Ad tertiam, quamuis Suarez, Turrianus, Sanctarellus, & alij velint solum blasphemiam hęreticalem continere falsitatem, non vero alias non hęreticales: nihilominus communis sententia est in contrarium. Fauet ipsi S. Th. ar. 1. relato, & eam tenent Caietanus, Bañez, Aragon, Valentia, Toletus, Simancas, Petrus Ledes. Sanch. Candid. Granad. Caspen. Carena, & alii. Et ratio est, quia, vt diximus, blasphemia importat cõtumeliam, & sacrilegam infamationem Deitinihil autem, quod sit verũ põt Deo esse contumeliosũ. Vnde ad obiectionem nego antecedens; & ad primam probationem dico, illam locutionem, per quam verbis obscęnis denotarentur verenda Christi, aut Sanctorum, esto ex parte rei significatę verum contineat, quia vere in illis sunt talia mẽbra, nihilominus, quia eo ipso, quod verbis irrisorijs, & igominiosis denotatur, modo illo loquendi significatur talia mẽbra vituperabilia, & contẽptibili a esse, ideo continent falsitatem in actus exercito, quia per modum iniurię de illi dicũtur ea quę iniuriosa non sunt. Sic ferme post Caietanum, Valentia, Sanchez, Granadus, Caspensis, Carena, & alij. Ad secundã verò dico, quod licet in talibus blasphemijs non sit falsitas enunciatiuè, est tamẽ primo affectiuè, quatenus per illas pronunciatur desiderari aliquid, quod falsum est posse conuenire, aut decere quod conueniat, Deo. Sic etiam post Caietanum alij. Addo ego, ille affectus voluntatis, quo id malum desideratur Deo, præsupponit iudicium, seu existimationem quæ in actu exercito putatur Deum, vel esse capacem talis mali, vel esse dignum ipso, vel decere, quod ipsum patiatur, vel saltẽ expedire blasphemanti, quod conueniat Deo: quę omnia sunt falsa, ac proinde tales blasphemię important falsitatem.

Quartæ. Ad quartam, vera solutio est, duplici ter considerari posse Sanctos, primo, quatenus dicunt specialẽ aliquem respectum sanctitatis ad Deum, quia scilicet specialiter est in illis, relucet in illis, sunt amici Dei &c. Secundo, pręscindendo à tali respectu, quatenus considerantur vt personę quædam insignes. Si considerentur primo modo, contumelię, seu conuitia, quę contra illos proferuntur, sunt verè, & proprie blasphemię, quia illis inhonoratur ipse Deus; sicut è contra glorificatur, quando honorantur Sãcti secundum illum respectum; & ita nomine Dei comprehẽduntur in definitione tradita. Si verò considerentur secundo modo, tales contumeliæ, & conuitia non sunt ita propriè blasphemię, vt dicemus quæst. sequenti, vbi etiam cui virtuti opponantur.

2. Concl. Dico secundo, blasphemia principaliter diuiditur in hæreticalem, & non hæreticalem. Blasphemia hæreticalis est illa, quę continet errorem contra fidẽ; quales sunt illę iã relatę *Deus non est iustus*, *Deus non est bonus*. Non hæreticalis aũt est illa, quę etsi significet errorem contra fidem, vt supdiximus; tñ nõ significat illũ in actu signato enunciatiuè, aut per modũ indicatiui, affirmando, aut negando; sed optando, aut imprecando. Exempla eius sunt omnes imprecationes, seu maledictiones Deo factę, v. g *ad despectum Dei*, *maledictus sit Deus*. &c. Ita communiter DD. specialiter Eimericus, Peña, Bañez, Vgolinus, Ledesma, Suarez, Sanchez, Candidus, & Carena. Apud quos etiam de multis, & variis exemplis huiusmodi blasphemiarum, quæ etiam afferunt Sanctarellus, & Caspensis. Quæ propterea omittimus.

Digitized by Google

Obiectio

Obiici tamen potest, quia tribuere creaturæ aliquid quod proprium est Dei, v.g dicere, *diabolus est omnipotens*; *fatum regit omnia*, est blasphemia, &, tamen non est hæreticalis, quia per illam nihil erroneum affirmatur, vel negatur de Deo; neque non hæreticalis, quia est per modum indicatiui, & enunciatiua: diminuta ergo est talis diuisio. Respondeo tamen has, & similes blasphemias esse hæreticales, vt colligitur ex D.Th. d.q.13. ar.1. ad 3. quia eo ipso, quod illa tribuuntur creaturis continent errorem contra Deum, scilicet non esse proprium & singulare Dei esse omnipotentem, & regere omnia. Videndi Valentia, Sanchez, & Sanctarellus, ac Vrbanus relatus.

Quæstio secunda,

Quod, et quale peccatum sit blasphemia.

Blasphemia.

BLasphemiam esse peccatum res est certissima, sæpiusque in Sacris literis repetita, vbi á Deo cernitur valde detestata, & punita, præsertim Leuit.24. Isai.37. & 4.Reg.19. ac 2. Machab.15 Imo esse mortale peccatum ex suo genere, id est ex suo obiecto, quod est inhonorare Deum, docet S.Th.q 13.relata ar.2. & alii DD.cum ipso. Posse etiam esse veniale ex imperfecta deliberatione ait S. Doctor ad 3. & alij communiter.

Primum dubium.

Dubitatur tamen primo, an etiam possit esse veniale ex leuitate materiæ. Respondendum tamen negatiuè. Ita enim docent communiter DD, specialiter Caietanus, Aragon, Bañez, Valentia, Suarez, Sairus, Siluius, Hurtadus, & Diana eos referens, & sequens par.5. Tract.5. resolut.3, Quibus iunguntur Tannerus, Bonacina, Turrianus, Sanctarellus, Candidus, & Serra. Ratio est, tum à simili de iuramento assertorio, quod nunquam est veniale, etiam propter leuitatem materiæ; tum ex natura ipsa blasphemiæ, quæ semper infert grauem iniuriam Deo, & eius honorem valde diminuit, ac specialiter opponitur diuinitati, & ipsius excellentiæ; eo quod est per modum conuitij, contumeliæ, & infamationis Dei, ac cum voluntate directa, vel indirecta ipsum inhonorandi. Ex quo cessat obiectio, quam contra hoc affert Villalobos, quod videlicet quamuis omnia peccata sint offensa Dei, nihilominus aliqua, illorum sunt leues offensę, scilicet venialia; ergo quamuis blasphemia sit inhonoratio Dei potest nihilominus esse leuis ob materiæ leuitatem. Respondeo enim negando consequentiam; eo quod natura ipsa blasphemiæ portat secum grauitatem in quacunque materia, propter dicta, alia autem peccata non sic.

Limitatio doctr.

Limitant tamen doctrinam traditam Bañez, Aragon, Lopez, Sairus, Sanchez, Sanctarellus, Siluius, Diana, & Granadus, ita videlicet, quod conuitia dicta de Sanctis, non vt Sancti sunt, sed alio respectu, vt si quis per iocum diceret SS. Crispinum, & Crispinianum fuisse sutores; SS. Ioannem, & Paulum Eunuchos; idem dico de dicentibus per iocum S. Eliseum fuisse caluum, vel S. Paulum fuisse Pharisæum, posse esse venialia, ex paruitate materiæ. Id tamen non admittit Lorca, & probabile censet Diana. Et merito id dicunt, si talis iocus cederet in irrisionem, & contemptum horum Sanctorum; secus vero si non cederet.

Dubium secundū.

Dubitatur etiam secundo, cui virtuti opponatur blasphemia. Et, omissis multis, dicendum primo, blasphemia non opponitur secundum se fidei. Ita fere cōmuniter DD specialiter Azor, Valentia, Suarez, Sairus, Sanchez, Ledesma, Vazquez, Becanus, Sanctarellus, & Caspensis. Ratio est quia fides non importat aliud quam assensum intellectus reuelatis à Deo propter diuinum testimonium; at vero blasphemia solum importat locutionem falsam contra Deum per modum cōuitii &c. quę possunt esse sine dissensu reuelatis á Deo: ergo non opponitur secundum se fidei. Confirmatur primo, quia dœmones credunt sua imperfecta fide, Deum esse iustum, & misericordem, & tamen blasphemant de ipso, eum vocantes iniustum, crudelem, &c. ergo blasphemia secundum se non opponitur fidei. Secundo, quia plures blasphemiæ vocantur, & sunt *non hæreticales*: ergo non omnes opponuntur fidei; alias enim omnes essent hæreticales. Tertio, quia potest aliquis proferre blasphemiam contra Deum, appellando eum, v.g. iniustum, aut improuidum ex ira, & appetitu vindictę contra ipsum, sciens, & credens esse iustum; sicut vnus homo potest alium appellare latronem, periurum, &c. ex ira, vel passione, sciens tamen, & credens contrarium: ergo blasphemia nullam habet oppositionem cum fide. Vnde dico secundo, blasphemia secundum se solum opponitur virtuti Religionis. Ita etiam authores relati. Et ratio est, quia, vt dictum manet in superioribus, blasphemia est contumelia, & infamatio sacrilega contra Dei honorem: ergo solum habet oppositionem illi virtuti cuius proprium est tueri honorem Dei; hęc autem est Religio;

ergo

ergo solum opponitur secundum se Religioni. Confirmatur primo, quia inhonorans Deus factis, v.g. irreuerenter tractãs Imagines ipsius, aut res ipsi Sacras, secundum se, & ex vi talis actus solum committeret peccatum oppositum Religioni; ergo inhonorans ipsum verbis, prout facit blasphemus, secundum se, & ex vi eius actus solum committeret peccatum contra Religionem. Secundo, quia blasphemia, cum sit quoddam conuitium, & contumelia contra Deum, solum opponitur actui illi, quo ipsum laudamus, benedimus, & glorificamus: sed hic secundum se solum pertinet ad Religionem, ergo, & blasphemia.

Obiectio

Solum obstare videtur contra hoc doctrina S. Th. qui in hac quæst. 13. sæpius affirmat blasphemiam pertinere ad infidelitatem, vel opponi confessioni externę fidei; vt propterea id teneant Siluester, Castrus, Armilla, Nauarrus, & alij.

Respondetur tamen primo cum Caietano, Sanchez, & Sanctarello, blasphemiã dici pertinere ad infidelitatem, non quia sit infidelitas, sed quia est illi valde similis: sicut enim infidelis sentit de Deo falsum, sic blasphemus loquitur de ipso falsum. Deinde secundo, cum Bañez, Ledesma, Sanchez, & Ludouico Turriano, blasphemiam opponi confessioni externæ fidei; non quatenus confessio hæc importat assertionem fidei, sed quatenus est quędam laus diuina, & honor Dei, eo quod blasphemia est quædam contumelia, & inhonoratio Dei. Vel tertio, cum Azorio, Suarez, (qui id putat probabile) Tannero, Sanctarello, & Caspensi, quod S. Th. solum loquatur de blasphemia hæreticali; hæc enim opponitur confessioni externæ fidei, quia sicut per istam homo verbo confitetur fidem, sic econtra per illam verbo negat illam, siue in actu signato, siue in actu exercito, vt dictum manet.

Dubij solutio.

Ex dictis autem infertur solutio alterius dubij, quo quæritur an blasphemia sit grauissimum omnium peccatorum. Vel enim loquimur de blasphemia solum secundum suam naturam considerata, vel vt coniuncta cum malitia odij Dei, à qua imperari potest: si primo modo, cum vt sic solum opponatur virtuti Religionis, vt dictum est, & illa minus excellens sit quã virtutes Theologales, vtique grauiora peccata erunt odium Dei, desperatio, & infidelitas, quia sunt opposita excellentioribus virtutibus. Poterit tamen dici grauius peccatum, quam alia, quæ opponuntur virtutibus moralibus, eo quod Religio cui opponitur blasphemia excellentior sit illis, & ipsa blasphemia directe opponatur infinitæ excellentiæ diuinitatis, eamque, quantum est ex parte sua, infamet, & inhonoret. Ad quod intentum deseruit illud, quod D. Thom. in hac quæst. 13. ar. 3. in argum. sed contra affert ex Glossa, *Omne peccatum blasphemiæ comparatum leuius est*. An vero blasphemia sit grauius peccatum periurio, & alijs, quę sunt contra Religionem decidi nunc non potest nisi cum explicetur ipsorum natura de quo maxime tom. 4. Si vero loquamur de blasphemia secundo modo sumpta vt sic iuxta naturam actus imperantis illam habebit maiorem, vel minorem grauitatem. De hoc puncto Caietanus, Bañez, Sotus, Valentia, Suarez, Graffius, Saa, Sanctarellus, & alii circa d. artic. 3. S. Th. ac ex nostris Vrbanus ab Ascensione in Theol. mor. tract. 1. cap. 30.

Alterius.

Similiter ex dictis patet solutio alterius dubij quo queritur an omnes blasphemiæ sint eiusdem speciei. Dicendum enim est, blasphemias illas, quæ præter malitiam blasphemiæ continent aliam, v.g. odij Dei, vel infidelitatis (prout sunt omnes hæreticales) proculdubio esse diuersæ speciei ratione illius malitiæ illis adiunctę; ac per consequens in confessione explicandas, propter illam malitiam, quæ variat earum speciem. De aliis vero blasphemijs, quę solum continent malitiam blasphemiæ, quamuis aliqui, quos sequitur Hurtadus, dicant etiam differre specie; communius tamẽ est contrarium, prout tenent Caietanus, Aragonius, Bañez, Valentia, Ledesma, quos refert, & sequitur Sanchez. Iunge Candidum, Sanctarellum, & Caspensem. Eo quod omnes conueniant in vna ratione formali, quæ est inhonorare Deum per modum conuitij, & contumeliæ. Quamuis hoc competat eisdem magis, vel minus, intra eandem tamen speciem: & illæ, quæ notabiliter excedunt alias in hoc debeant declarari in confessione, iuxta veriorem sententiam, quæ adstruit non solum circunstantias specie diuersas, sed etiam notabiliter aggrauantes esse confitendas.

Dubium.

Est tamen dubium, an hæc doctrina intelligenda sit non solum de blasphemiis contra Deum, sed etiam contra Sanctos. Ad quod dicendum, proportionaliter loquendo idem dici debere de illis: eis videlicet quæ sunt contra Sanctos, quatenus iuxta dicta quæstione præcedenti in solutione ad 4. obiectionem dicunt, specialem aliquem respectum sanctitatis ad Deum, non quatenus ab illo præscindunt. Ratio est, quia quemadmodum diligere Deum in se ipso, & proximum propter ipsum Deum pertinent ad eandem virtutem charitatis; & colere Deum in se ipso, &

in sua

in sua imagine, spectant ad eandem virtutem Religionis; idem dico de iuramento per Deum, & per Sanctos: propter similem respectum, iuxta dicenda suis locis; sic etiam blasphemia dehonoratiua Dei, & Sanctorum pertinebit ad irreligiositatem eiusdem speciei, propter eandem rationem. Sic ferme Caietanus, Aragonius, Bañez, Azor, Valentia, Sairus, & Sanchez, quos refert, & sequitur Sanctarellus: quibus etiam adhærent Candidus, & Bonacina. Nihilominus in confessione manifestari debet an blasphemia fuerit contra Deum, aut contra Sanctos; quia quamuis sint eiusdem speciei tales blasphemiæ, nihilominus notabiliter grauior apparet ea, quæ est directè contra Deum, quam ea, quæ est contra Sanctos. Ita etiam Caietanus, Sairus, Sanchez, & Candidus.

De blasphemiis contra Deum

Quod verò blasphemiæ, quæ sunt contra Deum specie differant ab illis, quæ sunt contra Sanctos, non quatenus considerantur secundum illum specialem respectum, quem diximus, sed prout sunt insignes personæ, clarè videtur probari, quia illæ sunt contra Religionem, per quam cultum Deo tribuimus; istæ verò contra Duliam, vel Hyperduliam, per quam Sanctis. Sic Turrianus, Tannerus, Caspensis, & fauent Sanctarellus, & Candidus. Est etiam alia huius rei ratio, quia videlicet blasphemiæ contra Deum sunt propriè tales; blasphemiæ verò contra Sanctos in ista consideratione, de qua loquimur, non sunt propriè tales, sed solum aliquo modo, scilicet materialiter; eo quod Sancti propter coniunctam sanctitatem sunt plus honorandi, etiam in naturalibus, vt bene Sanchez.

De pœnis

Agunt authores relati, præsertim Suarez, Sairus, Sanctarellus, & Carena de pœnis blasphemantium, quæ omittimus, quia potius ad forense iudicium, quam ad Theologum spectant. Solum notatu dignum, quod blasphemiæ hæreticales iudicantur à Dominis Inquisitoribus priuatiuè ad alios: non hæreticales autem communiter censentur mixti fori. Etsi in hoc animaduertenda Constitutio Iulij Tertij delegantis cognitionem omnium blasphemiarum Inquisitoribus Generalibus Vrbis, quam refert Carena.

Quæstio tertia.

De blasphemia in Spiritum Sanctum.

Blasphemia in Spirit. S.

QVæ sit blasphemia in Spiritum Sanctum, arduum existimauit Diu. Augustin. sermone vndecimo de verb Domini, vt nullam maiorem esse dicat in Sacra Scriptura. Nihilominus, omissis variis expositionibus, ex quibus 18. affert Toletus in Luc. 12. dicendum, quod blasphemia in Spiritum Sanctum est calumnia malitiosa, qua quis calumniatur opera manifestè diuina, & miraculosa facta ab Spiritu Sancto ad salutem hominum, ea tribuendo Spiritui maligno. Ita enim tradunt Athanasius, Basilius, Ambrosius, Patianus, Hieronymus, Chrisostomus, & ex nostris antiquioribus Guido in Quatuor vnum Sup. capit. 12. Mathæi, & ex moderuis, Iansenius, Maldonatus, Toletus, Franciscus Lucas; ac ex Theologis Diu. Thom. hic quæst. 14. art. 1. Bellarminus, Vasquez, Suarez, quos partim referunt, & sequuntur Turrianus, Sanctarellus, & Cornelius. Colligitur clarè ex Math. 12. vbi cum Christus feciſſet illud insigne miraculum sanationis cęci, & muti, ac dęmoniaci, & Pharisęi tribuerent illud Beelzebub Principi dęmoniorum, Christus eos redarguit, & ad hoc intentum agit de blasphemia in Spiritum Sanctum, & dicit esse irremissibilem: quod arguit, blasphemiam in Spiritum Sanctum esse id, quod diximus.

Sentętia scholast. eorum

Hinc etiam Scholastici cum Magistro in 2. dist. 43. & S. Thom. supra art 4. & noster Guido supra, vocant peccatum, seu blasphemiam in Spiritum Sanctum, illud, quod est ex tali malitia, vt per contemptum abijciat ea per quæ homo retrahitur à peccato, sicut Pharisæi faciebant. Et ita numerant sex huiusmodi peccata, scilicet *præsumptionem*, per quam abijcitur diuina iustitia; *desperationem*, per quam diuina misericordia; *impugnationem agnitæ veritatis*, per quam reijcitur veritas cognita; *inuidentiam fraternæ gratiæ*, per quam etiam abijcitur auxilium gratiæ; *impœnitentiam*, per quam reijcitur pœnitentia necessaria ad salutem; & *obstinationem*, per quam tollitur, quod homo retrahatur à peccato. Videndi D. Thom. supra art. 2. Expositores ibidem, & Guido supra.

Aliorum

Hinc etiam alij generaliter ampliant hoc nomen peccati in Spiritum Sanctum ad id,

ad id, quod committitur ex malitia, eo quod cum Spiritus Sanctus procedat per voluntatem, ei appropriatur bonitas, cui opponitur malitia: ſicut etiam peccatum quod committitur ex infirmitate, dicitur peccatum in Patrem, quia Patri appropriatur potentia cui opponitur infirmitas: & peccatum per ignorantiam dicitur peccatum in filium, quia ipſi appropriatur ſapientia, cui opponitur ignorantia.

Quo ſenſu autem blaſphemia, ſeu peccatum in Spiritum Sanctum dicatur à Chriſto irremiſsibile eo loco Math. 12. Marc. 3. ac Luc. 12 videndi Expoſitores ibidem, & Guido relatus. De quo etiam in Tractatu de Pœnitentia.

IESVS MARIA.

TRACTATVS II.

DE SPE.

DISPVTATIO PRIMA

De virtute Spei, & eius obiecto.

Quæstio prima:

Vtrum Spes sit virtus.

Spei acceptiones.

SPES multipliciter sumitur; primò, communissimè pro quacunque expectatione futuri euẽtus, siue boni, siue mali: quo sensu Cicero *lib. 1. ad Atticum* dixit, *spẽ malorum*, & Virgilius: *Hunc ego si potui tantum sperare dolorem*. Sed vt docet D. Augustinus *in Enchirid. cap. 8*: hæc acceptio spei abusiua est, & improprissima; eo quod spes propriè non est nisi bonarum rerum, inquit Augustinus, quod probat auctoritate Lucani, & Grammaticorum. Secundo ergo spes propriè sumitur pro expectatione boni futuri, de qua est illud Iob. 19. *reposita est hæc spes mea in sinu meo*. Deinde tertio, spes sumpta pro expectatione boni futuri, adhuc sumitur dupliciter, vno modo prout est passio appetitus irascibilis conueniens etiam brutis, de qua agit S. Thom. 1. 2 quæst. 40. definiens illam hoc modo: *Spes est motus in bonum futurum arduum, & possibile*. Quam definitionem explicauimus to. præcedenti Tract. 3. disputat. 2. quæst. 2. Secundo, & iuxta præsens institutum, prout est affectio quædam spectans aduoluntatem, per quam tendit in bonum intelligibile possibile, & aliquo modo futurum, consequendum ex auxilio Dei. Quæ sic definitur à Magistro in 3. dist. 26. *Spes est certa expectatio futuræ beatitudinis, ex Dei gratia, & meritis*. Quam definitionem explicat Bachonius, & ex ipso Siluestranus in 3. lect. 78 Agimus ergo in præsenti quæstione, de habitu, seu principio talis affectionis, seu actus.

Durandi sententia

Fuit ergo sententia Durandi asserentis talem habitũ non esse strictè, sed solũ latè virtutem. Primo quidẽ, quia virtus debet esse dispositio perfecti ad optimum, sed spes hoc non habet, ergo. Probatur minor, quià cum sperans non habeat bonum, quod sperat, non est perfectus, ac per consequens spes non erit dispositio perfecti. Rursus cum actus sperandi non sit optimus, quia melior illo est actus charitatis, ideo neq; erit dispositio optimi. Secundò, argui potest, quia si spes esset virtus, maximè, quia esset necessarium illam ponere, vt sit principium actus sperandi à Deo bona futura; sed ad hoc non est necessaria aliqua virtus, ergo: probatur minor, quia circa bonum proprium non ponitur virtus in voluntate, vt docet S. Thom. 1. 2. quæst. 56. artic. 6. eò quod circa illud sit voluntas determinata: hac enim causa

non

Digitized by Google

non ponitur aliqua virtus circa dilectionẽ naturalem ſui. Cum ergo actus ſperandi reſpiciat bonum proprium, dicendum eſt, ad illum non eſſe neceſſariam aliquam virtutem. Quarto, quia etiam ſi ſpes formata dici poſſit virtus, ſpes tamen informis; cum ſit mortua, & imperfecta, virtus ſtrictè, & rigoroſè appellari non poteſt.

Vera ſententia. Nihilominus ſententia vera, & communis Theologorum, cum S. Thom. q. 17. artic. 1. docet, ſpem eſſe propriè ſtrictè, & in rigore virtutem. Probatur primo ex eodem D. Thom.; quia virtus ſtrictè, & in rigore eſt illa, quæ facit bonum habentem, & opus eius reddit bonum, vt dixit Ariſtoteles 2. Ethic. c. 6. ſed Spes hoc habet: ergo eſt virtus ſtrictè, & in rigore. Minor probatur, quia Spes attingit primam regulam bonitatis, ſcilicet Deum, innitendo eius auxilio, quod cum ſit, vt de ſe patet, maximè cõforme rationi, laudabile, & honeſtum, non poteſt non facere bonũ habentem, & opus ipſius reddere bonum. Confirmatur, quia hoc, quod eſt ſperare à Deo aliquod bonum, præſertim ſupernaturale, innitendo ſolum auxilio, & bonitati ipſius Dei (idem dico de alijs actibus pertinentibus ad virtutem ſpei, de quibus dicemus infra quæſt. 9.) eſt certum, & euidens, quod ſit bonum; imo ſtrictè, & rigoroſè bonum, quia eſt maxime laudabile: ergo ſpectat ad aliquam virtutem, quæ habeat eundem modum bonitatis: ſed ſpectat ad ſpem, vt de ſe patet, ergo ſpes erit ſtrictè, & rigoroſè virtus.

Solutio. Ad fundamentũ Durandi reſpondeo cõceſſa mai. nego min. & ad probationem, quod virtus dicitur *diſpoſitio perfecti*, non quia faciat habentem ſimpliciter perfectum, & excludat omnem imperfectionem, cum nulla virtus hoc habeat, ſed quia perficit illũ, & reddit perfectum in determinato genere, ſcilicet in ordine ad obiectum illius virtutis: quod habet Spes, non obſtante quod ſupponat carentiam rei ſperatæ. Vnde, vt rectè docet S. Thom. *qui ſperat eſt imperfectus ſecundum conſiderationem ad id, quod ſperat obtinere, ſed eſt perfectus quantum ad hoc quod iam attingit primam regulam, ſcilicet Deum.* Rurſus dicitur virtus *diſpoſitio ad optimum* eodẽ modo, ſcilicet non quia diſponat ad actũ *optimum*, id eſt perfectiſſimum, & meliorẽ omnibus; alias neque Religio, neque Iuſtitia eſſent virtutes, ſed quia diſponit ad optimum actum, qui poteſt eſſe circa tale obiectum, ſpectata conditione, & ſtatu, in quo eſt talis virtus: & hoc modo Spes eſt *diſpoſitio ad optimum*, quia diſponit ad optimum actum, qui poteſt eſſe in viatore circa obiectum ſupernaturale arduum, & abiens, innitendo auxilio diuino, nempe actum ſperandi, quo certò, & firmiter tendit in illud. Ad ſecundum conceſſa maiori nego minorem, & ad probationem dico, quod licet circa bonum proprium, quando illud eſt proportionatum non ponatur virtus in voluntate, quia ipſa eſt determinata circa illud, vt docet Sanctus Thomas loco in argumẽto adducto, circa bonum vero proprium, improportionatum tamen, & maximè arduum, quale eſt obiectum Spei, v. g. beatitudo, neceſſaria eſt talis virtus. Ad tertium dico, quod quemadmodum, iuxta dicta Tract. 1. diſputat. 6. quæſt. 3. Fides, etiam informis, eſt vera virtus quo ad eſſentiam virtutis, licet non quo ad ſtatum, & perfectionem accidentalem, propter ibidem dicta; ſic de Spe philoſophandum eſt, vt ſcilicet non ſolum Spes formata, ſed etiam Spes informis ſit vera, & ſimpliciter virtus, eo quod habet idem obiectum, eundem actum, eandemq. naturam, & eſſẽtiam, ac cum eſt formata per Charitatem, ſit tamen imperfecta quo ad ſtatum, quia ſcilicet deficit illi magna quædam perfectio, ſibi debita, quam habet quando eſt formata per Charitatem, ſcilicet ordinari in finem Charitatis, & eſſe principium actuum meritoriorum; & propter hanc enim causã vocatur imperfecta, & mortua, quia ſcilicet caret operatione meritoria.

Addendum, Spem non ſolum eſſe virtutem ſtrictè, & ſimpliciter, ſed eſſe virtutem infuſam. Colligitur primo ex definitione Concilii Triden. ſeſſ. 6. cap. 7. illis verbis: *In iuſtificatione hæc omnia ſimul infuſa accipit homo, fidem, ſpem, & charitatem.* Secundo, ex illo 1. Corinth. 13. *nunc autem manent fides, ſpes, charitas.* Vbi loquitur Apoſtolus eodem modo de Spe, ac de Fide, & Charitate, quæ ſunt virtutes infuſæ. Tertio, ex alijs locis S. Scripturæ, in quibus dicitur Spes eſſe donum Dei Pſalm. 18. *Mihi ſpem dediſti.* Ad Rom. 15 *Deus autem ſpei*: & 1. Pet. 1. *Regenerauit nos in ſpem viuam.* Ex quibus locis colligitur Spem eſſe donum aliquod creatum & infuſum à Deo, quod exiſtimo certum, ſecundum fidem. Licet autem quod ſit virtus, vel habitus, non ſit ita certum, erit tamen erroneum, aut ferè erroneum, vel ad minus temerarium id negare, iuxta dicta à ſimili de fide Tract. 1. diſp. 6. quæſt. 1. Vide dicta tom. 1. tract. 4. diſp. 3. quæſt. 3. & dicenda infra quæſt. 5. & 6. & tract. 3. diſp. 1. quæſt. 2.

Additio.

Digitized by Google

Quæstio secunda:
Quodnam sit obiectum virtutis Spei.

Obiectum duplex.

OPponendo sunt varia obiectorum genera, quæ adducimus ioquendo de Fide supra Tract. 2. disp. 1. quæ hic scitetur, ut aliud sit obiectum *materiale*, aliud *formale*; aliud *quod*, aliud *quo*; aliud *primarium*, aliud *secundarium*; aliud *totale*, aliud *partiale*; aliud *quo*, quorum. Aliud *adæquatum*, aliud *inadæquatum*; aliud *proximum*, aliud *remotum*; aliud *primum*, aliud *quod*, quorum. Aliud *adæquatum* est totum adæquatum in proprium ergo folum hoc omnia obiecta Spei sunt adæquata.

Primum obiectum Spei adæquatum.

Et primo certum eſt, obiectum materiale adæquatum Spei, complectendum omnia bona, quæ quoquo modo ſint, ſive perpetuaria, ſive caduca, ſive temporalia, ſive æterna. Ratio eſt, quia illa, omnia ſpectant ad finem; & quia, ut docet S. Aug. in *Enchiria.* c. 114. ea tantū ad Spē pertinent, quæ in Oratione Dominica petuntur: omnia autem ſolum petuntur ibi ea ſignificantia, ut docet *Tertullian. in lib. de Oratione*, &c. ſed omnia illa ſignificantia, & petenda, ſunt ea omnia. *Ergo omnia ſpectant ad Spem.* Et confirmatur: quia omnia ſunt ſperanda, quia ſunt *Objectum materiale*, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 17. a. 1. ad 1. ubi ait: *Ea, in quibus Deum nobis manifestat, ſunt ea omnia, quæ ſperamus.* Et omnia hæc bona, ergo ſunt bona poſſibilia illa Deo. Patet: quia ſola quod quemadmodum poſſint, ſeu certum eſt, fides eſt de propoſitione bona poſſibili, quatenus illa concludunt ad rem aternam, quod ſunt materiale obiectum, ita quæ per Spem deſiderari poſſunt, ſub ratione rationis, ſub Ens, bonum, ſeu, ſub ratione ad bonum æternum, & tantum ſub ea ratione eſt, quia bona temporalia, beatitudo hæc ordine ad æternam, vel ad exercitium virtutum non ſunt bona ſolida, nec ſtabilia, & parui momenti: & poſſunt ſic ſub ratione boni, ſeu ſub ratione ſub obiecti, Spei, ad ſub ita conducere.

Secundo etiam certum, inter obiecta materialia reſpiciunt, & pertinentia ab hominibus ut æternum reſpicuat aut bona, quidquam minus principale, ita, docet S. Thom. ſupra, & alij Theologi. Et quidem beatitudinem eſſe obiectum materiale Spei eſt certum de fide ex dictis Petri ad Iudæos: *Gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei*, ad Titum *ſpem in ſpem vitæ æternæ*, ad Hebr. 6. *Habemus ſpem inuen-*

tam ipſius ad interiora velaminis, ideſt, ad beatitudinem cœleſtem, ut inquit Glo. expoſitiua & S. Thom. addimitur hic in argumento *ad contra*. Eſt autem primarium, & principium obiectum materiale Spei, ipſa beatitudo, quod proprium, & principium obiectum Spei ſit beatitudo, ac proinde ſit beatitudo æterna, quæ hanc beatitudinem ſpectat, & ſolum æterna, quod non dicimus beatitudinem æternæ ſit primum obiectum Spei, hoc indicantes, nomine beatitudinis æternæ intelligitur non beatitudo temporalis, qui eſt ipſe Deus, tum beatitudo formalis, quæ eſt viſio beata, & fruitio Dei, tum æterna includit beatitudo quidem obiectiua materialis, quæ eſt Deus, tum formalis extrinſeca, & obiectiua, & tantum obiectiua materialis, quæ eſt beatitudo, & diuinus influxus.

Rather dubium de obiecto formali Diuino. Spei in eo quod ſit ſua Theologi, ſatis, & ſolide reſpondet, Deum eſſe obiectum formale rationis *adæquatum* primum eiusmodi obiecti formalis Spei, ita docent Durand. Ariaga, Aragon. Bannez, Ioannes a Sancto Thoma, & Aragonius, & ſupra ſatis breuiter demonſtratum eſt Bañez, & Valentia, Vrrſia, Suarez, Ruiz, Granadus, Caſtrenſis, & alij tenent Deum, ſub ratione boni ardui, poſſibilis, eſſe obiectū Spei. Quarto, Vaſquez, Mayritius, Turrianus, Gregorius, Gil, quos ſunt Auctores, & ex noſtris Salmanticenſes, & alij autores citantur, Deum, & Chriſtum eſſe obiectum Spei, ſub ratione boni ardui, poſſibilis, ſed ſub ratione ſolum ita ſtatim illa ſententia aliquo modo reiecta negatur, & non ſatis ſolide, & ſatis explicate videtur.

Ingenuè ergo dicendum eſt, quod ſit formale in formale quod, & formale quo, quod obiectum ſupra Tract. 2. diſp. 1. quæ ſi formale, & quo, ſeu obiectum formale quod, & quo, ſeu obiectum formale quo Fidei, diximus ſupra, quæ ſpei eſt obiectum formale quod, & quo, ſeu obiectum formale quo Spei. In hoc ſenſu teſtimonia authorum ſtandum eſt, quæ ſolum docent Deum eſſe obiectum ſupra probatum ex dictis hoc obiecti formalis Spei, ad ſub ratione boni ardui, poſſibilis, quod per ſe tangit ab habitu, vel potentia, & ita rationi ſub ratione boni ardui obiecti Spei bonitatis generis per ſe tangitur ab ea, ita ratio vitæ, quæ ſperamus, eſt operatur, nil in obiecto, ad beatitudinem æternam, ut aiunt Sanctus Thomas hic ad ſecundum: *propter hoc* tendo *ertus* ad obiectum formale quod Spei. ſecundum, quia ſpes efficaciter eſt amor concupiſcentiæ, & dicendum ſupra, ſed amor concupiſcentiæ non tendit in obiectum per ſe, & totaliter in formale quod boni ardui.

Obiectum formale quod Spei.

desiderantis, ergo Spes solum respicit isto modo bonum desiderantis: sed istud bonum necessario debet esse Deus, alias Spes non esset virtus Theologica: cum ergo Deus sit bonum nostrum ratione beatitudinis, dicendum est, illam esse obiectum formale *quod* Spei. Tertiò, quia, vt docet idem S. Thom. sicut fides respicit Deum, ita Spes respicit beatitudinem aternam, sed Dens comparatur ad fidem, vt obiectum formale *quod*, vt diximus suo loco, ergo beatitudo æterna comparabitur eodē modo ad spē: Nec obstat, quod Beatitudo æterna sit obiectū materiale Spei: dico n. quod quēadmodum Deus est obiectum *materiale* fidei, quatenus est id, quod creditur, & formale *quod*, quatenus de illo creduntur alia, vel ordinantur in illum: ita beatitudo æterna est obiectum materiale Spei, quatens est id, quod speratur; formale verò *quod*, quatenus ad illam diriguntur omnia alia, quæ sperantur.

2. concl. Dico secundo, obiectum formale *quo* spei est auxilium diuinū, seu Deus, vt omnipotens auxiliator. Hæc conclusio est S. Thom. in hac quæst. 17. præsertim articulo primo in corpore, & ad tertium; & articulo secundo etiam in corpore, ac in quæstionibus disputat. q. 1. de Spe ar. 1 & 4. quibus locis tam clarè id docet, vt sine dubio videatur hanc fuisse eius sententiam: quam etiam sequuntur authores quartę sententiæ, superius relatæ.

Probatio nes. Probatur primo ex S. Scriptura vbi satis clarè insinuatur. Psalm. 17. *Deus meus adiutor meus, sperabo in eum*, Psalm 61. *in Deo salutare meum, & gloria mea, Deus auxilij mei, spes mea in Deo est*; vbi tam hæc, quā præcedens cōclusio indicātur. Vnde subditur. *Sperate in eo omnis Congregatio populi, effundite coram illo corda vestra: Deus adiutor in æternum*. Deinde ratione, quia illud est obiectum formale *quo*, seu ratio *sub qua*, alicuius habitus, vel potentiæ, cui innititur habitus, vel potentia ad attingendum alia obiecta, sed Spes nititur auxilio diuino ad sperandum omnia, quæ sperat à Deo, ergo. Probatur minor, tum ex verbis D. Thom. expresse id dicentis ar. 2. in corpore: tum quia medio illo sperat à Deo consequi omnia: tum etiam quia non potest assignari aliud cui innitatur. Confirmatur, quia, vt in simili dicebamus de fide, illud est obiectū formale *quo*, seu *ratio sub qua*, in quod vltimo fit resolutio alicuius potentiæ, vel habitus: sed id, in quod vltimo resoluitur actus nostræ Spei est auxilium diuinum; ergo illud est ratio *sub qua* Spei, minor probatur, quia si quis interrogetur propter quid speret omnia quę sperat à Deo, dicet, propter beatitudinem; & si rursus quæratur, cui innitatur ad sperandum tam ipsam beatitudinem, quam alia bona, dicet inniti auxilio diuino, per quod Deus elargitur omnia ista bona, & ibi sistitur, non procedendo in alia: ergo vltima resolutio Spei fit in auxilium diuinum. Vide alia à simili dicta de obiecto fidei.

Ex dictis autem infertur, quatuor conditiones requiri ad hoc, *quod* aliquid sit obiectum (intellige materiale) Spei, scilicet, quod sit *bonum, futurum, arduum, possibile obtineri ex auxilio diuino*. Hoc admittitur ab omnibus Theologis, specialiter S. Th 1. 2. *quæst.* 40. *art.* 1. Declaraturque sic. Obiectum Spei debet esse bonum, tum propter superius dicta, tum quia Spes est affectus prosecutionis, qui necessario petit terminari ad bonū; tum quia alias non distingueretur à timore qui est de malo futuro: rursus debet esse futurum, vel in se, vel secundum apprehensionem; alias etiam non distingueretur Spes ab amore, qui est affectus circa bonum secundum se abstrahens à præsenti, vel futuro: vel à gaudio, delectatione, vel fruitione, quæ sunt de bono præsenti. in hac autem conditione futuritatis includitur alia, quæ additur ab aliquibus, scilicet, quod obiectum Spei debet esse absens, iuxta illud Pauli *ad Rom. 8. spes quæ videtur non est spes, nam quod videt quis quid speraut?* Rursus debet esse bonum possibile, quia si est, aut reputatur impossibile. potius terminat affectum desperationis, quam Spei. Et quia Spes, vt diximus, innititur auxilio diuino, debet esse istud bonum possibile ex auxilio diuino. Tandem obiectum spei debet esse arduum, vt enim inquit S. Thom. dicto loco ex 1. 2. *Non dicitur aliquis sperare minimum, quod statim est in sua potestate vt habeat, & per hoc differt spes à desiderio, vel cupiditate, quæ est de bono futuro absolutè. Vnde pertinet ad concupiscibilem, Spes autem ad irascibilē.* Et ratio huius est, quia Spes opponitur timori, qui consurgere solet ex difficultate, quæ est in consecutione boni desiderati; & ponitur ad moderandum passionem talis timoris, & ad confortandum, & erigendum hominem vt superet talem difficultatem, quæ est in consecutione talis boni, cui opponitur malum quod timetur. Quemadmodū ergo timor versatur circa malum futurum arduum, ita Spes circa bonum futurum arduum. Vnde infertur, hanc arduitatem se tenere ex parte obiecti materialis; non formalis, vt quidam existimant. Corollar.

Est verò dubiū in quo consistat hūodi arduitas, quę est conditio obiecti Spei. Vasquez, quem alij sequūtur docet consistere in hoc quod speretur aliquod ab alio. Nō rectè tamen, vt bene Tannerus, Grana- Dublum.

dus, Amicus, & alij. Primo, quia etiam homo dicitur sperare à se ipso rem arduã, vt cum medicus sperat se curaturum grauem infirmitatem; aut Chymicus conficere aurum: è contra verò non dicitur propriè sperare, sed tantum desiderare, leuia, & facilia, quæ ab alijs dependent: vt sunt quod amicus accommodet mihi calamum, aut quod mihi vendatur panis tempore abundantis annonæ. Secundò, quia arduitas in aliis affectibus appetitus irascibilis, v.g. timore, & audacia, non cõsistit solum in hoc, quod obiectum illorum pendeat ab alio, sed etiam in natura ipsorum, quia scilicet difficile euitari possunt, vt sunt mors tempore pestis, aut naufragij. Pariter ergo dicendum est arduitatem obiecti Spei consistere præcipuè in natura boni sperati, quod tale sit, quod in eius consecutione reperiantur aliquæ difficultates, quæ illam impedire possunt.

Obiectiones. Sunt tamen aliquæ obiectiones contra 2. concl. Prima est, quia auxilium diuinum est obiectum materiale Spei, quia inter ea quę à Deo speramus vnum est ipsum auxilium: nõ ergo potest esse obiectum formale ipsius Spei. Secundò, quia amor concupiscentię Dei habet pro obiecto formali ipsum Deum vt bonum nostrum; sicut amor amicitiæ Dei, qualis est charitas, habet pro formali obiecto ipsum Deum, vt est bonus in se: sed virtus Spei est talis amor concupiscentię Dei, quia per illam desideramus ipsum vt bonum nostrum: ergo habet pro obiecto formali ipsum Deum vt bonum nostrum: ac per consequens auxilium diuinum non erit tale obiectum formale.

Solution. Respondeo tamen ad primã, quod quẽadmodum, iuxta dicta Tract. 1. disputat. 1. quæst. 3. diuina reuelacio respectu fidei habet rationem obiecti materialis, quatenus est vnum ex credibilibus; & obiecti formalis, etiam *quo*, quatenus est ratio credendi omnia; sic etiam in præsenti, auxilium diuinum potest habere rationem obiecti materialis Spei, quatenus est vnum ex ijs quæ speraretur à Deo; & formalis *quo*, quatenus est ratio sperandi alia. Quæ solutio eo magis tenenda, quod D. Thom. in quæst. disputat. de Spe, artic. 1. comparat Spem cum fide quãtum ad hoc. Ad secundam, primo dici potest tantum probare de obiecto formali *quod* Spei, scilicet beatitudine æterna, quia cum includat Deum, qui est beatitudo nostra obiectiua, dici potest, quod spes respiciat illum vt bonum nostrum. Sed nihilominus dico secundo, concessa maiori, minori, & prima consequentia, negandam esse secundum: quia cum Deus, qui est bonum nostrum, non sit consequibilis à nobis, nisi medio suo auxilio, ideo quatenus est obiectum Spei, seu amoris concupiscentiæ connotat ipsum auxilium, saltem in obliquo, vt benè Salmanticenses, & Amicus: præterea iure optimo ipsum auxilium vocatur à nobis ratio formalis sub qua Spei, quia innititur ipsi vltimò ad sperandum, vt supra diximus.

Dubium. Quia tamen diximus beatitudinem] æternãm esse obiectum, non solum materiale, sed etiam formale *quod* virtutis Spei, & illa includat duo, scilicet ipsum Deum, qui est beatitudo nostra obiectiua, & visionem ipsius, quę (vt supono ex probatis num. 2.) est Beatitudo formalis, ideo cõmuniter quærunt DD. an obiectum immediatum Spei sit ipsa visio Dei, an verò ipse Deus, an potius vtrumque. In qua difficultate, Durandus tenet solam visionem esse obiectum immediatum Spei, Deum autem non nisi mediatum. Alij autem, præsertim Nominales, dicunt, obiectum immediatum Spei esse solum Deũ, visionem verò non esse obiectum, sed conditionem tantum quandam repræsentantem ipsum obiectum. Tertiò ferè omnes alij tenent tam Deum, quã visionẽ ipsius id habere. Hanc sententiam tenẽt Sanct. Thom. artic. secundo huius quæst. 17. Capreolus, Caietanus, Bañez, Aragon, Suarez, Valentia, Tannerus, Coninck, Becanus, Granadus, Caspensis, Amicus, Palaus, & alij, quos retulimus Tomo præcedenti Tractatu primo, disput. quinta, quæst. tertia de fruitione Beatorum; dicentes, eius obiectum immediatum esse tam Deum, quam eius visionem: in omnium enim sententia idem est obiectum materiale Spei in via, ac delectationis, seu fruitionis in Patria. Vnde probari potest eisdem rationibus, quibus eo loco id probauimus de ipsa delectatione, seu fruitione.

Probatio. Specialiter id probatur, quia vniuersaliter loquendo, obiectum immediatum alicuius desiderij non est solum res, quæ desideratur, secundum se, & separatim considerata; neque solum possessio ipsius, etiam præcisè, & separatim sũpta; sed possessio, & res ipsa possessa, coniunctim sumpta: auarus enim non tantum desiderat immediatè aurum secundum se, neque possessionem secundum se; sed possessionem auri, seu aurum possessum: & infirmus non desiderat tantum sanitatem secundum se, aut possessionem secundum se, sed possessionem sanitatis, aut sanitatem vt possessã. Sed Spes nostra est quoddam desiderium beatitudinis, ergo obiectum immediatum illius non est solum Deus aut visio, sed vtrumque. Confirmatur, quia illud est obiectum immediatum Spei, cui competit esse vnum vltimũ finem

ſtorem naturæ humanæ, ſed hoc competit non ſolum Deo, ſed & viribus, ſed vtrique ſolitum Deo vtio, tanquam vnico, & tuo fini: ſed propriè, & per ſe ſolius Dei, & tanquam tuum ſpei, ſuum proprium, quia Deus, & vitis beatis conſpectum hæc ſit ſuus ſpes, & finis quo, id eſt, vt ea de-ſiderata, & per poſſeſſio ſuum, & finis ſuus ſpes, & finis quo, cum nonnate voluntatem motiuum rationis, & non diuerſa vnius ab alio, quia finis ſuo nomine eſt obiectum ſpei, & finis quo, finis ſpei, propriè dictus, & non finis quo nonnati eſt obiectum ſpei, ſed finis quo, finis ſpei, & finis quo, finis ſpei, & finis quo, finis ſpei, &

Caietan. Ioh. hac difficultate, quamuis ex antiquioribus Elucidat. 3. & recentioribus Vasq. Turrian., Conink., Palaus., & Caietanus in partes negetium quam plurimas intelligere videantur. Nihilominus veritas eft, talem adhuc posse, aliquando fieri, ne gentur ad virtutem Spei, ita expresse D. Thom. 22. huius quæst. 19. Cardinalis, Sotus, & alii Thomistæ, quibus Iungitur Soto, Iura., Turrian., Bannes, Granados, & Asorius. Probatur primo ex locis Patrū adductis: Deinde expendendo verba illa Ciprianī, & Aug. ex quibus Caietanus nos fallere nititur, non poſſe deliberate ab eius ſpem ſperare virtutem Spei ab ipſa deſtitutam. Secundo ex D. Thom. qui per virtutem Charitatis poſſumus diligere nos, & proximos, ergo per virtutem Spei poſſumus ſperare nos ipſos, & proximos: patet conſequentia, & patuit ex dictis. Tertiò, quia alias non poſſet dari in hac hominibus aperta hæreſium, & poſſibilium futurarum, & inducendi in errorem damna, eſt adhuc certum eſtentia, ſed non ut actus ſui ſpei, quia tunc eſſet actus ſperandi ſine illa obiecti illa conditione, & mentalem, nisi ſola ſpes cognitiones eſſet virtutum Spei, ut per conſequens per illam poſſemus ſperare hæreſim illam. Quarto, quia poſſemus percutere deſperando de alieno ſalutio: ergo etiam poſſumus ſperare de virtutem Spei eorum ſalutem. Patet conſequentia, quia conſtituerunt eadem ratio ratio. Denique quatto, argumentis quod aſſert S. Th. ex tertio, quia ſicut, quod ſumus eorum ſpei ſalute alienum ſuper ea nos ſperare, ita quod. *Omne peccatum eſt voluntarium*: ſed, ut ait idem D. Th. ar. *Peccatum eſt voluntarium*: ergo omne peccatum eſtam illis ſperare ſalutem.

Replicatio. Quarto, quia poſſemus ſperare alienum ſalutem, quia non teſtificat ſpes ſecundum, & ſi poteſt ad alias virtutes pertinere, tunc, a diuerſitatem virtutum, non poſſet virtus teſtificari eſſe ſpes, nec hoc Chriſtian, quod eſt bonum. Deinde quia ſi, ut ponitur, ad Charitatem, & relatione ex complacentia, ut bonum eſt, ſed deliberatum hoc eſt ſtudium, quia ſi, ut ponitur, ſed non ſolum ſpes ſperandi eſtem ab illis diſtincta. Deinde dicitur tota alius ex modus eſſendi diuini, peccabilitas ſpem bonitatem in poſſibilem, futurum, & ordinem, non tale adhuc poſſibilem ad ſpem, qui indoit omnes conditiones ad illum requiſitas, tam ex parte obiecti materialis, quam formalis.

Solutio argumen. Ad primum ergo argumentum, & ſecundum reſpondetur negando conſequentiam ad diſtinctum S. Th. ſupra, dicendo eſſentialem poſſe illam eſſe virtutem, aut deficiente hoc actu illum primo, & conditum ſe. Eſſentialis eſt enim ſpes, per quem eſt ſtipendum quo ipſum animam, dire ſupernaturalem, hoc eſt ſtatum, ſeu habitum ſpei, quo ſtatim anima conſequitur ſperare, & non; hoc. Si conſideretur primo modo, non poſſumus illi deſperare ſalutem ſperandi per virtutem Spei, eo quod ſpes, ut ſtatus, & ſupponitur a virtute complexibili ſuos actus exercet, conſequentia propriſſimum eſt reſpicere ſummi propriſſimum, & eſſentialem diſtinctum animis meritis, ſeu eſſentialem ſpem, qui reſpicit ſummum obiectum. Si vero conſideretur iterando modo poſſumus illi deſperare ſalutem ſperandi per virtutem Spei. Ratio eſt, quia exigit ſpes quod à cum eſt virtus, ut ſuos actus exercet, reparatur ex propria potentia: & bonum, & malum, ut bonum obiectum, & malum ad alter ego, & amicarum omnia ſunt communia. Et ideo ſpes ſub ratione poſſibilis bonitatibilem, etiam per virtutem Spei, ſe ita iam reſpondendo ad obiectum ſpei, ſi, quæ ſunt in concurſum. Ad primum enim dicendo diuidit ſpem ſperandi, & deſperandi de eſtem rationis, quæ pertinent ad ſperandum, quia ſunt ſtatus, & habitus non propriatum, vnde alias non ſunt ſpes, quia non eſt modo ad ſpem ſpei. Deinde dicitur pertinent ad eum, qui eſt illi ſpes ſperandi ſecundum, Eodem modo dicitur S. Th. Spem reſpicere bonum ardum, quia ſperandum eſt ardua. Eodem reſpondetur ad ſecundum, quando dicitur, quod ſpes ſperandi, & deſperandi ſunt actus diuini, quibus ex diſtinctis habitibus diſtinctis ſed ſecundum rationem ſpei, & virtutis Charitatis ſed Spei, quæ ſperandi ſine deſperandi, quia ſunt ſtatus, & habitus nondum bene propriè, quod reſpicit actus conſequentiam non habent ſpes bonum complexionis, ſed etiam bonum abſolutum, & per actum complexum ſperandi ſub ratione alio bene quidem modo, quam ſperandi ſub ratione abſoluti.

Solutio. Ad tertium dicendum, quod licet ſit difficilius eum, qui eſt in conſcientia ſperare ſalutem, quam deſperare, quia ſperare eſt deliberare, ſed etiam reſpicio deſperare, quando ille eſt amens omnium diuinum, cui deliberare, non ſolum quia tamen ille ſuæ ſtus eſtat eſtem, & ut ab D. Th. ſupra, tamen alium habet eſtem, & ſuppoſitum, ſed etiam quia ſpes quod illum tamen ſperandi eſt ex ſtatu amoris benignitatem quam ſpei deſperare eſt ſalutem, & difficilem, quatenus reſpicit illum adiuuare ad conſecutionem ipſius medio exhortationibus, correctionibus, remediis, & aliis, quæ per hæc ſolutione ſtatur. Ex quo iam ad

Solutio. Ad quartum.

quatenus ad nostros Reates defideratur notitia beatitudinis, an ex naturæ, an ex gratiæ ac Charitatis, qua nunc in dicto, præcedenti Tract. cap. 3. quæst. 2. ad primum quintum finem beatitudinis hoc fpectat; vtrum dicendum sit, quod quæstio, quæ quo apprehendunt beatitudinem naturæ, vel ex gratiæ, &c. difficilior, cum folum ornnium eam cum omnes procerus viatores acrem cum, non folum fit in ducta imperfectior, fed quia poftea apprehenfiones beatitudinis aliorum, et eorum, quatenus tenentur ad eam ad illam non fit cognitio necessaria, fed etiam exhortationis, & correctionis, confolationis, &c. ideo poftea de omnes Speciales defiderare beatitudinem?

Quæstio 4.

Virum aliquis poſsit licite ſperare in homine.

Ratio dubi-tandi.

Primo dubitari poteſt negatiue ex illo Pſalmi 117. vers. 8. *Bonum eſt confidere in Domino, quam confidere in homine.* Et 2. Corinthiorum. 1. *Non fimus fiducia in nobis, ſed in Deo.* Secundo, quia, vt dicitur, ſanctum eſt, quod non licet dicere, quod non licet cogitare: ſed non licet cogitare, quod non licet ſperare in homine: ergo non poſſumus licite ſperare in homine, vt in auctio hominis.

Secundo.

Tertio, quia Deus omnes fuos oppofitos actus prohibentium, qui dicebant homines non poſſe ſperare beatitudinem in propria virtute. A ſcetis, fic gratia actus Luciferianorum dicentium ſolum in fe, & ſuis modo in meritis beatitudinem ſuorum ſperare, & ignorantia, fed ſuperbiæ actus Pelagianorum, et aliorum, qui dicebant poſſe ſperare beatitudinem, ſolum ex ſuis naturalibus ab aliquo principio, quamuis à caſu principali purgatum illum. Secundo, quia ſperare à Secundum, & refinere fuperbiam aliquo modo, videtur innatum non eſt illa imperandi a Deo.

Quo ſuppoſito dico primò, non poſſe- Conclus. mus licite ſperare beatitudinem, aut ipſa dona ſupernaturalia tanquam à creaturis, aut aliis Deo, in Deum. Ita quia quæ 3. 22. & 4. quæſt. Theologo. 21. & noſtris locutus Reca de præſpe. locuap. propter. 1. caput. 1. quæſt. 2. ſec. 6. ubi quia tales, qui ſic ſperant, ſunt, vt cum principio, quo ſolus beatificabitur, ſperant dona ſupernaturalia, ſanta illa Plan. 83. *Creatum, & glorioſum non Dominus, ergo à nullo poſſe in ipſo poſſum poſſunt ſperari.* Secundo à priori: quia tam beatitudo, quam beatificatio conſiſtentia tam ſupernaturalis, quam naturalis, non ſperari ab illo à quo non à cuius principali, cuius ſi non Deus.

Dico ſecundo, licet poſſe beatitudinem, & alia dona ſupernaturalia, ab homine ſperare à creaturis, vt Deum, & ſtrumentaliter, vt Deum, & vti Theologi, &c. ex noſtris locutus Reca vbi ſupra. Probatur ex dictum principia de fide, Primò eſt, quia ſic ſperare non eſt ſperare ab imperantibus à Deo beatitudinem, & alia dona, ſed ab inſtrumentis, de Creatura dicitur, *cui quis principaliter confidit, Deus, ſic omnis, vt ſupra S. Thom. Secundo & interpretatus Syn. fed ad vitium in primo*, & laudat ingenium nobis à Deo beatitudinem, & alia dona ad quam conducentia, ergo etiam licite eſt ſperare ab illis tanquam à inſtrumentis, inſtrumentalis. Confirmatur, quia ſatis eſt imperare hoc, dare illud, vt ſenſis dicitur 4. D. Gerſonis 1. Dialog. cap. 8. & explicat à Hieronymo, *quia Tertio, hoc eſt confidere proximo, & confidere in Deo, vt in eo, de quo ſpiritualiter proficiat, & inſpectione Sanctorum indubitabile, beatificatio, & alia dona ſupernaturalia in noſtra ſperanda proficiendo.* Et 3. Dialogum in medio cap. 2. Deus ad noſtram beatitudinem, & alia dona ſupernaturalia, quod ergo licitum eſt ſperare in homine tanquam à Deo inſtrumentaliter, quamuis parum, & imperfecta poſſimus ſperare, ſatis noſtra ſententia, cum ſententiam Valentiæ, & aliorum Theologorum, quos ſequitur Reca, quibus ad habetur, Speculator dicens ad hoc illud Levitici. *Quia Dominus Tract. 3. ſuper Domine, omnem quod, qui ſperat in homine, ſperat in ſe ipſo, & in ſe ipſo perditus.* Tum 2. *Poteſta magnam ſperare ſpem de creaturis ſpiritualibus fuscitatas cum.* 6. Paulus ad Rom. 5. *Spes autem non confundit, quia charitas eſt autem proficiatur, proficiat vero Spem.* Ad 1. Tertiæ, 3. *Spes ſecundum ſe ſpectat ſperare ſpem ſperare ſpem in aliquem, & ſperare beatitudinem ſpes in ab Deum, ſecundum ſe ſpectat ſperare ſpem ſperare ſpem in aliquem, & ſperare beatitudinem ſpes in ab Deum,

ſpher. Hac mea omnino ſententia, hac ratione ſuperior esse ſolet, & omnia, & ſubiuncta, quæ in Patribus reperiuntur, indeque magnificantur, & excellentia ſe excellentia Beatæ Virginis ad ineffabilem illum cultum, & intercessionem eatenus Deo ſuper omnem Deum, etia. Deum facti ſunt.

Aliud. Putet etiam ex diſtis ſatisfactionem dubitandi. Ad primum enim dicendum eſt, dari in his rebus latitudinem, non tamen indefinitam, & quæ ſolo ſtudio Academiarum diuidatur ſolo prudente. Nihil omnino addo, quod non ſumma ex illis poſſit non poſſe fieri: 2 Deus nihil nominis me auctore, nihil rerum laudi imperatori nobis huic tam bene, & ideo poſſumus ſperare & ſubministrare in hac fundatia, & indeterminata, vt dicitum eſt.

Quæſtio quinta.

Virum Spes ſit virtus Theologica.

Ratio dubitandi pro parte negatiua.

RAtio dubitandi pro parte negatiua eſt primo, quia virtus Theologica debet immediate reſpicere obiectum formale ſui obiecti, ſed Spes non immediate tangit Deum, vt Deus eſt, ſed ſolum Deum, ſed etiam vtilem. ergo Spes non eſt virtus Theologica. Conſequentia eſtem Regimen obiectum ſuum ſolum Deum Reſpicere circa eſtum Deum, ſed etiam vtilem. ergo Spes non eſt virtus Theologica. Antecedens probatur, quia Spes tendit in Deum, vt Deus eſt noſtra beatitudo, ſed hoc non ſolum eſt ergo. Probatur minor, quia tunc eſtet Theologica Spes virtus Theologica, quando haberet obiectum ſuum formale quod non haberet ſine ſpe virtus Theologica, ſed non ſolum Spes acquiritur (ideo dico de Fide, & Charitate) virtus Theologica, propter eam de cauſam, quia virtus Theologica non debet tam attendere partes obiecti, quam totum obiectum ſimul, & ſub eadem ratione, ſub qua eſt obiectum formale. Deinde, ſed certum eſt, virtutem Theologicam Charitatem, quod eſt aliquid extra Deum propria virtus Theologica. Quare, quia virtus Theologica non conſiſtit in medio, ſed in extremo obiecti; hinc eſt, quod virtus moralis, ad ſpeculandum in medio obiectum virtutum, debeat præbere Philoſo, & deſcendendo ergo non eſt virtus Theologica. Quinto, quia ſtudium Spei eſt ardens, & deſiderium ardens Perfectio virtutis moralis non eſt ſpes ad eſtem moralis, & non Theologalis, ſed ſolum perfectio, quia tendere in ardens perfectum ſecundum rationem, quæ eſt virtutis moralis. Confirmatur, quia repugnat, quod idem ſit ſimul virtus, quæ eſt ſpectes formalium ergo non eſt virtutum Theologica.

Virtus Theologica.

Reſpondeo, Spes virtus eſt, & virtus Theologica. Ita Scholaſtici, & Theologi, ſpeculatiue noſtri Philippus a Santiſſimo Sacramento Tom. 1. tract. 1. de virtute diſp. 1. Prolegom. prim. cap. 1. Conclu. 1. Ioannes a Sancto Thoma, Curſus Theol. Quo eos nominat a Paulo viro Apoſtolico Rom. 8. Ioannes Martinez, Ioannes Sanctius, Ioannes Poinſius, & communi etiam. Ita S. Thomas non ex parte virtutis Theologicæ, quia habet Deum pro obiecto immediato, ad differentiam virtutis moralis tangit non habetur Deum pro obiecto immediato ex parte obiecti, ſed Fidem, vel aliquem humanum ſed Spes habet Deum pro obiecto immediato, vt ad obiectum ſuum quidem formale quod eſt obiectum Theologicum. Confirmatur, quia tanta eſtet, qua virtus, quæ habet Deum non ſolum pro obiecto materiali, ſed etiam aliquo modo formali, non pro obiecto formali quidem adæquato, ſed habet ergo.

Reſpondeo ad rationem dubitandi. Reſpondeo, virtutem Theologicam petere obiectum ſuum primarium, & formale Deum, & ſolum Deum: ita ex codem Thoma, & communiter, & omnibus Theologis, cum tamen aliud, quod obiectum ſecundarium, & materiale, ſit aliquid extra Deum, vt Fides Deo Teſtificanti Deum, & Charitas Deo Amato Deum, & Proximum propter Deum. Addendum ergo eſt quarto, Spes eſt virtus Theologica, quia habet pro obiecto ſuo primario, & formali, non quidem Deum, vt eſt habet ipſum Deum obiectum adæquatum, ſed vt eſt obiectum quoddam ſufficiens, & ſufficiens, & ſufficiens, &

requiri, quod habeat Deum pro obiecto materiali immediato; & alij velint, requiri tantum, quod habeat Deum pro obiecto formali; alij verò dicant vtrumque requiri, scilicet versari immediatè circa Deum, vt obiectum materiale, & formale, prout ex Aragonio, Bañez, Suarez, & Serra colligitur. Mihi [tamen primò dicēdum, ad rationem virtutis Theologicę requiritur, quod habeat Deum pro obiecto materiali immediato. Primo, quia alias non esset aliqua ratio quare Religio excluderetur à virtute Theologica. Secūdo à nomine *Theologica*: virtutes enim theologicæ tales appellantur inter alia, quia imitantur Theologiam, at verò Theologia habet Deum pro obiecto materiali immediato. Tertio, ex S. Thoma, qui de virtutibus Theolog. loquens hanc primam rationem eis præscribit, quod scilicet tangant Deum, vt obiectum materiale. Legatur 1. 2. quæst. 62. art. 1. 3. p. quæst. 7. art. 4. & in hoc ar. 5. Dico secundo, etiam requiritur ad virtutem Teologicam habere Deum pro obiecto formali, saltem loquendo de obiecto formalis *quod*. Probatur primu, exemplo Theologiæ, à qua sumpta est huiusmodi denominatio *Theologica*, Theologia enim non solum habet Deum pro obiecto materiali, sed etiam pro formali, vt diximus co. 1. Tract. 1. prohc. disp. 1. quæst. 8. Secundo, quia cum virtutes Theologicę specialiori modo quam alię sint, & dicantur virtutes diuinę, necesse videtur, quod vtroque modo tangant Deum.

Solutio tertiæ. His positis ad tertiam rationem dubitandi, concessa maiori, modo dicto, nego minorem, & ad primam probationē dico, Theologiam non esse virtutem Theologicam, eò quod non est virtus, saltem simpliciter: non est autem virtus, quia de ratione virtutis est efficere opus perfectum; est enim virtus *dispositio perfecti ad optimum*, vt docet Aristotiles, Theologia autem non habet actum perfectum, quia assensus Theologicus est obscurus, & ineuidens. Si dicas inde sequi neque fidem esse virtutem propter eandem rationem. Respondeo negando consequentiam, & ratio est, quia cum fides non sit scientia non est debita illi euidentia, & claritas, Theologiæ autem, cum scientia sit, est debitum illi, habere assensum clarum, & euidentem, vnde, quia hoc deficit illi est imperfecta in suo genere, fides autem in suo genere perfecta. Ad secundam probationem, quamuis Scotus, & Gabriel appellēt huiusmodi virtutes acquisitas, aliquo modo Theologicas, re tamen vera Theologicæ non sunt, tum quia licet habeant Deum pro obiecto materiali, non tamen habent illum pro obiecto formali; cum non innitantur motiuo diuino, sed humano, quod necessarium est ad rationem virtutis Theologicę; tum etiā præcipuè, quia obiectum tam materiale, quam formale virtutis Theologicæ debet esse Deus, non vtcunque consideratus, neque vt lumine naturali cognoscibilis, sed vt excedens facultatem naturalem, & vt supernaturaliter cognoscibilis: at verò huiusmodi virtutes acquisitę attingūt Deum, solum vt cognoscibilis est lumine naturali, & ita non sunt virtutes Theologicæ. Ad tertiam dico, conformiter etiā ad ea, quæ de fide dixi Tract. 1. disputatione 1. quæst. 4. virtutem Theologicā præcipuè attendi debere ex obiecto materiali, & formali *quod*, non verò ex obiecto formali *quo*, seu ratione *sub qua*, & ita quamuis hæc sit aliquod creatum in Spe, quia tamen obiectum materiale, & formale *quod* est quid increatum, & diuinum, ideo Spes est virtus Theologica.

Quartæ. Circa quartam rationem dubitandi, omissis multis, quæ pertinent ad materiā de virtutibus, dico cum S. Thom. hic in solut. ad secundum & 1. 2. q. 64. arti. 4: etiam virtutes Theologicas consistere aliquo modo in medio duorum vitiorum: etsi enim ex parte sui obiecti, præsertim primarij, quod est Deus, non consistant in medio, quia si præcise consideremus ipsum, & non aliud nunquā aliquis nimiū credet, sperabit, aut amabit, iuxta illud Ecclesiast. 43 *Benedicentes Deum, exaltate illum quantum potestis, maior est enim omni laude*; & illud Bernardi in initio lib. de diligendo Deo: *modus diligendi Deum est sine modo diligere*, tamen ex parte nostri, ex parte actus, moditendendi, & circumstantiarum consistunt in medio, qualiter fides consistit in medio inter leuitatem, qua quis cito credit, & duritiam cordis, qua pertinaciter repugnat, iuxta illud Luc. 24. *O stulti & tardi corde ad credendū*. Similiter Charitas consistit etiam aliquo modo in medio, inter hoc quod est non diligere Deum quando opus est; quod est extremū per defectum, & conari ad diligendum ipsum cum tali conatu, qui noceret vehementer sanitati, quod esset per excessum. Sic etiā Spes est inter duo extrema, scilicet desperationem, quæ est per defectum, & præsūptionem, quæ est per excessum. Vnde nego maiorē argum. & ad probationem dico, proprium esse virtutis motalis consistere in medio ex parte obiecti, idest, quod ipsum obiectum habeat latitudinē, extensionem, & diuisibilitatem partium, ita vt in ipsomet reperiatur magis, & minus, excessus, & defectus, sicut reperitur

in cibo, & potu, qui est materia temperantiç, & in pecunia, quæ est materia liberalitatis, & hoc non conuenit virtutibus Theologicis, nam earum obiectum, & materia, scilicet Deus, est omnino indiuisibilis, & impartibilis, neque in ipso reperitur magis, & minus, excessus, vel defectus, & ita non consistunt in medio ex parte obiecti, sed solum modo dicto: per quod differunt à virtutibus moralibus. Lege Valent. Medinam, ac ea, quæ dixi tomo præcedenti Tract. 4. disput. 3. quæst. 9.

Quinto

Ad quintum respondet Sanct Thomas in solut. ad quartum, quod magnanimitas tendit in arduum, quod est in sua potestate desiderantis, & respicit operationem aliquorum magnorum, at verò Spes respicit arduum consequendum auxilio alterius, scilicet Dei. Ad confirmationem respondet ipse Sanctus Doctor, quod expectatio prout importat dilationem pertinet ad longanimitatem, expectatio verò, quæ importat respectum ad auxilium Dei pertinet ad Spem. Argumento etiam responderi potest, quod arduum, quod spectat ad magnanimitatem, est arduum naturale, arduum verò quod pertinet ad Spem est supernaturale ordinatum in beatitudinem, imò ipse Deus. Ad confirmationem, quod expectatio alicuius obiecti naturalis potest pertinere ad longanimitatem, quæ verò spectat ad Spem est expectatio obiecti supernaturalis, imo ipsius Dei.

Quæstio sexta.

Vtrum Spes sit virtus distincta ab aliis virtutibus Theologicis.

Rationes dubitandi

VIdetur quod non, primò, quia in Sacra Scriptura actus illarum confunduntur; ita vt actus vnius ex illis tribuantur alteri, ergo signum est non distingui, saltem realiter, sed solum ratione: consequentia patet, & antecedens probatur, nam actus Fidei, & Spei tribuitur Charitati, 1. Corinth. 13. illis verbis; *Charitas omnia credit, omnia sperat*. Item actus Fidei tribuitur Spei ad Roman. 4. illis verbis *Credidit Abraham Deo*, & paulò inferius, *in Spem contra Spem credidit*. Item Luc. 7. Fides appellatur dilectio, nã mulieri illi, cui dixit Christus: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, etiam dixit statim, *Fides tua te saluam fecit*. Præterea Math. 14. dixit: *Modicæ fidei quare dubitasti*: vbi actus Spei tribuitur Fidei, Secundo saltè Spem non distingui à Charitate. Nam si inaliquo distinguerentur, maximè quia Spes tangit Deum vt bonum nobis, Charitas verò vt bonum in se; sed hoc non sufficit distinguere realiter has virtutes, ergo. Probatur minor, quia non minus Deus est verus in se, & verus nobis; sed non ponitur in nobis distincta virtus respectu Dei, vt est verus in se, & verus nobis, sed ad hoc sufficit vna, & eadem virtus Fidei; ergo etiam sufficiet vna, & eadem virtus ad tangendum Deum, vt bonum in se, & bonum nobis. In hac quæstione hæretici nostri temporis has virtutes maximè Fidem, & Spem inter se confundunt; quibus fauent aliqui ex Scholasticis antiquis.

Veritas

Nihilominus veritas est, Spem esse virtutem distinctam ab alijs Theologicis Fide, & Charitate. Est communis inter Theologos. Probatur primò ex testimonio adducto 1. Corinth 13. *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas tria hæc, maior autem horum est Charitas*, quæ omnia indicant hanc distinctionem. Maximè adiunctis illis, *si habuero omnem fidem, & Charitatem autem non habuero nihil sum*. Secundò, ex Concilio Tridentino sess. sexta can. 12. vbi anathematizatur, qui Fidem, & fiduciam non distinguit, & can. 28. docet, Fidem sine Charitate manere posse, quod non potest esse sine distinctione: quod etiam supponitur eadem sess. cap. 7. Tertiò probatur ex doctrina Diui Augustini in Enchiridion capit. 8. vbi eruditè probat Fidem, & Spem multis distingui. Quartò probat Sanctus Thomas artic. 6. ex diuerso modo, quo huiusmodi virtutes faciunt hominem inhærere Deo vt obiecto nam Charitas (inquit) *facit hominem inhærere Deo propter seipsum*: de Fide autem, & Spe ait; *Spes autem, & Fides faciunt hominem inhærere Deo, sicut cuidam principio, ex quo aliqua nobis proueniunt*. Fides videlicet, vt docenti veritatem; Spes, vt auxiliatori. Quintò, quia Fides; Spes, & Charitas habent distincta obiecta formalia; nam Fides respicit Deum, vt primam veritatem reuelantem, Spes, vt bonum, & beatitudinem æternam cõsequibilem auxilio ipsius; Charitas vt bonum in se super omnia appretiatiuè diligendum. Si dicas, huiusmodi distinctionem obiectorum formalium solum probare distinctionem specificam, & formalem virtutum, non verò realem. Contra est, quod licet ex hoc capite tantum pro-

probetur distinctio specifica, & formalis; ex alijs tamen, quæ adduximus, scilicet ex testimonijs Sancti Pauli. & Conc. Tridentini satis probatur etiam distinctio realis; præsertim accedente etiam consensu tam Patrum, quam Theologorum sic intelligentium illa loca.

Solutio rationum dubitandi

Vnde ad primam rõem dubitãdi nego antecedens, & ad primam probat. dico, actus Fidei, & Spei tribui Charitati, imperatiuè, quatenus Charitas potest imperare illos, non vero elicitiuè. Ad secundam, illud *in Spem contra Spem credidit*, non denotare vllo modo actum illum credendi fuisse actum Spei, sed sensus eius est, quod tunc credidit Abraham Deo, quando omnis ratio humana inducens ad credendum deficere videbatur: eo quod credidit se habiturum successionẽ per Isaac, quem sacrificare volebat. Dato etiam, quod actus Spei tribueretur Fidei, id intelligi deberet accipiendo causam pro effectu, quia scilicet Fides præsupponitur, vt causa ad Spem; quo sensu dicitur in Symbolo, *Expecto resurrectionem mortuorum*, vt inquit Sanctus Thomas artic. 6. in solutione ad secundum. Hoc etiam modo responderi potest ad illud, *Modica fidei* &c. Testimonium etiam Lucæ nihil fauet hæreticis; mulier enim illa habuit fidem, & dilectionem, & vtrique tribuitur remissio peccatorum, dilectioni, vt dispositioni proximæ, Fidei verò, vt remotæ. Ad secundam, concessa maiori nego minorem, & ad probationem dico, Deum vt verum in se non constituere diuersam virtutem Theologicam à tribus, sed pertinere ad Charitatem: quando enim dicitur, quod Deus vt bonus in se est obiectum Charitatis non excluditur vt verus in se, sed potius includitur; eo quod, *vt bonus in se*, non denotat vnam, aut aliam perfectionem determinatam Dei, sed omnem, & summam ipsius perfectionem, vt dicam Tractatu sequenti. Ratio autem quare Deus vt verus nobis, & bonus nobis constituat diuersam virtutem Theologicam, non autem vt verus in se, & bonus in se est, quia, vt verus nobis, & bonus nobis, habet specialem difficultatem attingibilitatis, scilicet mediante diuino testimonio, & mediante auxilio diuino, at verò verus in se, & bonus in se conuenit in ratione amabilitatis super omnia appretiatiuè.

Quæstio septima;

Vtrum Spes præcedat Fidem, & Charitatem.

Ordo duplex.

DVplex ordo, seu præcedentia assignari potest inter Spem, & alias virtutes Theologicas; primus est dignitatis; secundus est originis, seu generationis: & de vtroque aliquid dicendum.

De ordine dignit.

Et quoad ordinem dignitatis, comparando Spem cum Charitate, certa res est, Charitatem esse priorem, & præstantiorem Spe; tum propter illud Pauli 1. Corinth. 13. *Maior autem horum est Charitas*; tum ex præstantiori obiecto, quod habet Charitas, quam Spes, vt constat ex quæstione præcedenti; tum quia est amor amicitiæ, Spes autem solum concupiscẽtiæ, amor enim amicitiæ præstantior est amore concupiscentię; tum etiam, quia, vt inquit Sanctus Thomas artic. octauo; *Adueniente Charitate Spes perfectior redditur, quia de amicis maximè speramus*: solum ergo est difficultas comparando Spẽ cum Fide.

Sententia quorundã

Qua in re aliqui Theologi volunt Spem esse minus perfectam, quam Fides. Ita Bañez, Medina, Granadus, nostet Philippus à Sanctissima Trinitate tom. 3. disput. quinta, dub. 6. & alij. Probatur primo, quia Fides est fundamentum Spei, iuxta illud Pauli ad Hebreos 11. *Substantia rerum sperandarum*, ergo est perfectior Spe. Secundò, quia Fides respicit Deum quatenus est infinitus, & infinitæ authoritatis in dicendo, includens infinitam sapientiam, qua non potest falli, & infinitam bonitatem, qua non potest fallere, Spes autem solum respicit Deum quatenus est possidendus: cum ergo sit solum possidendus finitè, erit perfectior Fides. Tertiò, quia Fides est in intellectu, Spes in voluntate, intellectus autem est præstantior potentia, quam voluntas.

Probabilior.

Nihilominus, probabilius est Spem esse perfectiorem Fide. Ita Diu. Tho. quæst. 5. de veritate artic. 3. & alibi, Valentia, Suarez, Conincк, Becanus (etsi solum loquatur in genere moris, non in genere naturæ), Tannerus, Caspensis, & alij. Probatur primò ex testimonio Apostoli iam adducto, *Nunc autem manent Fides, Spes, & Charitas*, vbi ponit Spem medio loco inter Fidem, & Charitatem, indicans, quod sit perfectior Fide, & imperfectior Charitate. Secundò, nam obiectum formale

male Spei habet maiorem latitudinem, quam obiectum formale Fidei: obiectum enim Fidei tantum includit Deum, vt veracem, seu vt primam veritatem reuelantem, obiectum autem Spei includit Deum, quatenus est bonum nostrum, & beatitudo nostra; est autem bonum nostrum, & beatitudo nostra secundum omnes perfectiones, quæ sunt in ipso, quia iuxta illud Ioannis 3 *Videbimus eum sicuti est*, ergo Tertio, quia, vt dicemus in Tract. sequenti *de Charitate*, ex eo Charitas est perfectior fide, quia Charitas tangit Deum immediatè; fides autem tangit illum obscurè, & solum, vt cognitũ per species extraneas creaturarum: sed hæc ratio etiam procedit in Spe, quia etiam tangit Deum immediatè: ergo. Aut vero saltem in esse moris possit dici fides perfectior Spe dicemus infra disp. 4 quæst. 4.

Solution, contrariorum.

Vnde ad primum dico, ex eo, quod fides sit fundamentum Spei, solum infertur maior perfectio secundum quid, (aut in esse moris, iuxta dicenda loco relato) nõ simpliciter: sicut ex eo, quod materia sit fundamentum formæ, solum etiam infertur maior perfectio secundum quid, materiæ. Ad secundum dico, quod & si Spes solum respiciat Deum, vt possidendum, & sit possidendus finito modo, quia tamen ipsemet Deus est possidendus, & ipse sit infinitus, & bonum nostrum, secundum omnes perfectiones, quas habet; & ex alia parte tangat Deum immediatè secundum omnes prædictas eius perfectiones, & attributa, ideo maiorem latitudinem habet obiectum Spei, quam fidei: ac perinde erit perfectior illa. Ad tertium dico, tantũ probare fidem esse secundum quid, & ex parte subiecti, perfectiorem Spe, non simpliciter, idest ex parte obiecti.

De ordine generationis.

Loquendo autem de ordine generationis, seu originis, potest etiam comparari Spes cum fide, vel cum Charitate. Si comparetur cũ fide, certa res est, quod fides sit prior Spe. Ita D. Thom. ea q. 17. artic. 7. & 8. Suarez, Caspensis, & alij communiter. Probatur primo ex illo Pauli ad Hebreos 11. *Fides est substantia rerũ sperandarum*, hoc est fundamentum Spei. Secundo, quia fides, tam à Patribus, quã a Concilio Tridentino, vt sæpius vidimus, vocatur *Initium, fundamentum, & radix totius ædificij spiritualis*, ergo, & Spe. Tertio, quia ad hoc, quod Spes eliciat actum suum circa suum obiectum, necesse est quod illud proponatur voluntati per intellectum, vt possibile, & aliquo modo futurum; sed non potest proponi obiectum Spei hoc modo, nisi per fidem; ergo fides est prior, quam Spes. Minor probatur, quia obiectum fidei est obiectum supernaturale, vel ordinatum ad supernaturale, quod saltem in via non potest proponi sicut nec cognosci, nisi per fidem. Si dicas cum Almaino, ad huiusmodi actum Spei sufficere iudicium probabile naturale de possibilitate obiecti, v.g. beatitudinis, vel saltem iudicium fidei acquisitum, quale habent hæretici, qui, & si fidem non habeant, nihilominus sperant Beatitudinem à Deo. Contra hoc est, quod licet actus Spei acquisitæ, quale habent hæretici, sufficienter possit oriri ex Fide adquisita naturali, aut alia cognitione naturali, etiam probabili; tamen actus Spei infusæ, de quo loquimur, quia debet esse firmus, & certus, imo etiam supernaturalis, præsupponit necessario ex parte intellectus iudicium certũ, & infallibile, & supernaturale, ac per consequens non sufficit iudicium probabile, aut fides humana, sed necessario exigitur iudicium Fidei diuinæ. Si dicas vlterius, hæc, quæ adduximus solum probare de actibus Fidei, & Spei, quod scilicet actus Fidei sit prior origine actu Spei, non tamen probare de ipsis habitibus. Respondeo, vtrumque probare, tum quia idem ordo debet esse in actibus, & habitibus; tum quia per actus harum virtutum sufficienter disponitur homo ad habitus illarum, ita vt quotiescunque elicitur actus, infundatur à Deo habitus, vel saltem augeatur præcedens, atque adeo sicut actus fidei ex natura sua est prior origine actu Spei, sic habitus Fidei sit etiam prior habitu Spei.

De cõparatione Spei cum Charitate.

Maior difficultas est comparando Spẽ cum Charitate, quænam illarum sit prior prioritate originis, seu generationis. Ratio dubitandi pro parte Charitatis, est, quia nemo potest sperare, quod prius non amat, est enim Spes desiderium quoddam rei amatæ, vnde amor est primus motus appetitus humani, vt docet S Thomas hic artic. 8. et 1 2. quæst 25. artic. 2. ergo ante actum Spei, quo speramus beatitudinem præcedit amor, ac per consequens ante Spem præcedit Charitas. Propter hoc argumentũ Almainus tenet Spem esse posteriorem Charitate. Alij tamen Theologi, præsertim expositores S. Tho hic art. 8 et 1. 2 quæst. 62 artic. 4. Suarez etiam, & Caspensis, tenent contrarium.

Duo dicenda.

Mihi tamen duo dicenda videntur, primum est, regulariter loquendo actus Spei præcedit actum Charitatis, ita intelligo Bachonium nostrum in tertio distinct. 26. artic. 3. quod etiam tenent Salmãticenses nostri circa quæst. 62. ar. 4. Ratio est. Primo, quia regulariter loquẽdo, quando certo speramus accepturos ali-

Digitized

aliquid beneficium ab aliquo accendere, & excitare ad amandum illum, à quo tale beneficium percepit, ergo communicatio, etiam simplex, bonorum naturalium tantum, patitur rapidi per Spem fortunæ cum acceptatore. Deus autem bonitatis, perfectus imperturbatus, est tale Spes excitabitur ad amandum illum, ac per consequens ad Spem per quam obtinetur. Secundo, quia, ut docet Augustinus, de Verbis Domini, Sermone primo. Hominem non habet Deum, nisi habeat Spem, nisi habeat Charitatem, nisi habeat Spem, & Charitatem, quod habeat, dilabitur nisi habeat Spem, & Charitatem, & perseverare non dicitur, nisi habeat Spem, & Charitatem, & perseverare usque finem. Ergo Spes est causa, & principium Charitatis, & perseverantiæ usque ad finem. Tertio, quia Spes est via ad Charitatem, & perseverantiam, ergo est prior

Esse autem habenas animæ intus, & firmum secundo ex Cant. Trid. fer. 6. cap. 7. ubi citatur Ioannes Damascenus *Nemo sic est impius, qui non affectet verisimile aliquid habere in sui animi firmamentum: ut dicere, ego rationis animi sum, Deum enim, qui ipsum genita sapientia fecit eaque ipsa bonum dixit.* Tertio, ibidem citatur S. Augustinus inquit Magister in tertio de Libero Arbitrio de Lex. Temporalis, quæ hodie agitur quæstio. *Spes certa, & exacta, quæ habetur in Scripturis.* Quarto, de patrei quidem Spes dicitur certa, & firma, qua nititur certa certam, & firmam, sed finaliter non ad rem contemplandam, de qua est quæstio, quod non dicitur certa, & firma ita spes dicitur certa, & firma, qua nititur certa ad finalem, & firmam, & finalem spem, quæ dicitur certa, & firma, quia nititur certæ, & firmæ rei, & finalis in ordine ad contemplandum, & quia est finalis, quod non dicitur certa, & firma ita spes dicitur certa, & firma, quia nititur certæ, & firmæ rei finalis, & finalis, sed finaliter spes ultima, quæ dicitur certa, & firma, quia nititur certæ, & firmæ rei finalis

De quarta ratione dubit.

Circa quartam rationem dubitandi, licet aliqui dicant dona ibi relata, & ſimilia, quæ videlicet non ſunt neceſſaria ad vitam æternam, nec à Deo omnibus, aut ſemper conferuntur, aut ſunt promiſſa, à nobis nõ deſiderari per Spẽ, ſed per aliã virtutem; nihilominus dicendum, per virtutem Spei deſiderari poſſe, ſi prudenter credantur eſſe vtilia ad beatitudinem, & in ordine ad illam deſiderentur. Ita ferme Aragon, Bañez, Suarez, Tannerus, & Granadus. Ratio eſt, quia illa pertinẽt ad obiectum materiale Spei, iuxta dicta ex D. Auguſtino, & D. Thoma ſupra diſp. 1. q. 2. Nec obſtat, id quod dicitur in ratione dubitandi; nempe, quod alias ſequeretur Spem non eſſe certam, quia iſta bona ſæpius non dantur à Deo. Dico enim, Spem quatenus innititur fidei eſſe omnino certam, & infallibilem; quatenus vero innititur prudentiæ, vel alteri cognitioni ſequi naturam illius, & ita ſolum eſſe certam veluti practice, & moraliter, certitudine tali cognitioni proportionata; iuxta modum, quo Oratio, quæ adiungi ſolet huiuſmodi deſiderijs, habet certitudinem.

Dubium.

Eſt tamen dubium, quoad modum loquendi, an Spes beatitudinis noſtræ ſit dicenda certa certitudine abſoluta, an verò ſolum conditionata. Quod enim ſolũ ſit conditionata, tenere videntur Vega, Sotus, & Suarez: alij verò cum Aragon, tenent eſſe abſolutam: Caſpenſis autem dicit eſſe abſolutam ex parte Dei, conditionatam vero ex parte euentus. Dico ergo, certitudinem Spei, qua ſperamus beatitudinem, ſi ſumatur ex parte Dei, eſt abſoluta: ſi vero ex parte noſtra, eſt conditionata. Ratio primæ partis eſt, quia Deus, cum ſit ſummè bonus, & ſummẽ potens, vult ſalutem omnium, & dat media ad illam, abſolutè, & abſq; vlla conditione ex parte ſua. Ratio vero ſecũdæ, quia ex parte noſtra pendet à cooperatione noſtra cum auxilijs Dei; meritis noſtris, & perſeuerantia vſq; in finem vitæ. Vnde Chriſtus Math. 8. dixit. *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata*, & Paulus ad Romanos 8. *Si tamen compatimur, vt & conglorificemur*.

Quæſtio nona.

An ſint plures actus virtutis Spei.

1. concluſ.

Dico primo, plures actus aſſignari debent à virtute Spei eliciti. Eſt concluſio certa apud omnes, præcipue eos, quos inferius referemus. Ratio ſumitur primo ex eo quod cũ Spes ſit virtus quæ verſatur circa bonum, vtpotè; quia pertinet ad partem appetitiuam, ſcilicet voluntatem, vt dicemus diſp. ſequenti, & ad eandem virtutem ſpectet proſequi bonum, & fugere malum illi contrarium, vt docet S. Thom. ſæpius, & Theologi communiter cum ipſo, ideo neceſſario illi debent aſſignari tam actus proſecutionis circa ipſum bonum, quam fugæ, & deteſtationis circa malum illi contrariũ. Huiuſmodi autem, actus fugæ pertinentes ad Spem, ſunt odium, abominatio, timor, & dolor, de quibus in ſequẽtibus; in præſenti autem ſolum agemus de actibus proſecutionis.

Secunda.

Dico ſecundo, actus proſecutionis pertinentes ad Spem virtutem Theologicam, ſunt quatuor; videlicet primus; amor Dei prout eſt bonum ſupernaturale noſtrum, & noſtra beatitudo; ſecundus, deſiderium obtinendi illum; tertius, Spes de ipſius conſecutione; ac quartus, gaudium de ipſo poſſeſſo. Sic fermè Suarez, Becanus, Tannerus, Granad. Amicus, Caſpenſis, & alij. Probatur, quia iſti actus ſunt boni, vt per ſe patet; & ſupernaturales, quia habent obiectum ſupernaturale, vt etiam conſtat: & ſunt Theologia, quia verſantur circa Deum immediatè, non ſolum, vt obiectum materiale, ſed etiam, vt formale, vt *quod*; & *quo*, quia reſpiciunt illum, vt noſtram beatitudinem conſequibilem ex auxilio ipſius, in quo eſt poſita formalitas obiecti Spei: ergo pertinẽt ad aliquam virtutẽ Theologaẽ: cum ergo non pertineant ad fidem, quia non tangunt Deum vt veracem, aut reuelantem, ſed vt bonum; neq; ad Charitatem, quia illa, cum ſit amor amicitiæ, vt ait D. Thom. hic arti. 8. reſpicit Deum, vt bonum in ſe, iſti autẽ actus reſpiciunt ipſum, vt bonum noſtrũ; & quia important amorem concupiſcentiæ; neceſſe ergo eſt dicere pertinere ad virtutem Spei. Secundo, quia generaliter loquendo, vt patet in virtutibus Charitatis, Temperantiæ, & aliarum, actus voluntatis vocati *voluntas finis*, *intentio finis*, *electio mediorum*, & *quies*, ſeu *frui-*

Digitized by Google

fruitio finis; quando fiunt ex motiuo formali alicuius virtutis, spectant ad illam: huiusmodi autem actus illis correspondent; nam primus correspondet actui vocato *voluntas*, quia est de bono secundum se, vt abstrahit à præsenti, vel absenti; est autem primus, quia etiam vocatur *amor*, & amor est radix omnium aliorum affectuum voluntatis, vt habet S. Thom. 1. par. q 20. ar. 1. & 1. 2. q. 25. art. 2. & hoc loco q. 17. art. 8. Secundus autem, qui est *desiderium* correspondet intentioni, quę etiam est desiderium efficax finis cogniti vt futuri: tertius electioni & quartus fruitioni. Ergo omnes illi pertinebunt ad Spem, quando fuerint eliciti ex motiuo formali ipsius.

Tertia. Dico tertio, inter hũodi actus pertinentes ad virtutẽ Spei potissimus est tertius ille, qui specialiter etiam vocatur *Spes*. Ita docent, vel supponunt communiter DD. Et ratio est, quia primus ille est simplex quædam volitio, seu amor beatitudinis abstrahentis à præsenti, vel futura; secundus, simplex etiam desiderium illius vt futurę; tertius autem iste est quidam conatus, elenatio, & erectio hominis ad consecutionem illius, contra timorem illum, & animi contractionem, quę consurgere solent, propter tam ardui, & super excellentis boni adeptione, & ad superãdas illas ex auxilio Dei, & operibus, ac meritis proprijs: est ergo cęteris alijs perfectior, & potissimus. Confirmatur, quia propter hanc causã specialiter inter omnes alios actus supernaturales Concilij Trid. sess. 6. cap. 6. loquens de isto dicit, quod homines *in Spem eriguntur fidentes Deum sibi propter Christum propitium*, quia scilicet, per illum se erigunt, & eleuant specialiori modo, supra communem, & ordinarium operandi. Propterea etiam ab illo; vtpote præstantiori, & difficilori, denominatur etiam ipsa virtus *spes*. Sic etiã (inquit Becanus) virtus Pœnitentię sortitur nomen ab actu pœnitendi; cum tamen pręter illum habeat etiam alios, scilicet propositum satisfaciendi, emendandi &c.

An vitiari possit. Solet quæri in pręsenti an actus Spei Theologicæ vitiari possit, & an licitum sit bene operari propter mercedem aliquam à Deo obtinendam: sed de hoc vltimo dicemus Tract. 3. de Charitate, & de primo illo diximus loquente de fide Tract. 1. disput. 6. quæst. 6.

DISPVTATIO II.

De subiecto Spei.

Quæstio prima.

An voluntas sit subiectum immediatum Spei.

Ratio dubitandi. VIdetur, quod non, primo, argumento quod affert Sanct. Tho. q. 18. ar. primo. Quia obiectum Spei est bonum arduũ, vt sæpè diximus; sed bonum arduum est obiectũ appetitus sensitiui; ea parte qua est irascibilis; ergo Spes non est in voluntate, sed in appetitu sensitiuo. Secundo, quia præcipuus actus virtutis Spei est sperare beatitudinem, vt diximus disputatione præcedenti quæst. nona; sed sperare beatitudinem non est actus voluntatis; ergo Spes non est in voluntate. Minor probatur, quia sperare beatitudinem non est aliud quam iudicium illud, quo quis iudicat se futurum beatum inuittendo auxilio diuino. Confirmatur, quia tale iudicium est actus bonus, & laudabilis, imo supernaturalis; ergo debet pertinere ad aliquam virtutẽ: non est autem alia, ad quam pertineat, nisi ad Spem; ergo pertiner ad illam: ac per consequens erit idem quod sperare. Tertio, quia si propter aliquam rationem Spes esset in voluntate, & non in appetitu sensitiuo, maximè, quia habet Deum pro obiecto immediato, quod non potest competere appetitui sensitiuo, cum sit potentia corporalis; sed hæc non sufficit; ergo. Probatur minor, quia virtus Temperantię infusæ habet etiam Deum pro obiecto immediato, in quo differt à temperantia acquisita, & tamen residet in appetitu sensitiuo, sicut & alia Temperantia acquisita.

Nihilominus veritas est, virtutem Spei immediatè inhærere voluntati. Ita Diu. Thom. supra, Siluestranus noster in tertio lectione 79. & omnes alij. Probat Sanctus Thomas, quia Spes debet subiectari in appetitu, cum eius obiectum sit bonum, quod est obiectum appetitus; sed non potest subiectari in appetitu sensitiuo; ergo subiectatur in appetitu rationali, qui est

Cõclusio vera

volun-

voluntas. Maior, & consequentia est certa & minor probatur, quia obiectū appetitus sensitiui solum est bonum sensibile, obiectum autem Spei est bonum non solum spirituale, sed & diuinum; cum sit virtus Theologica: non ergo potest subiectari in appetitu sensitiuo. Secundo, quia non minus voluntas tendit in Deum vt bonum nobis, quam vt bonum in se, sed ad tendendum in ipsum vt bonum in se ponitur in voluntate virtus Charitatis, ergo etiam ad tendēdum in ipsum vt bonum nobis debet poni virtus Spei in eadem voluntate.

Solutio rat. dub.

Vnde ad primam rationem dubitandi respondet S. Thom. quod bonum arduū, quod est obiectum appetitus sensitiui, est bonum arduum sensibile; bonum autem arduum, quod est obiectum Spei, est bonum spirituale, & diuinum, scilicet Deus, & eius visio: & ita pertinet ad voluntatē ea ratione qua continet eminenter rationem irascibilis. Ad secundam nego minorem, & ad probationem nego etiā, quod sperare beatitudinem non sit aliud, quā iudicium illud, quo quis iudicat se futurum beatum innitendo auxilio diuino: hoc enim iudicium, etsi præsupponatur ad actum sperandi, formaliter tamen nō est sperare, sicut iudicium, quo quis iudicat Deum esse summum bonum non est actus amandi ipsum, sed quid prærequisitum. Ad confirmationem autem respondeo, non posse iudicium intellectus inniti auxilio diuino tanquam motiuo formali, neque auxilium diuinum posse esse motiuum formale actus intellectus; eo quod motiuum intellectus tantum potest esse illud, quod fuerit ratio obiectiua assentiendi, vel dissentiendi; quale est, vel discursus, vel præsentia obiecti, vel saltē testimonium dicentis: auxilium autem non est ratio obiectiua assentiendi vllo modo. Quod si tale iudicium innitatur alicui motiuo pertinenti ad intellectum, erit elicitus à virtute, cuius est tale motiuum, fide scilicet, vel prudentia: iuxta dicta diip. præcedenti quæstion. 8. Ad tertiam, concessa maiori, nego minorem, & ad probationem, quicquid sit de hoc, an temperantia infusa sit in appetitu sensitiuo, de quo alibi, nego maiorem, scilicet istam virtutem infusam habere Deum pro obiecto immediatò; non enim habet pro obiecto immediato, nisi ipsummet bonum sensibile, quod est obiectum temperantiæ acquisitę, & pro mediato Deum. Nec differunt in hoc temperantia infusa, & acquisita, quod ista habeat pro obiecto immediato bonum sēsibile, illa verò bonum spirituale, aut Deum; sed in hoc, quod obiectum temperantiæ acquisitæ est bonum sensibile, regulatum per rationem naturalem, & ordinatum in Deum finem naturalem; obiectum vero temperantiæ infusæ est ipsummet bonum sensibile regulatum per regulam supernaturalem, & ordinatum in Deum finem supernaturalem.

Quęstio secunda.

Vtrum Spes sit in omnibus viatoribus.

Resceria

SPem esse in viatoribus est res certissima, & ita illam supponit S. Thom. potius, quam probat ar. 2. quæst. 18. Probari tamen potest, quia viatores sperant beatitudinem, vt bonum arduum possibile, & futurum ex auxilio Dei; siquidē illam desiderant, & petunt à Deo per orationem: ergo in illis est Spes, quæ est principium talis actus. Imo hoc esse proprium viatorum, patet ex eo quod viatores dicuntur illi, qui tendunt in patriam, scilicet beatitudinem; sed in beatitudinē præcipuè tenditur per Fidem, & Spem: ergo Spes est maximè propriè in viatoribus. Solum est difficultas an in omnibus viatoribus tam iustis, quam peccatoribus, tam fidelibus, quam infidelibus, ponenda sit virtus Spei.

Certum aliud

Et quidem Spem esse in iustis, est certum & de fide; habetur enim in Concil. Tridentino sess. sexta cap. 7. vbi dicitur: *In ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, Fidem, Spem, & Charitatem.* Supponiturque ab Ecclesia, dum in quadam oratione dicit. *Da nobis Domine Fidei, Spei, & Charitatis augmentum.* Et ratio est, quia illi sunt, qui maximè sperant beatitudinem à Deo, vt supponitur etiam in eodem Concilio Tridentino *can. 26.* eiusdem sessionis; ergo in illis est virtus Spei, vt sit principium talis actus: solum ergo procedit difficultas de peccatoribus, an in illis sit etiam Spes.

Rat. dub

Ratio dubitandi est, primò ex Diu. Augustino qui supra Psalm. 31. docet *malam conscientiam notam esse in desperatione*, & paulò inferius: *Ille enim qui bonam conscientiam gerit, sperat, qui vero malam nihil sperat*: ergo Spes non est in peccatoribus. Secundo, quia Spes est quædam erectio, seu eleuatio hominis in Deum; sed peccator est auersus à Deo, ergo non habet Spem. Tertiò, quia amissa Charitate, omnes virtutes infusæ pereunt, sed peccator non habet Charitatem; ergo neque Spem, quæ est vna ex virtutibus infusis.

Digitized by Google

Nihilominus veritas est, & dico primò, in peccatoribus fidelibus manet virtus Spei.

Conclus. certa. Est certissima, & communis omnium, ita vt temerarium sit illam negare. Probatur primò, quia in huiusmodi peccatoribus manet fides, vt definit Concilium Tridentinum sess. 6. can. 28. ergo etiam manet Spes: probatur consequentia, tum quia fides est fundamentum Spei; tum quia est eadem ratio. Secundò, quia huiusmodi peccatores sperant à Deo veniam peccatorum, gratiam, & beatitudinem &c. ergo in illis est Spes: consequentia patet, quia huiusmodi actus sperandi debet procedere, saltem vt fiat connaturaliter, à virtute Spei. Antecedens vero probatur, tum ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 6. vbi de huiusmodi peccatoribus inquit, *in Spem eriguntur fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore*; tum ex Concilio Arausicano secundo can. 4 5. & 6. vbi id videtur definitum; tum etiam ex eo, quod in illis reperitur vera oratio supernaturalis, qua petunt à Deo bona supernaturalia, iuxta illud Ecclesiast. 21. *Fili, peccasti, non adijcias iterum, sed & de pristinis deprecare vt tibi dimittantur*: oratio autem supernaturalis nequit esse sine Spe supernaturali, & infusa. Tertiò, & à priori, quia huiusmodi peccatores apprehendunt per fidem beatitudinem vt bonam, possibilē, arduam, & futuram ex auxilio Dei; sed nihil aliud requiritur ad obiectum Spei; ergo in illis est Spes.

2. concl. Dico secundò, in peccatoribus, qui desperant de sua salute, aut præsumunt consequi illam sine medijs ordinatis à Deo, v. g. sine bonis operibus, non est virtus Spei. Ratio est, quia reliquæ virtutes infusæ corrumpuntur per actus sibi cōtrarios, vt Fides per infidelitatem, & Charitas per quodcumque peccatum mortale; sed desperatio, & præsumptio sunt actus contrarij Spei, ergo per illos corrumpuntur, ac per consequens non manet Spes in illis, qui vel desperāt, vel præsumunt. Qualiter vero destruatur Spes per huiusmodi actus, dicetur suo loco.

Tertia. Dico tertio, in peccatoribus infidelibus, quales sunt Hæretici, Iudæi, & Pagani, non est Spes virtus Theologica. Dixi Spes *virtus Theologica*, quia illi possunt habere Spem aliquam naturalem, vsu, & actibus acquisitam, sicut & habēt similem fidem. Ita communiter omnes, ex Diuo Augustino in Enchiridion cap. 7. & 8. Probatur, quia Fides est fundamentum Spei, iuxta illud Pauli ad Hebr 11. *Substantia rerum sperandarum* &c. sed in huiusmodi peccatoribus non est Fides, ergo nec Spes: quēadmodum enim destructo fundamento cadit domus, & sine illo ædificari non potest, sic nec Spes potest subsistere, aut esse sine fide. Si dicas: nulla res corrumpitur, nisi à suo contrario; sed hæresis, aut infidelitas non sunt contraria Spei; tantummodo enim illi contrariantur desperatio, & præsumptio, vt dicetur suo loco: ergo solum corrumpitur per huiusmodi vitia, non verò per hæresim, aut infidelitatem: ac per consequens in hæreticis, & alijs infidelibus poterit esse Spes. Respondeo cōcessa maiori, ad minorem, quod etiam si hæresis, aut infidelitas non contrariētur proximè, & immediatè Spei, sed solum Fidei; contrariantur tamen illi mediatè, & remotè, eo quod contrarientur fidei, quæ est fundamentum Spei. Vnde quemadmodum id, quod contrariatur fundamento relationis, contrariatur etiam remotè, & mediatè relationi ipsi; eo quod relatio non subsistit sine suo fundamento, & id, quod contrariatur prudentiæ, contrariatur etiam virtutibus moralibus, quæ innituntur ipsi; ita etiam hæresis, aut infidelitas, quæ contrariantur proximè, & immediatè fidei, contrariantur remotè, & mediatè Spei, quæ in ipsa fundatur; & ita non solum destruitur per desperationem, & præsumptionem, sed etiam per hæresim, & infidelitatem.

Solutio contrariorum. Vnde ad primam rationem dubitandi respondeo, mentem Augustini non esse, quod qui habet malam conscientiam semper sit in desperatione, sed quod sit in periculo desperationis: eo quod sicut bona conscientia mouet ad sperandum, ita è contra mala conscientia, quantum est in se, trahit in desperationem, iuxta illud Sap. 17. *Præsumit enim sua perturbata conscientia*: quo non obstante, etiam qui habet malam conscientiam potest ex cōsideratione diuinæ bonitatis, & misericordiæ, allici ad sperandum, licet aliunde ex consideratione propriorum criminum retrahatur à Spe. Ad secundam dico, quod Spes est quædam erectio, seu eleuatio imperfecta, & per modum concupiscentiæ in Deum; & ita potest esse in peccatore, etiam si ille sit auersus à Deo, eo quod non est auersus, nisi quantum ad rationem amicitiæ. Ad tertiam dico, quod destructa Charitate, destruuntur omnes virtutes infusæ posteriores Charitate, & quæ sequuntur Charitatem, quales sunt virtutes morales infusæ; sunt etenim quasi propriæ passiones illius, non verò destruūtur virtutes infusæ priores Charitate, & quæ antecedunt Charitatem; quales sunt Fides, & Spes: sunt autem virtutes Fidei, & Spei priores Charitate, quia ex natura sua sunt dispositiones ad Pœnitentiam, ad quam sequitur Charitas.

Digitized by Google

Quæstio tertia.

Vtrum Spes sit in Beatis

Notatio. POtest hæc quæstio procedere, & de habitu ipso virtutis Spei, & de actu sperandi beatitudinem, aut circa alia bona: & tandem de actu sperandi sibi, aut alijs, de quibus omnibus aliquid dicendum.

Certum Et quidem loquendo de actu sperandi sibi beatitudinem, certissima res est non esse in beatis. Ita communiter omnes, & aliqui putant esse de fide. Probatur ex illo Pauli ad Rom. 8. *Quod videt quis quid sperat?* Et confirmatur, quia actus Spei est quidam motus tendentis in id, quod non habetur, sed existimatur possibile, & futurum; sed beati habent beatitudinem, ergo non sperant illam. Dices, saltem posse sperare continuationem, seu perseuerantiam beatitudinis, quam habent, quia re vera habet rationem possibilis, & futuri. Sed contra hoc est, quod ad rationem obiecti Spei non sufficit possibilitas, & futuritio, sed requiritur etiam arduitas: sed continuatio beatitudinis non habet rationem ardui respectu beatorum, ergo non possunt sperare illam. Maior est certa, & minor probatur, quia res dicitur ardua, quæ est difficilis consequutione; continuatio autem beatitudinis nihil habet difficultatis, neque ex parte beatorũ, quia cum illa summè delectentur non possunt desiderare ab ipsa, neque ex parte Dei, quia propter eius immutabilitatẽ notam beatis, non potest auferre illam, nihil ergo habet difficultatis, aut arduí. Est tamen difficultas, an saltem circa gloriam corporis futurã in resurrectione carnis, vel circa beatitudinem, aut bona, quam desiderant viatoribus, sit in beatis aliquis actus Spei, vel saltem habitus ipse.

1. sentẽt. In quo 1. sent. affirmat in beatis esse Spẽ, & quantum ad actum, & quantum ad habitum. Ita Gerson. Probatur, quia si propter aliquam rõem nõ esset in beatis Spes, maximè, quia illa habet pro obiecto beatitudinem, futuram, beati autem illam habent præsentem: sed hæc ratio est nulla: ergo. Probatur minor, quia differentiæ temporis per accidens se habent respectu obiectorum partis intellectiuę, eadem enim est cognitio secundum speciem qua cognosco Petrum præsentem, & futurum, ergo etiam se habebunt per accidens ad partem appetitiuam, atque ita per accidens se habebit ad Spem, quod obiectum sit futurum, vel præsens, ac proinde poterit etiam esse Spes circa obiectum præsens.

Secunda sententia ponit in Beatis actũ Spei, sed non habitum. Ita Vasquez loquens de anima Christi, de qua est eadem ratio, ac de alijs animabus Beatorum. Probatur, quia beati sperant gloriam corporum; rursus sperant beatitudinem alijs viatoribus, ergo habent actum Spei. Quod verò non habebant habitum probabitur Inferius. Secunda.

Tertia sententia licet neget beatis actũ, qui sit propriè Spes, ponit tamen in illis habitum Spei, & aliquos actus ab ipso elicitos. Ita Suarez, Becan. Palaus, & alij. Probatur, quia ad hoc quod ponatur in beatis habitus Spei, sufficit, quod in illis sint aliqui actus, qui petant elici, & de facto eliciantur ab ipso; sed in beatis reperiuntur aliqui actus, qui petunt elici à virtute Spei, & de facto eliciuntur ab illo, ergo in beatis manet habitus Spei. Probatur minor, quia in beatis est amor concupiscentiæ, quo diligunt sibi beatitudinem supernaturalem, abstrahentem à præsenti, vel abienti: deinde est in illis gaudium, seu delectatio de beatitudine præsenti, quam habent; rursus est expectatio de gloria corporis futura: sed isti actus pertinent ad virtutem Spei, cuius signum est, quod in via eliciuntur ab illa, ergo. Secundo, quia si propter aliquam causam non esset ponendus in beatis habitus Spei, maximè, quia in illis non est futurus aliquis actus ab eo elicitus; sed hæc ratio non obstat, ergo: probatur minor, quia etiam si in beatis non sint futuri actus potentiæ generatiuæ, nutritiuæ, aut augmentatiuæ; nihilominus in illis sunt istæ potentiæ: similiter licet in ipsis non sint futuri actus aliquarum virtutum moralium, v.g. Temperantiæ, Fortitudinis, Liberalitatis &c. nihilominus ponuntur in illis istæ virtutes, vt docet Sanctus Thomas 1. 2 quæst. 67. articulo primo: ergo similiter in proposito, licet in beatis non sint actus Spei, erit nihilominus habitus. Tertia.

Quarta sententia vniuersaliter negat in beatis manere Spem, siue quoad actum, siue quoad habitum. Ita tenet Sanctus Thomas hic articulo 2. & cum ipso plures Theologi, specialiter Aragon, Bañez, Lorca, Valentia, Malderus, Silulus, Turrianus, & Granadus, plures alios referens ex antiquioribus. Adde ex nostris Siluestranum in 3. lect. 78. Quarta.

Dico ergo primo, in beatis non est aliquis actus Spei. Hęc conclusio est authorum quartæ sententiæ, contra authores aliarum, est etiam Bachonij in 3. dist. 26. art. 4. Probatur generaliter hac ratione, 1. cõclus.

Digitized by Google

quia si in beatis esset aliquis actus Spei, maximè, quia expectant, aut desiderant gloriam sui corporis, & beatitudine m. ; aut alia bona viatoribus : sed isti actus nō sunt actus Spei, ergo &c. Probatur minor, quia expectatio gloriæ corporis, & beatitudinis, aut bonorum viatoribus est actus Charitatis ; ergo non Spei : consequentia patet, & antecedens probatur, tum ex D. Thom. 1. 2. quæst. 67. articulo quarto, ad tertium, & hoc loco art. 2. ad quartum, vbi manifestè docet expectationem gloriæ corporis non pertinere ad Spem : & cum in solutione ad tertium dixisset, desideriū beatitudinis aliorum pertinere ad Charitatem, sequitur ex mente ipsius vtrumque actum pertinere ad Charitatem : tum etiam ratione, quia cum obiectum actus Spei sit bonum arduum, futurum, nihil potest cadere sub actu Spei, quod arduum non sit ; sed gloria corporis, & beatitudo aliorum non est ardua beatis, ergo circa illa non habent actum Spei. Minorē, quod attinet ad gloriam corporis, probant aliqui, quia beati sunt certi de gloria sui corporis : sed est probatio ineffica, quia etiam animæ Purgatorij sunt certæ de consecutione beatitudinis, & etiam B. Virgo, & illi quibus facta fuit reuelatio de sua salute, erant certi de illa, & tamen eam sperabant. Aliter ergo probatur sic, quia illud dicitur & est arduum respectu Spei, quod mediis difficilibus assequendum est : hac enim ratione beatitudo est ardua viatoribus, & animabus purgatorij, quia scilicet mediis laboribus, & satisfactionibus est acquirenda : sed gloria corporis, aut beatitudo viatorum non est assequenda à beatis huiusmodi operibus difficilibus ; sed gloria corporis est illis debita, & connaturalis ; beatitudinem autem, & bona viatorum solis precibus impetrant à Deo : ergo non sunt obiectum arduum. Confirmant id viterius Diuus Thomas, & Bachonius supra, quia licet gloria corporis sit quodam arduum comparatione facta ad naturam humanam absolutè consideratam, tamen non ad iam habentem gloriam animę, tum quia gloria corporis est quid minimum ad comparationem gloriæ animę ; tum etiā, quia habens gloriā animę habet sufficienter causam glorię sui corporis : ergo non est proprie actus Spei circa gloriam corporis in beatis. Præterea secundo ad idem, quia cum status beatorum sit perfectissimus, perfectior modus agēdi debet tribui ipsis, sed perfectior modus desiderādi sibi, aut alijs aliqua bona, est potius ex motiuo Charitatis, & per actum Charitatis ; quam ex motiuo Spei, & per actum Spei, cum virtus Charitatis sit perfectior Spe : ergo quicquid desiderant, aut expectant beati, sibi aut alijs, expectant, & desiderant per actus Charitatis, & non per actus Spei : ac per consequens nullus est actus Spei in beatis. Confirmatur viterius, quia dum voluntas beatorum est absorpta in amorem Dei, vtpotè, quia illum amant amore necessario quoad specificationem, & exercitium, credendum est desiderium cuiuscunque rei, quam sibi, aut aliis desiderant beati, elici ex motiuo Charitatis, & per actum Charitatis, & non ex motiuo Spei, & per actum Spei : ergo desiderium glorię corporis, & beatitudinis aliorum non erit actus Spei, sed Charitatis, ac per consequēs nullus actus Spei erit in beatis.

Secunda

Dico secundo, neque in beatis est habitus Spei. Ita authores quartæ sententiæ contra authores primę, & tertię. Probatur primò, ratione quam indicat Sanctus Thomas hic in solutione ad primum, & 3. par. quæst. 7. artic. 4. ad secundum, quia habitus non ponitur in aliquo subiecto, nisi in illo etiam sit actus circa primariū obiectum talis habitus ; sed in beatis, vt omnes admittunt, non est aliquis actus circa obiectum primarium virtutis Spei, quod est visio beatifica, vt dixi in principio huius quæstionis ; ergo non est in illis actus Spei. Secundo, quia non debet poni aliquis habitus, aut virtus in beatis, nisi ille sit necessarius ad eliciendum aliquē actum, vel saltem ille pertineat ad ornatum, & perfectionem illorum : sed habitus Spei non est necessarius ad eliciendum aliquem actum, quia, vt dixi, actus illi, qui ab illo poterant elici, perfectius, & cōnaturaliùs statui beatorum eliciuntur ab habitu Charitatis (& idem dico de alijs actibus, qui assignantur in primo argumento pro tertia sententia, propter eandem rationem) : nec rursus habitus Spei potest pertinere ad ornatum beatorum, quemadmodum enim habitus fidei, eo quod includat imperfectionem, scilicet inclinare ad actum obscurum, & inuidentem, non pertinet ad ornatum, & ita nec ponitur in beatis ; ita etiam habitus Spei, eo quod includat etiam aliam imperfectionem, quæ est, inclinare ad obiectum absens, & non præsens, obtinendum, & non obtentum : etiam non pertinebit ad ornatum, nec ponetur in beatis : ergo nulla est ratio quare habitus Spei sit ponendus in beatis.

Solutio argum. contrar.

Vnde ad argumentum pro prima sententia concessa maiori nego minorem, & ad probationem dico, quod quamuis differentiæ temporis per accidens se habeāt respectu partis intellectiuę, non verò se habent per accidens respectu partis appetitiuæ, seu volitiuæ : cuius ratio est, quia pars appetitiua, scilicet voluntas, tendit in res prout sunt à parte rei, res autem

prout

prout sunt à parte rei non semper sunt eodem modo, sed contingit illis aliquãdo esse præsentes, aliquando præteritas, aliquando verò futuras, & ita diuersificãtur specie actus voluntatis circa illa; at verò pars intellectiua, scilicet intellectus, rendit in res eodem modo semper, scilicet prout sunt in intellectu mediante sui specie, & ideo non diuersificantur specie actus intellectus penes hoc, quod obiecta sint præsentia, vel futura. Legantur Caietanus, & Aragonius. Ad fundamẽtum secundæ sententiæ constat ex probatione primæ conclusionis, illos actus non elici à beatis per virtutem Spei, sed Charitatis. Vide Tannerum.

Solutio contrariorum.

Ad primum fundamentum tertiæ sẽtentiæ concessa maiori, nego minorem; & ad probationem dico, omnes illos actus elici à beatis non per virtutem Spei, sed per virtutem Charitatis, vt constat ex probatione primæ conclusionis. Addo etiam, quod quamuis à viatoribus non eliciantur semper, aut regulariter, nisi per virtutem Spei; nihilominus etiam elici possunt, & de facto eliciuntur à viris perfectis ex virtute Charitatis, quos eliciunt propter gloriam Dei, aut motiuum formale huius virtutis, prout rectè admittunt Suarez, Granados, & alij. Quin ait Granados, fortasse id voluisse Apostolum cum dixit 1. Corinth. 13. *Charitas omnia sustinet, omnia sperat.* Ad 2. cõcessa maiori nego minorẽ, & ad primam probationẽ dico, esse diuersam rationem inter illas potentias ex vna parte, ac Spem ex alia, illæ enim pertinent ad integritatem naturæ, & ideo quamuis non sint habituræ actum ponuntur in beatis, secus verò de Spe, quia non pertinet ad integritatem naturæ; & ex alia parte inuoluit imperfectionem assignatam. Ad secundam probationem duo dicenda sunt, primum est, quod licet in beatis non sint futuri actus exteriores virtutum moralium, futuri sunt tamen actus interiores, scilicet gaudium, & delectatio de similibus actibus in via ab ipsis elicitis, & ita ad huiusmodi actus connaturaliter eliciendos ponitur in beatis habitus virtutum moralium. Secundum est, quod quamuis nec essent futuri in beatis isti actus interiores pertinentes ad has virtutes morales, adhuc in illis ponendæ essent, scilicet ad ornatum, & decorem beatorum: habitus autem Spei non potest pertinere ad ornatum, eò quod includat imperfectionem assignatã in probatione 2. conclus. sicut propter eandem rationem non ponitur habitus fidei, vt ibidem diximus. Si dicatur, etiam aliquos habitus virtutum moralium includere aliam imperfectionem, scilicet dicere ordinem ad passiones domandas, & coercendas; dico, hoc non esse de ratione illarum, cum in hominibus perfectis, in quibus huiusmodi virtutes sunt, & vocãtur heroicæ, seu purgati animi, non repetiantur cum tali ordine ad passiones domandas, & etiam in Adamo fuerunt in statu innocentiæ, quando non habebat passiones inordinatas domandas: vnde solum petunt essentialiter esse principia talium actuum circa propria obiecta, constituendo mediocritatem circa illa.

Quæstio quarta

Vtrum Spes sit in damnatis

Damnatorum duplex genus.

DVplex genus damnatorum distinguere possumus, aliud est damnatorum ad pœnas temporales purgatorij: quales sunt animæ ibi existentes, aliud est damnatorum ad pœnas æternas inferni, de vtrisquè dicendum.

De animabus purgatorij.

Loquendo autem de animabus purgatorij certa res est esse in illis actum, & habitum Spei. Et ratio est, quia quamuis illæ sint certæ, & securæ de consequenda beatitudine, nihilominus iudicant illam esse possibilem, futuram, & arduam sibi, vt pote obtinendam à Deo, medijs illis pœnis, quas patiuntur; sed nihil aliud requiritur ad Spem: ergo. Confirmatur primò, quia viatores, quibus reuelatum est à Deo futuros esse beatos, qualis fuit sine dubio B. Virgo, & fuerunt Apostoli, maximè Paul. iuxta illud secundo ad Thimoth. 4. *reposita est mihi corona iustitiæ*, etiam erant certi, & securi de beatitudine obtinenda, & tamen sine dubio habebant Spem sicut alij iusti; eò quod iudicabant beatitudinem, vt possibilem, futuram, & arduam medijs laboribus huius vitæ: ergo etiam animæ purgatorij propter eandem rationem. Confirmatur secundo; quia Spes non tollitur, nisi per præsentiam obiecti, vel per actus contrarios; sed animæ purgatorij, dum erant in via habebant Spem, & in Purgatorio non habent actus ipsi contrarios, ergo non tollitur ab illis nisi aduenientè *quod perfectum est*, scilicet beatitudine.

De damnatis in inferno.

Loquendo etiam de damnatis in inferno, videtur, quod in illis possit esse Spes, primo, quia potest esse aliquis damnatus in inferno qui per totam vitam suam habuit fidem, & Spem, & nunquam habuit actum contrarium; ergo in illo poterit manere Spes: patet consequentia, quia, vt dictum est, Spes non destruitur, nisi per

actum

actum contrarium, vel per infidelitatem. Secundo, quia, si propter aliquam rationem non potest esse in damnatis Spes, maximè, quia non possunt apprehendere beatitudinem, vt sibi possibilem, & futuram; sed possunt ita apprehẽdere; ergo possunt habere Spem. Probatur minor quoad primam partem de possibilitate, quia verè Deus potest de sua potentia absoluta dare beatitudinem damnatis in inferno, vel sine eorum meritis, vel renouando eos ad vitam miraculosè, sicut multi, qui dicuntur resuscitati precibus sãctorum, & dando illis postea merita: sed hoc cognoscunt damnãri: ergo. Quoad secundam verò partem de futuritione beatitudinis, probatur eadem minor, quia potest aliquis damnatus mori cum errore Origenis, quod pœnæ inferni sunt finiẽdæ & perseuerare cum tali errore in inferno, ergo poterit apprehendere beatitudinem; vt futuram.

Vera sẽtentia. Nthilominus communis, & vera sententia Theologorum omnium docet, non esse Spem in damnatis inferni, neque quoad actũ, neq; quoad habitum. Sic colligò ex Bachonio in tertio distin. 26 quæst. vnic. ar. 4. Probatur primo, quia ad hoc, quod sit in aliquo Spes est necessarium, quod apprehendat beatitudinem, vt sibi possibilem, & futuram: sed damnati hoc non faciunt: ergo non habent Spem; minor probatur, quia verè apprehẽdunt suã damnationem fore perpetuam, & æternã; tum quia hoc pertinet ad conditionem summæ miseriæ, quam habent damnati; sicut pertinet ad summam felicitatem beatorum, quod cognoscant beatitudinẽ forè etiam perpetuam, & æternam; tum ex illo Iob. 15. quod ad hoc propositum adducit S. Thom. *Non credit, quod reuerti possit de tenebris ad lucem*, ergo. Ex quo etiam secundo probatur, quia damnati desperant de beatitudine consequenda, ergo non est in illis Spes, patet consequẽtia, quia Spes destruitur per desperationẽ, & antecedens probatur, quia eò ipso quod cognoscunt pœnas inferni futuras esse æternas apprehendunt beatitudinem vt sibi impossibilem, & non futuram: ergo desperant de consequtione illius. Tertio, quia, vt diximus in superioribus, in quibus non manet fides non potest manere Spes; eò quod fides sit fundamentum Spei; sed in damnatis non manet fides, vt diximus Tractat. 1. primo disp. 7. quæst. 1. ergo neque Spes.

Solutio rat. dub. Vnde ad primam rationem dubitandi respondeo, admisso casu antecedentis negando consequentiam, & ad probationem dico, etiam futurum in damnatis actum desperationis; atque ita destrui habitum Spei: imo dato quod non desperarent, adhuc destrueretur ex defectu conseruationis Dei, quia licet in via non destruatur Spes, nisi per actus contrarios, in termino tamen vitæ destruitur ob cessationem concursus diuini, quo conseruabatur: quo etiam modo destruitur Fides, & Spes etiam in Beatis. Imo addendum est, quod etiam aliquo modo ex natura rei destruitur habitus Spei in damnatis, eo quod habitus non est nisi propter actus, actus autem Spei est impossibilis in damnatis ob defectum obiecti, vt dictum est. Ad secundam concessa maiori, nego minorem, & ad primam probationem dico, quod cum obiectum Spei non sit quomodolibet possibile, sed tale possibile, quod apprehendatur vt futurum, ideo possibile secundum potentiam absolutam solum, & impossibile secundum potentiam ordinariam, quale est beatitudo damnatorũ non est obiectum Spei, quia non aprehenditur vt futurum, sed potius, vt non futurum, & sic potius est obiectum desperationis, quam Spei. Ad secundam verò dico etiam illum damnatum, qui mortuus fuerit cum illo errore non posse sperare, aut perseuerare in illo in inferno, quia vt dictum est, certò sciet oppositum, Deo ita ordinante, in pœnam ipsius, & ita ammittet ignorantiam in malum suum.

De pueris Lymbi. Addendum vltimo, in pueris Lymbo non esse vllo modo Spem. Tum quia nunquam illam habuerunt; tum quia ignorant res supernaturales; ac per consequẽs nequeunt habere illam; præsertim cum careant auxilio supernaturali ad hunc actum eliciendum. Sic fermè Suarez.

Quæstio quinta.

An detur aliquod præceptum de Spe.

Distinct. præcepti. DIstinguendum est de præcepto affirmatiuo, & negatiuo spei; illud enim est de sperando, istud vero de non desperando, seu non præsumendo: & de vtroque est quæstio.

1. concl. Dico ergo primo, datur præceptum affirmatiuum Spei. Est conclusio certissima, & apud aliquos de fide tenenda: eamque docet S. Th. q. 22. ar. 1. & Theologi cum ipso. Colligitur primo ex S. Scriptura Psalm. 4. *Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino*. Psalm. 61. *Sperate in eo omnis congregatio populi*: Matth. 9. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*. Ad Tit. 2. *Sobrie, & iustè viuamus in hoc sæculo expectantes beatã Spem*. Vnde Diu. Augustin. Tract. 3. in Ioann. *Quam multa nobis mandata sint de Spe*.

Secundo,

Digitized by Google

Secundo, quia omnis actus, qui eſt medium neceſſarium ad ſalutem, cadit ſub præcepto; ſed actus ſpei eſt tale medium: ergo. Probatur min. tum ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. vbi inter diſpoſitiones neceſſarias ad iuſtificationem ponitur Spes, & can. 26. dicitur, quod iuſti debent ſperare retributionem à Deo; tum ex locis S. Scripturæ, in quibus ſalus noſtra tribuitur Spei, quale eſt illud ad Rom. 8. *Spe ſalui facti ſumus*; tum etiam, quia ſpectata fragilitate humana, & inclinatione ad bona præſentia, moraliter impoſſibile eſſet quod homines viam virtutis ſequerentur ſuperando tot tentationes, & ſpernendo ſæculi voluptates, niſi ad id erigerentur ſpe retributionis vitæ æternæ, dicente Apoſtolo 1. Corinth. 9. *Debet in Spe qui arat arare, & qui triturat in ſpe fructus percipiendi.* Vnde infertur hoc præceptum non ſolum eſſe poſitiuum, vt colligitur ex locis S. Scripturæ adductis, ſed etiam eſſe quodam modo naturale; eo quod poſito quod homo creatus eſt à Deo ad conſequendam beatitudinem, natura ipſa dictat quod ſperet illam, vt inde inducatur ad bene operandum.

Obiectio. Sed dices, præcepta diuina, præſertim naturalia, debent includi in præceptis Decalogi; ſed præceptum Spei non includitur in illis; ergo non datur tale præceptũ. Reſpondeo tamen ex doctrina S. Th. eo ar. 1. præceptum Spei includi virtualiter, & implicite in primo, & quarto præcepto Decalogi, per modum promiſſionis: in primo quidem præcepto illis verbis Exodi 20. *Ego ſum DEVS*, &c *faciens miſericordiam in millia his qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea*: & in quarto illis verbis: *Honora patrem tuum*, &c. *vt ſis longæuus ſuper terram, quam Deus daturus eſt tibi.* Eo enim ipſo quod in his duobus præceptis Deus promittit obſeruantibus legem, præmium, conſequenter præcipit ipſis habere ſpem de tali præmio. Reſpondeo etiam ſecundo, iuxta doctrinam eiuſdem S. Doctoris in corpore articuli, præceptum Spei, ſicut etiam fidei, non eſſe de ſubſtantia legis, ſed præambula ad illam; eo quod lex non debuit dari niſi credentibus legislatorem eſſe talem, vt deberent ſubijci illi, & ſperare præmium ab ipſo. Intellige, quia fides eſt fundamentum vitæ ſpiritualis, & Spes eſt illi valde proxima: propterea enim Apoſtolus ad Hebr. 11. ait: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.*

Concluſ. Secunda. Dico ſecundo, etiam datur præceptum negatiuum Spei, ſcilicet de non deſperando, ſeu non præſumendo. Ratio eſt, quia iuxta communem doctrinam, in omni præcepto affirmatiuo includitur negatiuũ de actu contrario: ſicut in præcepto affirmatiuo credendi includitur negatiuum non diſcredendi; & in affirmatiuo amandi negatiuum non odiendi. Vnde infero, hoc præceptum eſſe naturale: tum ex dictis de præcepto affirmatiuo; tum quia eſto quod ipſum affirmatiuum naturale non eſſet, ſed ſolum poſitiuum, nihilominus adhuc præceptum negatiuum eſſet dicendum naturale: eo quod licet ex ſola Dei voluntate dependeret ipſum ſperare; tamen poſita iſta voluntate, ex natura rei oriretur obligatio non deſperando: quia deſperare eſt actus contrarius actui bono, qui a Deo erat præceptus, ac per conſequens intrinſicè malus, & peccatum.

Dubium. Præcipuum tamen dubium eſt, quo tempore obliget hoc præceptum Spei. Et quidem loquendo de præcepto negatiuo certa res eſt illud omni tempore obligare: hæc enim eſt natura præcepti negatiui, quod ſemper, & pro ſemper obliget; ad differentiam affirmatiui, quod obligat ſolum pro determinato tempore. Solum ergo eſt difficultas de præcepto affirmatiuo. In qua diſtinguere oportet de tempore, in quo per ſe, & propter ſe obliget; & de tempore quo obliget per accidens, ſcilicet ratione alterius præcepti, quod ſine actu ſpei adimpleri non poſſit.

Obligatio præcep. Spei. Et in primo ſenſu dicendum, præceptum affirmatiuum Spei obligare cum primo poſt vſum rationis homini ſunt propoſita ſufficienter myſteria fidei. Sicut enim tunc, iuxta dicta ſupr. Tract. 1. diſp. 3. q. 7. tenetur elicere actum fidei, ſic & actum Spei. Idem dico conſequenter etiam ad eo loco dicta, quando homo adultus primo conuertitur ad fidem, & recte de illa inſtruitur. Præſertim, quia, vt inquit Apoſtolus loco ſupra relato ex ad Hebr. 11. *Accedens ad Deum debet credere, quia eſt, & remunerator ſit.* Eo autem tempore homo accedit ad Deum, & ita ſicut debet credere *quia eſt*, ita debet ſperare, quia *remunerator eſt*. Dico ſecundo, tempore etiam mortis obligat hoc præceptum. Ratio eſt, quia tunc maximè tenetur homo prouidere ſaluti animæ ſuæ. Dico tertio, tempore intermedio inter illud, in quo homo primò venit ad vſum rationis, & tempus mortis, etiam obligat hoc præceptum. Ratio eſt, quia non videtur credibile quod præceptum naturale, & diuinum maximè neceſſarium ad ſalutem ſpiritualem, & vitam humanam rectè inſtituendam, ſolum obliget in extremis terminis vitæ hominis, & non tempore intermedio. Vnde conſulendi ſunt fideles, vt ſæpius exerceantur in actu Spei, & ita erunt ſecuri, quod adimpleuerint hoc præceptũ: ſecus autem qui id nõ fecerint.

Loquen-

Alia de ipso.

Loquendo autem in secundo sensu, tres casus communiter assignantur à Theologis, in quibus per accidens obliget hoc præceptum. Primus est, quoties homo per pœnitentiam se disponit ad iustificationẽ; quia vna ex dispositionibus est Spes: secũdus, tempore orationis faciendæ; quia pro oratione debitè facienda est necessaria: tertius, cum insurgit aliqua tentatio contra Spem, quia hæc non vincitur, nisi per actum Spei, vel per orationem, ad quam etiam exigitur. Vide etiam Azor, & Sanchez. Notant aut Bañez, Valentia, Suarez, Tannerus, Caspensis, Serra, & Palaus, quod omissio actus Spei in his casibus non est distinctum peccatum ab eo, quod tunc committitur; quia actus Spei solum est tunc necessarius ne illud committatur.

Alia.

An autem obliget præceptum Spei in casu quo homini esset facta reuelatio de sua condemnatione dicetur disputatione quarta.

DISPVTATIO III.

De Timore.

Quæstio prima.

Quid, & quotuplex sit Timor.

Timoris acceptiones.

TImoris nomine plura intelligi possunt. Primo, passio illa appetitus sensitiui, qua parte est irascibilis, de quo egimus tom. præcedenti Tract. 3. disp. 2. quæst. 2. & diximus esse fugam *mali ardui futuri seu imminentis euitatu difficilis*, vbi etiam qualiter opponatur Spei; & de alijs ad ipsũ spectantibus. Secundo, donum Spiritus S. appellatum etiam *timor*, de quo similiter eodem tomo Tract. 4. disp. 6. quæst. 1. diximus, esse habitum quendam ad reuerendum Deum supra regulas communes, & ordinarias. Tertio, vitium illud contrarium virtuti fortitudinis; quod *timor*, vel timiditas appellatur à D. Thom. 2. 2. quæst. 125. Quarto, vt in præsenti, actus aliquis quo voluntas fugit aliquod malũ contrarium bono, quod speramus per virtutem Spei. Videndi ex nostris Ioannes Beetz de præcep Decalog. præcept. 1. expos. 2. ca. 5. Siluestranus in 3. lect. 90., & Philippus à Sanctissima Trinitate to. 3 disp. 10. dub. 6. & 7.

Diuisio.

Pro quo supponenda est communis diuisio timoris in *mundanũ, seruilẽ, filialẽ, & initialem*. Timor *mundanus* est, quo quis timet damna, aut incommoda temporalia, adeo vt propter illa effugienda committat aliquod peccatũ *Seruilis*, quo quis timet pœnas v.g. inferni, à Deo constitutas pro peccatis, & propterea abstinet ab illis, & bene operatur. *Filialis*, quo quis timet peccare propter ipsam offensã Dei. Denique *initialis* est idem, quod filialis in initio, & ita comparatur cum illo sicut imperfectum cum perfecto. Siluestan. sup.

Certum.

Ex his timoribus certum est, quod *mũdanus* semper est malus, vt inquit S. Thõ. hic quæst. 19. ar. 3. inclinat enim ad peccatum, & est causa ipsius. Nascitur etiã ex amore mundano, qui etiam est malus, iuxta illud 1. Ioann. 2 *qui diligit mundũ non manet Charitas Dei in eo*. Et propterea reprehẽditur à Christo Domino Math. 10. & Luc. 12. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus*. Malitia autem ipsius erit talis, quale fuerit peccatum, quod propter ipsum committitur. Certum etiam est quod timor filialis sit bonus. Est n. *Sãctus* iuxta illud Ps. 18. *Timor Domini Sanctus permanens in seculum seculi*. Vocatur etiã à D. Aug. & alijs *castus*, sumpta methaphora à sponsa, quæ fidelitatem seruat suo spõso, non propter pœnam quam ab illo timeat, sed propter amorem ipsius, & castitatis. Propterea etiam vocatur *filialis*, quia proprium est filiorum seruire parentibus ob amorem, non propter mercedem vt faciunt serui. Vnde Apostolus ad Romanos 8. inquit: *Non accepistis Spiritum seruitutis iterum in timore*, id est, quemadmodũ fideles veteri testamenti, quibus lex est imposita cum minis, & terroribus, sicut seruis; *sed accepistis Spiritũ adoptionis filiorũ*; quia ex amore debẽt fideles noui testamenti legem Euangelicam seruare. Similiter timor *initialis* et iam est bonus, siquidem, vt diximus, est idem cum filiali in initio, licet minus perfectus illo. De timore autem seruili est difficultas an sit bonus, vel potius malus.

In qua Lutherus, prout ex eius scriptis colligit Bellarminus, dixit, timorem seruilem esse malum: excusant tamen illum Kemnitius, & Caluinus. Quidquid de eo sit hoc placitum probatur primo, quia, cũ per hunc timorem homo timeat peccare, vt fugiat pœnã, supponit habere voluntatem peccandi, saltem conditionaliter si pœna non adesset: ergo est malus. Confirmatur ex vulgari illo: *Oderunt peccare mali formidine pœnæ, oderunt peccare boni virtutis amore*: quemadmodum ergo timor filialis, quia est odium peccati *virtutis amore* est bonus, ita timor seruilis, qui est odium peccati formidine *pœ-*

na

no erit malus. Secundo, quia malum est, & inordinatum, detestari culpam propter fugiendam pœnam: sed timor seruilis hoc facit; ergo. min. constat, & maior probatur, quia detestari culpam propter fugiendam pœnam, est ordinare maius bonum, quale est carentia culpæ, ad minus bonum, quale est carentia pœnæ.

Concles. certa. Certa tamen veritas est, timorem seruilem, quo videlicet aliquis fugit peccatum ad vitandam pœnam, v.g. inferni, esse bonum, & honestum. Videtur definita à Cõc. Tri. sess. 14. c. 4. vbi dicitur, attritionẽ, qua detestamur peccata propter metum pœnę esse donum Dei, & ex impulsu Spiritus Sancti. Et sessione 6. can. 8. vbi anathematizatur qui dixerit, *Gehennæ metũ per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores facere.* Colligitur secũdo ex Sac. Scriptura Iob 9. *Verebar omnia opera mea sciens, quod non parceres delinquenti.* Psal. 118. *Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui.* Luc. 12. *Timete eum, qui postquam occiderit habet potestatem mittere in gehennam.* Apocalyp. 14. *Timete Dominum &c. quia venit hora iudicij eius.* Tertio, ex plurium PP. testimonijs, quę afferunt Caitrus, Bellarminus, Valentia, & alij Controuersistę. Quarto, ratione, à priori quidem, quia talis actus detestationis peccati, propter euitandam pœnam non est malus ex parte detestationis peccati, quia cum peccatum sit maximũ omnium malorum, detestari illud necessario est bonũ, & conueniens naturæ rationali: nequè ex parte fugę pœnę, quia etiam pœna est mala, & disconueniens eidem naturę, & conformẽ volũtati Dei ipsã fugere: propterea enim ipsam comminatur: ex nullo ergo capite habet malitiam ille actus. Secunda, à posteriori, quia timor iste reuocat hominem à peccato, & facit illum cautum, & diligentem in obseruantia mandatorum Dei: ergo est omnino bonus, & honestus.

Notatio. Pro solutione tamen eorum, quę obiecta sunt, notandum; dupliciter posse aliquem detestari peccatum propter pœna, vno modo vt simul habeat adiunctũ affectum erga culpam, ita vt velit eam committere, si non esset talis pœna: secundo, vt absolutè detestetur peccatum ob timorem pœnę, nullum omnino habens adiunctum talem affectum erga culpam. In primo casu talis timor est malus, & vitiosus, vtpote admittens affectum ad peccatum, & prę ferens malum hominis malo Dei, scilicet malum pœnę malo culpę; & talis timor vocari solet *timor seruilis seruiliter*: in posteriori autem est bonus, & honestus, quia econtra excludit omnem affectum ad peccatum, & prę fert malum Dei malo hominis: ideſt malũ culpę malo pœnę. Vnde de hoc posteriori modo timoris procedunt ea, quę diximus, non de illo priori.

Solut. cõtrariorũ. Ex quo iam patet ad primam obiectionem in contrarium cum sua confirmatione, solum enim probant non esse bonum priorem modum timoris, non posteriorem. Similiter ad secundam dico, maiorem illius solum esse veram, quando detestatio culpę propter fugiendam pœnam admittit affectum aliquem ad culpam, secus verò, quando illum excludit, prout nos loquimur. Ad probationẽ aũt maioris dico, quod cum quis detestatur culpã propter fugiendam pœnam non ordinat vltimare maius bonum in minus: nam cum illa carentia pœnę sit secundum rectam rationem, & voluntatem Dei (qui sicut vult, quod homines saluentur, ita etiam quod fugiant pœnas inferni) ideo etiam cedit in gloriam Dei, & ex natura sua in illam refertur, ac propterea carentia culpę non ordinatur in minus bonum, cum ordinetur vltimatè in talem gloriam Dei, quod est maximum bonum. Vide pro hac solutione Suarez, Coninck, & Granadum.

Quæstio secunda.

Ad quam virtutem spectet actus Timoris.

Notatio. NOn est quęstio de timore mundano; quia cum ille sit malus, & vitiosus, non spectabit ad aliquam virtutem, sed potius ad aliquod vitium, illud scilicet, quod fuerit causa peccati, quod ex hoc timore cõmittitur. Nec etiã de timore seruili vitioso, eo videlicet, qui habet adiunctum affectum aliquem ad peccatum, quia ille etiam spectabit ad vitium, quod est causa talis affectus: Solum ergo est quæstio de timore seruili honesto, & de timore filiali.

1. conclu. Dico ergo primo, timor seruilis honestus elicitur à virtute Spei. Est communis doctrina, quam docent Suarez, Lorca, Malderus, Turrianus, Coninck, Caspensis, Amicus, & alij contra nonnullos. Ratio est, quia ex communi etiam doctrina, quam ex Diu. Thom. sæpius, Alexandro, Durando, Caietano, & alijs defumunt moderni generaliter loquendo, eadem virtus, quæ inclinat ad amandum aliquod bonum, inclinat etiam ad fugiẽdum malum ipsi contrarium, sicut quia Charitas inclinat ad amorem Dei, inclinat

nat quoque ad fugiendum peccatum illi contrarium: cum ergo virtus Spei inclinet ad amandum beatitudinem, inclinabit etiam ad fugiendum contraria ipsi, qualia sunt pœnæ inferni. Idem etiam dicendum de timore aliquarũ pœnarum, seu aliorũ malorum, quæ contrariantur illis bonis, quæ conducunt ad beatitudinem. Ratio est, quia quemadmodum amor talium bonorum pertinet ad Spem, eo quod bona illa sunt obiecta materialia Spei, quatenus conducunt ad beatitudinem, iuxta dicta disp. prima, quæst. secunda; sic e contra, timor, seu odium malorum, quæ sunt contraria talibus bonis pertinebit ad Spem tanquam materia fugienda per ipsam, propter rationem assignatam.

Obiectio. Obijcies quia Spes non potest aliquid agere nisi sub tõe formali sui obiecti specificativi, quod est beatitudo; & auxiliũ diuinum, iuxta dicta ea quæst. secunda; sed sub illa ratione non cadunt istę pœnę, aut ista mala, sed solum bona ipsa: ergo. Respondeo negando min. quemadmodũ enim voluntas non solum est boni, sed etiam mali; non quidem per modum prosecutionis, sed per modum fugę, & sub ratione boni, vt diximus tomo precedenti Tract. 2. disp. 3. quęstione 5. sic habitus Spei non solum est circa bona, sed circa mala, sub ratione tamen illorũ bonorum: ita vt quemadmodum versatur circa bona quatenus conducunt ad beatitudinem, & sub ratione auxilij diuini; sic etiam timeat mala illis contraria ratione eorum bonorum, & auxilij diuini. Vide Amicum.

Secunda. Dico secundo, timor filialis est actus virtutis Charitatis. Ita etiam Suarez, Turrianus, Tannerus, Coninck, Granadus, Amicus, & alii, ex fundamento adducto, videlicet, quod eadem virtus, quæ inclinat ad amandum aliquod bonum, inclinat etiam ad fugiendum malum contrarium: cum ergo Charitas inclinet ad amorem Dei, inclinabit etiam ad fugiendum peccatum, quod est contrarium Deo: ac proinde timor filialis, quo timetur peccatũ, prout est offensa Dei, elicietur à Charitate, quæ inclinat ad bonum Dei, & amicitiam ipsius. Confirmatur ex alia communi doctrina, de qua Tomo præcedenti, videlicet, quod intentio finis, & electio mediorum pertineant ad eandem virtutem: cum enim timor, seu fuga peccati sit medium ad conseruandum bonum Dei, & amicitiam ipsius, ad vnam, & eandem virtutem Charitatis vtrumque pertinebit. Idem etiam dicendum de timore initiali, siquidem, iuxta dicta quæst. præcedenti, est idem quod filialis in initio.

Difficult. Est tamen difficultas contra hanc doctrinam, quod videlicet D. Thom. hic quæst. 19. arti. 9. quem sequuntur Theologi, ait quod timor filialis, seu castus pertinet ad donum Spiritus Sancti, qui vocatur timor: ergo non ad Charitatem. probatur consequentia, quia, iuxta dicta Tomo præcedenti Tract. 4. disputatio. 6. quæstione 1. dona Spiritus Sancti, iuxta doctrinam eiusdem S. Thom. Bachonis, & plurium aliorum, sunt habitus distincti à virtutibus. Respondetur tamen, omissis alijs, quod cum dona Spiritus Sancti, iuxta dicta eo loco, in hoc distinguantur à virtutibus, quod virtutes inclinant ad actus bonos efficiendos ordinario modo, scilicet, secundum regulas prudentię adquisitę, vel infusę; dona verò non nisi ex specialissimo, & extraordinario instinctu, & motione Spiritus Sancti, quod expresse explicat D. Thom. eo ar. 9. dicens, *quod dona Spiritus S. sunt quædam habituales perfectiones potentiarum animæ, quibus redduntur bene mobiles à Spiritu Sancto sicut virtutibus moralibus virtutes appetitiuæ redduntur bene mobiles à ratione*, ideo timor iste filialis, cum elicitur ordinario modo, scilicet ex directione prudentię infusę, seu fidei, ac proinde ex generali motione Spiritus Sancti, sine qua huiusmodi actus, vt potè supernaturales, elici non valent, pertinebit ad Charitatem: quando verò elicietur ex specialissimo, & extraordinario instinctu, & motione Spiritus Sãcti, prout in Christo, & Beatis contingere dicemus quæst. seq. tunc pertinebit ad donum timoris Vide Granadus

Obiectio. Obijci etiam potest illud prim. Ioann. quart. *Timor non est in Charitate, sed perfecta Charitas foras mittit timorem.* Ex eo enim videtur elici, quod timor filialis non sit effectus Charitatis. Sed respondetur, hunc locum intelligi debere primo de timore mundano, & de timore seruili vitioso; hi enim timores sunt peccaminosi. Secundo, de timore seruili, & honesto, etsi enim sit bonus, quia tamen est imperfectus, ideo Charitas perfecta præsertim, cum consumit, vt notat Diuus Augustinus super hunc locum: & constat experientia in viris perfectis, qui absorpti in Dei amorem vix timent inferni pœnas. De timore autem filiali nullo modo intelligitur iste locus, cum potius perficiatur à Charitate, & illa crescente, magis, ac magis augeatur, vt notant Sanctus Thomas articulo decimo, & alij ex Diuo Augustino. Vide Suar. Cornel. & Granad.

Dubium. Est tamen dubium, cui timori, seruili videlicet, an filiali, conueniat illud, quod in Sacra Scriptura Psal. 110. Prouerb. 1. & Ecclesiast. primo, de timore dicitur, quod sit *Initium sapientiæ*. Respondeo, quod vtrique. Ita enim habet Magister sententiarum in 3. dist. 34. artic. 7. & alij Doctores

res, ſpecialiter Tannerus, & Granadus. Ratio eſt, quia, cum in his locis nomine Sapientiæ non intelligatur, prout apud Philoſophos cognitio rerum diuinarum per altiſſimas cauſas; ſed recta viuendi ratio, Sanctè videlicet, & ſecundum rationes diuinas, vt habet idem S. Thomas, & alij; & ad hanc viuendi rectam rationem diſponat timor ſeruilis, quatenus eſt diſpoſitio remouens peccatum, iuxta illud Eccleſiaſtici 1. *Timor Domini expellit peccatum*; & timor filialis faciat, quod homo reuereatur Deum, & ſe illi ſubijciat, ac hoc ſit initium vt in omnibus ſecundum Deum regulatur; ideo vtrique timori conuenit eſſe initium Sapientiæ. Præſertim cum ipſe amor filialis appelletur etiam initialis, vt diximus quæſtione præcedenti.

Quæſtio tertia.

An timor maneat in Beatis.

Ratio dubitandi. RAtio dubitandi eſt, quia videtur nullum timorem poſſe habere locum in Beatis: non quidem timorem communiter dictum, quia ille, vt diximus quæſt. 1. eſt *fuga mali ardui futuri, imminentis, & cuſtatu difficilis*, quę procul abſunt à ſtatu Beatorum, propter ipſius perfectionem: nec timorem mundanum, aut ſeruilem ſeruiliter ſumptum, quia ſunt peccata; Beati autem ſunt impeccabiles: ſimiliter neque timorem ſeruilem bonũ, initialem, aut filialem, quia quamuis ſint boni, nihilominus cum importent fugam mali pœnę, vel culpę, futuri, imminentis, & ardui, quę etiam repugnant ſtatui Beatorum, propter ſummam ſecuritatem, quam habent, quod non ſint habituri aliquod malum culpæ, vel pœnę, etiam nequeunt eſſe in Beatis. Propter hæc forſan Abaylardus, quem referunt D. Bernardus epiſtola 190. Caſtrus, Sanderus, & alij, negauit in Beatis eſſe timorem, quod etiam poſtea ſecutus fuit inter Scholaſticos Durandus.

Certa veritas. Nihilominus veritas certa eſt in Beatis manere aliquem, vel aliquos actus timoris. Ita enim colligitur ex illo Iob 26. quod de Angelis intelligunt Hieronymus, Gregorius, Beda S. Thom. & plures alij, *Columna cæli contremiſcunt, & pauent ad nutum eius*. Ex quo videtur ſumpſiſſe Eccleſiam illud quod in Miſſa canitur: *Adorant Dominationes, tremunt Poteſtates*. Pſalm. 18. *Timor Domini Sanctus permanens in ſeculum ſeculi*; & de Chriſto, qui erat Beatus, dicitur Iſai. 11. *Et replebit eum ſpiritus timoris Domini*. Sic etiam dicitur definitum ab Innocentio Papa cõtra Abaylardum; & docent communiter Scholaſtici cum Magiſtro in 3. diſtin. 34. & Theologi cum S. Thom. ſupra artic. 11. ac plures Patres recentioribus relati.

Pro deciſione notandum, quod, cum dicimus, in Beatis eſſe aliquem timorem, nomine timoris non intelligimus actum aliquem, qui ſolum impropriè, & metaphoricè appelletur timor: tum quia teſtimonia Sacræ Scripturę in ſenſu proprio exponi debent, alias nihil certum, ex illis hauriri poſſet; tum quia nec Abaylardus, aut Durandus negarent in Beatis timorẽ improprium, & metaphoricũ; & nihilominus Abaylardi ſententia cenſetur hæretica, vel erronea, & Durandi opinio temeraria. Cum ergo timor proprie, & eſſentialiter importet actum fugę, & deteſtationis circa malum aliquod aliquo modo poſſibile, & futurum; non autem actum aliquem proſecutionis, aut amoris circa bonum, ideo timor Beatis concedendus debet eſſe priori modo non poſteriori. Notatio.

1. concluſ. Dico ergo primo, in Beatis manet actus timoris, quo timent peccatum, non quidem, vt poſſibile, futurum, aut imminens ſibi in eo ſtatu, ſed poſſibile, & futurum penſata præciſe eorum natura, ſi beatitudine priuẽtur, & à Deo ipſis permitteretur. Ita colligo ex Diu. Thom. dicta, quæſt. decimanona articulo vndecimo, dum inquit: *Fuga mali, quod eſt Deo non ſubijci, vt poſſibilis natura, impoſſibilis autem beatitudini erit in patria*, & ex Caietano, Suarez, Granado, Palao, & Salmanticenſibus noſtris in arbore Virtutũ num. 19. Probatur primo ex doctrina eiuſdem Diu. Thom. articulo decimo dicentis, quod *timor filialis nec eſſe eſt quod creſcat, creſcente Charitate, ſicut effectus creſcit creſcente cauſa: quanto enim magis aliquis diligit aliquem, tanto magis timet eum offendere*. Cum enim Beati perfectiſſime cognoſcant, & ament ſummam Dei bonitatem, videantque quam malum, & abominabile ſit peccatum, & eſſe poſſibile, imo futurum in ipſis, ſpectata eorũ natura, proculdubio ipſum deteſtabuntur; quod eſt timere, cum ſit malum aliquo modo poſſibile, & futurum. Secundo, quia in humanis videmus, quod homines ex nimio amore ſui, aut ſuorum, exhorreant, & pertimeſcant non ſolum ea, quæ ſunt poſſibilia, & futura, ſed etiam impoſſibilia, & non futura, v. g. quod non lædantur à beſtia aliqua depicta, vel ab inimicis ſuis iam defunctis, ex eo videlicet, quod illa apprehendant, ſaltem

per imaginationem vti possibilia, & futura: eum ergo Beati, etsi sciant certo non peccaturos, nihilominus, quia ob vehementiam amoris, quo Deum diligunt, & peccatum detestantur, ipsum peccatum exhorrescant, vt possibile, & futurum in ipsis, eorum natura præcise considerata, ideo dici possunt illud timere hoc pacto, ac per consequens dari in ipsis verum actum timoris.

Secunda. Dico secundo, etiam datur in Beatis alius actus timoris reuerentialis, quo, ex clarissima cognitione celsissimæ Maiestatis, & potentiæ Dei, & propriæ pusillitatis, aut vilitatis, timent non subiici Deo, seu aliquo modo exæquari ipsi, aut vsurpare ipsius excellentiam, inuestigando, v.g. vel comprehendere volendo, mirabilia eius &c. Ita intelligo Diu. Thomam eo articulo vndecimo, quem etiam eius Expositores sequuntur, etsi in modo loquendi diuersi videantur. Ratio est, quia cum ex vna parte certum sit ex dictis aliquem timorem ponendum esse in Beatis; & ex alia timor iste reuerentialis perfectissimus sit, & valde commendatus à Patribus & Theologis, proculdubio statui Beatorum propter sui perfectionem assignari debet: similiter, cum obiectum ipsius non possit esse aliquod bonum tum propter dicta, quia alias solum esset impropriè, & metaphoricè timor; tum quia id expressè habet Diuus Thomas articulo vndecimo, ac maximè articulo nono in solutione ad secundū, & tertia parte quæst. 15. artic. 7. oportet quod tale malū sit non subiici Deo, aut ei exæquari aliquo modo, vt dictum. Confirmatur exemplis: primum est de Diuo Petro, qui cum Luc. 5. vidisset se Christi fauore plures pisces cepisse, cognoscendo Dei Maiestatem, & suam vilitatem, dixit: *Exi à me, quia homo peccator sum*; timens proculdubio reuerentialiter æquare se Christo, aut nimium familiariter cum illo tractare: secundum est de Diuo Ioanne Baptista recusante Baptizare Christum, &, qui, vt cantat Ecclesia, nolebat tangere *Sanctum Dei carnem*, ob eandem causam: & de rustico, aut malo vestito: qui propter eandem eandem etiam rationem, fugit præsentiam Principis.

Obiectio Si dicatur: hoc quod est non subiici Deo, seu exæquari ipsi, cum sit quoddam malum culpæ, non potest esse in Beatis, cum sint impeccabiles ratione status: ergo nec potest esse obiectum veri actus timoris, qui debet esse de malo possibili, apprehenso vt futuro. Respondeo, iuxta dicta circa primam conclusionem, hoc esse malum possibile beatis de potentia absoluta Dei, & spectata eorum natura, ac futurum sub conditione, si à Deo permitteretur, & ita posse perfectos Dei amicos, quales sunt Beati, illud fugere, & timere. Si vlterius dicatur, ex Diuo Thom. 3. par. quæst. 7. artic. 6. timor, qui est in Beatis, non respicit malum, sed eminentiam boni diuini. Respondeo, ipsum Diu Thom. se explicasse dicendo, esse eminentiam boni diuini, *Cuius potestate aliquod malum infligi potest*, quod est nostra sententia, scilicet hunc timorem reuerentialem respicere malum possibile à Deo permitti; seu, quod idem est, bonum, prout potest permittere malum. Quæ etiam est doctrina Caietani, & Serræ, imo ipsius Diu. Thom. 12. quæst 42. articulo primo. Si denique dicatur: ergo etiam poterit esse in Beatis timor pœnæ, aut alicuius mali, sub conditione si à Deo illis infligeretur. Respondeo, quod quāuis metaphysicè loquendo id sit possibile, nec in eo sit aliquod inconueniens, vt notat Palaus, & colligitur ex doctrina Diu Thomæ quæst. 4. de virtutibus quæstione vnica de Spe articulo quarto ad secund. nihilominus de facto credibilius est non esse talem actum in Beatis: quia cum diligant Deum perfectissimè appretiatiue supra seipsos, itaut omnino sint veluti abrepti in ipsius amorem, vt diximus supra disputatione præcedenti quæstione tertia, ideo parum soliciti sunt de suo commodo, & ita non habent actus istos conditionatos timoris de suo damno. Sic ex Valentia, Suarez, Coninck, & Amico.

Dubium. Est vero dubium ad quem habitum, seu virtutem pertineant hi actus timoris, quos diximus esse in Beatis, Et dicendū, actus illos timoris, de quibus in prima conclusione diximus, pertinere ad Charitatem; actus vero timoris reuerentiales, de quibus in secunda, pertinere ad donum timoris. Sic colligo ex Diu Tho. & aliis. Ratio primæ partis est, quia illi actus sunt timoris filialis, cum sint de culpa, timor autem filialis est actus Charitatis, iuxta dicta quæstione secunda. Ratio secundę est, quia tales actus, esto, quod sint etiam de culpa, quia sunt de separatione à Deo, aut de non subiectione, vel æqualitate cum ipso, quia tamen sunt supra regulas communes, & ordinarias, videlicet ex cognitione eminentiæ Dei, & ipsius Maiestatis, &c. ideo pertinent ad donum Spiritus Sancti, iuxta doctrinam traditam Tomo præcedenti Tract. 4. disput. sexta, quæst. prima: & cum donum timoris correspondeat virtuti Humilitatis per quam homo subijcitur Deo, prout ex PP. & DD. probat Granadus,

ideo

ideo etiam pertinebunt ad humilitatem.

Solutio rat. dub. Ex quibus iam patet ad rõem dubitandi in principio quæstionis positam dicendũ, timorem qui ponitur in Beatis, non esse mundanum, neque seruilem, sed filialẽ, et reuerentialem; sine aliqua anxietate, aut alia imperfectione, quæ in viatoribus reperitur; cum non sit de malo absolute possibili, aut futuro, sed solum conditionate, vt dictum est,

Quæstio quarta.

An sit aliquod præceptum de actu timoris?

1. concl. Dico primo, datur præceptum de timore tum filiali, tum seruili honesto. Sic colligo ex D. Thom. quæstio. 22. articulo 2. & alijs. Probatur de timore filiali ex Deuteronom. 10. *Quid Dominus Deus petit à te, nisi, vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius & diligas eum*. De timore autem seruili Deuteronom. 5. *Ego sum Dominus Deus tuus, Deus æmulator, reddens iniquitatẽ patrum super filios, in tertiam, & quartam generationem, his, qui oderunt me*. Simili ferme Exod. 20. & Matth. 10. & Luc. 12. *Timete eum, qui postquam occiderit corpus habet potestatem, & corpus, & animam perdere in gehennam*. Vnde infert Sanctus Thomas, quod quemadmodum in lege data Moysi fuit datum præceptum Spei per modum promissionis in primo, & quarto præcepto, prout diximus disputatione præcedenti quæstione quinta; ita etiam præceptum timoris datum fuit per modum comminationis locis adductis Exod. 20., & Deuteronom. quinto: præceptum quidem Spei, vt homines inducerentur ad obseruantiam præceptorum; præceptum vero timoris, vt deterrerentur à transgressione illorum.

Secunda Dico secundo, præceptum de timore, quatenus est præceptum negatiuum, prohibens præsumptionem, quæ opponitur timori, vt dicemus disputatione sequenti, obligat pro semper; quia hæc est natura præcepti negatiui: quatenus vero habet rationem præcepti affirmatiui, obligat pro determinato tempore; quia hæc etiam est natura præcepti affirmatiui. Quodnam vero sit hoc tempus, etsi difficile id possit determinari, nihilominus probabiliter dici potest cum Valentia, & Becano, esse quando quis propter occurrentes occasiones est in periculo peccandi, ita vt si non eliciat actum timoris, sine dubio sit peccaturus. Non enim potest assignari tempus congruentius huius præcepti. Probabiliter etiam cum Bañez dici potest tempus obligationis huius præcepti esse quando peccator obligatur ad pœnitentiam, & sit talis naturæ, quod non inducatur ad illam amore, sed timore. Addo cum Tannero, hoc tempus esse quando, vel graui tentatione præsumptionis pulsatur animus, vel ad vincendam tentationem, aut seruandum præceptum videtur necessarius actus timoris.

Difficult. Est tamen difficultas, an præcepta de timore sint specialia, itaut ex defectu illorum committatur speciale peccatum; an vero sint generalia inclusa in præceptis aliarum virtutum, quibus tenemur sequi bonum, & declinare à malo. Quod est quærere, an cum quis existens in periculo peccandi, omittens actum timoris, per quod impediretur tale peccatum, committens illud incurrat duo peccata, alterum omissionis timoris, alterum commissionis alterius peccati.

Resolut. Partem affirmatiuam videtur tenere Bañez. Sed probabilius est oppositum, vt indicat ipse, & sequuntur Valentia, Sanchez, Turrianus, Granadus, Caspensis, & Palaus.

Ratio est, tum quia nulla apud Theologos fieri solet mentio de huiusmodi præceptis specialibus; tum quia viri timorati non solent se accusare de omissione timoris tanquam de speciali peccato distincto ab eo, quod committitur ex defectu illius.

†

DISPV-

DISPVTATIO IV.

De Vitijs oppositis virtuti Spei.

Vitia cõtraria Spei

DVo vitia Spei contraria recẽsentur communiter à Theologis; alterum est, veluti per defectum, scilicet *desperatio*; alterum veluti per excessum, scilicet prẽsumptio, de quibus S. Thom. quæst. 20. & 21. Expositores & cum ipso, & nos in hac disputatione.

Quæstio prima.

Quid sit Desperatio.

Desperatio dupliciter

PRæmittendum, quod desperatio sumitur dupliciter; vno modo *privatiuè*, seu *negatiuè* pro carentia actus sperandi; alio modo *positiuè* pro actu scilicet positiuè contrario Spei. Loquendo de desperatione primo modo, est omissio actus sperandi, priuatio scilicet, aut negatio: de desperatione vero secundo modo est difficultas in quo consistat; cum enim importet actum positiuum, est dubium an talis actus sit intellectus, an vero voluntati.

Prima sententia

Prima sententia tenet consistere solum, aut saluari posse in actu intellectus, scilicet in iudicio, quo quis iudicat beatitudinem esse sibi impossibilem, vel se nunquã illam consecuturum, aut remissionem peccatorum. Ita Almain, cui valde etiã adhæret Turrianus. Probatur primó. Per illud iudicium quo quis iudicat beatitudinem esse sibi impossibilẽ destruitur Spes, ergo illud iudicium formaliter est desperatio, consequentia patet, quia Spes solum destruitur per desperationem, aut prẽsumptionem; supponitur autem tale iudicium nullo modo spectare ad prẽsumptionem. Antecedens autem patet, tum quia illud iudicium destruit rationem formalem Spei; ergo destruit etiam Spem tum etiam, quia illud iudicium quatenus per illud censerur beatitudo impossibilis est hæreticum: ergo per illud destruitur fides; & per consequentiam Spes, iuxta dicta in superioribus. Secundo, quia illud iudicium, quo quis iudicat se non consequuturum beatitudinem, aut remissionem peccatorum, etsi non sit hæreticum, nihilominus non potest cum illo stare Spes: ergo est desperatio. Consequentia patet ex dictis, antecedens autem probatur, tũ quia ad Spem requiritur iudicium cõtrarium, quo quis iudicet consequuturum beatitudinem; tũ quia etiam illud iudiciũ destruit rationem formalem obiecti Spei, scilicet esse futurum. Tertio, qui iudicaret se non posse saluari, aut non saluandum, sine dubio peccaret contra Spem; ergo tale iudicium esset desperatio. Consequẽtia patet, quia contra Spem non peccatur, nisi per desperationem, aut præsumptionem; certum autem est istud iudicium nõ esse præsumptionem. Antecedens vero patet ex dictis; nam per tale iudicium redderet se homo voluntariè inhabilem ad habendum actum Spei, ergo per illud peccaret contra Spem: sicut generaliter qui voluntariè se reddit impotentem ad adimplendum aliquod præceptum, peccat contra illam virtutem, ad quam spectat tale præceptum.

Cõclusio

Nihilominus dicendum est, desperationem formaliter non consistere, nisi solũ in actu voluntatis, quo quis refugit beatitudinem, vt sibi malam impossibilem, aut non futuram. Quod sic declaratur. Quemadmodum Spes consistit in motu voluntatis, quo quis erigitur, & confortatur ad desiderandum bonum, possibile, & futurum ex auxilio Dei, v. g. beatitudinem: ita desperatio consistit in actu voluntatis quo quis victus difficultate, seu arduitate consequendi illam, refugit illam, vt sibi malam, impossibilem, aut non futuram, ex eodem auxilio Dei. Ita Sanct. Thomas quæst. 20. articulo secundo, & alij Theologi communiter, specialiter videndus noster Vrbanus ab Ascensione in Theologia morali Tractatu primo cap. 24. Prob. 1. nam vt docet ipse Sanctus Thomas in 2. quæst. 23. artic. 2. & quæst. 40. articulo 4. Spes, & desperatio sunt actus contrarij: sed actus contrarij pertinent ad eamdem potentiam, sicut generaliter contraria omnia sunt in eodem subiecto; ergo quẽadmodum Spes formaliter pertinet ad voluntatem, ita desperatio. Secundò, quia, vt etiam docet idem Sanct. Thom. ibidem, Spes, & desperatio comparantur, vt accessus, & recessus in ordine ad aliquem terminum; sed accessus, & recessus spectãt ad eamdem facultatem; vt patet in accessu, & recessu, qui est per motum localẽ, qui pertinent ad eamdem potentiã loco motiuum; cum ergo Spes formaliter spectet ad voluntatem, ita etiam desperatio. Tertio, quia sicut Spes est motus prosecutionis, ita desperatio est motus fugæ; prosecutio autem, & fuga formaliter solum pertinent ad voluntatem. Quartò, quia

quia motus, quo quis fugit, aut odit beatitudinem, vt ſibi impoſſibilẽ, aut nõ futuram ex auxilio Dei, verè eſt actus appetitus, vt probatum manet; rurſus, cum verſetur circa arduum, erit obiectum irascibilis; & cum non ſit Spes, vt de ſe patet, neque audacia; quia audacia conſiſtit in motu quo quis aggreditur pericula, quæ ſunt neceſſaria ad conſequutionem boni, vel fugiendum malum: neque timor, quia timor verſatur circa malum; ille autem motus eſt de re bona, ſaltem materialiter: neque ira, tum propter eamdem rationem, tum quia ira verſatur circa obiectũ præſens, ille autem motus non ita; ſequitur ergo, quod ſit deſperatio, cum non ſint alij motus irascibilis præter aſſignatos.

Dubium

Si autem quæras, quod nam ſit obiectum huius actus deſperationis. Reſpondeo, aut loquimur de obiecto materiali, aut de obiecto formali; loquendo de obiecto materiali, dico eſſe illud idem bonum, quod eſt obiectum Spei. Ita Sanct. Thomas 1. 2. quæſt. 23. articulo ſecundo, & quæſt. 40. articulo quarto. Ratio eſt, tum quia generaliter actus contrarij habent idem obiectum materiale, vt patet in temperantia, & intemperantia; fide, & infidelitate &c. tum etiam ex communi notione nominis; nam, non de malo, ſed de bono dicitur quis deſperare, v. g. de beatitudine, de aſſecutione officii, vel dignitatis &c. Loquẽdo verò de obiecto formali deſperationis, dicendum eſt, eſſe aliquod malum. Ita Diuus Thomas vt ſup. & ratio eſt, tum quia deſperatio eſt motus fugæ, de cuius ratione eſt eſſe de malo: tum etiam, quia eſt de bono ſub ratione mali, aut impoſsibilis, aut non futuri; impoſsibile autem, ſeu non futurũ eſt malum, ergo obiectum formale deſperationis eſt malum. Legatur Valentia in 1. 2. diſputatione tertia quæſt. ſeptima, punct. 2.

Solutio rat. dub.

Solum reſtat rationibus dubitandi poſitis ſatisfacere. Et licet, generaliter loquendo reſponderi poſſet, illis tãtũ probari, iudiciũ illud, quo quis iudicat beatitudinẽ ſibi impoſsibilem, aut non futuram, eſſe neceſſario requiſitum ad deſperationem; ſeu eſſe cauſaliter deſperationem: non vero formaliter; nihilominus maioris claritatis gratia, reſpondeo ad primam, concedo antecedens, ſcilicet per iudiciũ, quo quis iudicaret beatitudinem eſſe impoſsibilem deſtrui Spem; nego tamen conſequentiam, ſcilicet hoc iudicium eſſe deſperationem: & ad probationem dico, Spem non ſolum deſtrui per deſperationem, aut præſumptionem, ſed etiam per hæreſim, vt dixi diſputatione ſecunda quæſt. 2. & quia hoc iudicium eſt hæreticũ, per illud deſtruitur Spes. Addo, quod etiamſi tale iudicium non eſſet hæreticũ, (prout reuera non eſſet, ſi per illud non iudicaretur beatitudo impoſsibilis, ſed ſolum non futura): nihilo minus adhuc nõ poſſet ſtare cum illo Spes; eo quod per illud deſtruitur ratio formalis obiecti Spei, quod eſt bonum poſſibile, & futurum aliquo modo: & quando dicitur, quod Spes ſolum deſtruitur per deſperõem & præſũptionẽ, dico hoc debere intelligi directè; indirectè. n. etiam deſtruitur per deſtructionem rationis formalis obiecti. Eodem modo reſpondeo ad ſecundam rationem dubitandi. Ad tertiam etiam cõceſſo antecedenti nego conſequentiam, & ad probationem dico, ſicut dixi, quod licet non peccetur directè contra Spem, niſi per deſperationem, aut præſumptionem, indirectè tamen peccatur contra illam, vel per hæreſim, vel per iudicium, quo iudicaretur beatitudo non futura; eõ quod per illud deſtruitur ratio formalis obiecti Spei. Si dicas: poſito iſto iudicio in intellectu, non neceſſario ſequitur deſperatio in voluntate; ergo non deſtruitur Spes. Reſpõdeo, concedo antecedens; eo quod tale iudicium non neceſſitat, nec cogit voluntatem ad deſperandum, & ita adhuc illo poſito poteſt non deſperare, nego tamen conſequentiam, propter dicta.

Quęſtio ſecunda.

Vtrum deſperatio ſit peccatum.

Ratio dubitandi.

VIdetur quod non, primo, quia deſperatio oritur ex timore Dei, vel ex horrore magnitudinis propriorum peccatorum: ſed timor Dei, & horror peccatorum non ſunt actus mali, ſed boni; ergo deſperatio non eſt peccatum: patet conſequentia, quia id quod oritur ex actu bono non poteſt eſſe peccatum, iuxta illud Matth. 7. *Non poteſt arbor bona malos fructus facere*. Secundò, quia omne peccatũ eſt contra aliquã legem; ſed deſperatio nõ eſt cõtra aliquam legem; ergo non eſt peccatum. Maior conſtat ex definitione peccati tradita ab Auguſtino: *Peccatum eſt dictum factum, vel concupitum contra legem Dei*. Minor vero patet, quia deſperatio non eſt contra aliquam legem poſituam, cum nullibi conſtet de tali lege, neque contra legem naturalem, alias nunquam eſſet licita eo quod, id quod eſt contra legem naturalem ſemper eſt malum;

deſpe-

desperatio autem in aliquo casu potest esse licita, scilicet quando alicui reuelaretur sua condemnatio: ergo desperatio non est contra aliquam legem; & per consequens non est peccatum.

Veritas tamen est, desperationem esse peccatum. Ita Sanctus Thomas quæst. 20. articulo primo, & alij communiter. Pro quo videatur ex nostris Ioannes Beetz de præcepto Decalogi, præcept. 1. expos. 2. cap. 9. Probatur ex Sacra Scriptura, vbi hoc vitium reprehenditur Hierem. 18. *Reuertatur vnusquisque à via sua mala, & dirigite vias vestras & studia vestra. Qui dixerunt: desperauimus: post cogitationes nostras ibimus.* & ad Ephes. 4. *Desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ.* Ex quo secundo, ratione quia illud quod ex se, & natura sua inducit ad peccandum, etiam est peccatum; sed desperatio inducit ad impudicitiam, vt constat ex loco Pauli, ergo est peccatum. Tertio, probat Sanctus Thomas, quia omnis motus appetitus conformis intellectui falso, est peccatum; sed desperatio est motus appetitus conformis intellectui falso; ergo est peccatum. Maior, etsi non probetur à Diu. Thom. probari tamen potest, eo quod regula humanorum actuum est dictamen rationis, seu conscientia; atque ita sicut omnis motus conformis intellectui vero, seu conscientiæ veræ, est bonus, ita omnis motus conformis intellectui falso, seu cõscientiæ erroneæ est malus. Minorem vero probat Sanct. Thomas, quia desperatio est conformis falsæ opinioni de Deo, quod non velit salutem hominum, cum oppositum constet ex illo Ezechielis 18. *Nolo mortem peccatoris*, ergo desperatio est peccatum.

Veritas certa.

Solutio cõtrariorum

Ad primam rationem dubitandi respõdeo cum Sanct. Thom. supra ad secundum, concessa maiori, & minori, nego consequentiam, & ad probationem dico, dupliciter posse aliquid procedere ex actu bono, vno modo directè, & per se, quando scilicet verè influit in illud; secundo modo indirectè, occasionaliter, & per accidens, scilicet solum ex malitia operantis: id ergo quod procedit ex actu bono primo modo non potest esse peccatum, quod vero procedit secundo modo potest esse peccatum, vt patet in superbia, quæ potest occasionari ex opere virtuoso. Quia ergo desperatio oritur ex timore solum secundo modo, ideo potest esse peccatum. Ad secundam, concessa maiori; nego minorem, & ad probationem, iam diximus sup. disp. 2. q. 5 vtroque modo esse præceptum de Spe: ad impugnationem autem dicemus in sequentib. vbi erit sermo de eo, cui facta esset reuelatio de sua damnatione.

Quæstio tertia.

Vtrum desperatio sine infidelitate possit esse.

VIdetur quod non, primo, quia non potest esse desperatio, nisi homo iudicet prius beatitudinem esse impossibilem saltem sibi; sed iudicare beatitudinẽ esse alicui impossibilẽ est infidelitas, & hæresis: ergo non potest esse desperatio sine infidelitate. Secundo, quia qui desperat præfert culpam suam misericordiæ, vel bonitati Dei, quemadmodum videtur fecisse Cain Genes. 4. cum dixit: *Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear.* Sed præferre culpam suam misericordiæ, vel bonitati Dei, est infidelitas; quia est negare infinitatem diuinæ misericordiæ, vel bonitatis; ergo desperatio includit necessario infidelitatem. Tertio, quia spes non potest esse sine fide: est enim fides, vt diximus, fundamentum spei; ergo etiam desperatio non poterit esse sine infidelitate: patet consequentia, quia contrariorum eadem est ratio.

Ratione dubitand

Nihilominus veritas est indubitata, S. Thom. hic artic. 2. & aliorum, quod desperatio possit esse sine infidelitate. Probat S. Thom. in argumento *sed contra*, eo quod remoto posteriori non remouetur id quod est prius; sed spes est posterior fide; ergo, remota spe per desperationem, non necessario destruitur fides. Secundo probat Valentia, quia experientia constat multos desperare, & post desperationem manere constantes in fide. Verumtamen rõ hęc non est efficax, quia potest aliquis dicere fidem quæ remanet, esse humanã, non diuinam, neque hoc experientia cognosci posse. Ideo aliter tertio probari potest ex dictis, quia desperatio solum includit essentialiter actum voluntatis, quo quis refugit beatitudinem, vt sibi malam, aut disconuenientem, impossibilem, vel non futuram; sed potest homo sine infidelitate refugere sic beatitudinem; ergo potest desperare sine infidelitate: minor probatur, quia, stante iudicio illo de fide *ego possum saluari*, potest homo iudicare sibi conueniens desperare, seu imperare sibi desperationem: tum quia potest, si nimis deditus sit rebus temporalibus huius vitę, odisse & fugere beatitudinem, illam apprehendendo vt sibi

Veritas certa.

discon-

disconuenientem, iniucundam & impeditiuam illarum rerum, quas ardentius amat; quod non est hæresis, aut infidelitas: rursus, quia potest illam apprehendere vt sibi non futuram, quod etiam sine hæresi effici potest; eo quod licet sit de fide beatitudinem esse possibilem omnibus hominibus, non tamen est de fide esse futuram omnibus, neque huic aut illi. Rursus potest homo nimis deditus vitiis, & peccatis considerans solum fragilitatem suam, graues inclinationes, & occasiones peccandi, apprehendere beatitudinem vt sibi moraliter impossibilem, quæ etiam apprehensio non est hæresis, aut contra fidem; ergo potest homo desperare sine infidelitate, aut sine eo quod habeat iudicium hæreticum, aut contrarium fidei.

Solut. cõtrariorũ.

Ex quo patet ad primam rationem dubitandi: nego enim maiorem, scilicet requiri ad desperationem tale iudicium de impossibilitate beatitudinis; sed adhuc stante iudicio contrario in intellectu, potest voluntas desperare; saltem penes hoc quod iudicet sibi conuenientem desperationem, quod poterit facere, si apprehendat beatitudinem, vt sibi disconuenientem, non futuram, aut moraliter impossibilem, vt dictum est. Addunt aliqui, eum, qui desperat, habere iudicium illud de impossibilitate beatitudinis, non speculatiue, quia videlicet sic esse hæreticus, sed practice, hoc est in ordine ad opus, idest, mihi conueniens est hic & nunc desperare, quæ quidem solutio in se est vera, & coincidit cum ea, quam nos tradidimus. Ad secundam rationem dubitandi nego maiorem, quidquid enim sit de Cain an ita fecerit, non est necessarium, quod qui desperat præferat, saltem in actu signato, culpam suam misericordiæ, aut bonitati Dei. sed sufficit ad hoc, quod desperet, quod apprehẽdat beatitudinem vt sibi incommodam, aut non futuram, aut moraliter sibi impossibilem; & quod iudicet sibi conuenientem desperationẽ, quod potest facere etiam si credat misericordiam, & bonitatem Dei esse maiorem sua culpa. Ad tertiam, concesso antecedenti, nego consequentiam, & ad probationem dico, contrariorum esse eãdem rationem, quantum ad hoc, quod pertinent ad eamdem scientiam, sint in eodem subiecto, mutuo se expellant &c. non tamen quantum ad intentum argumenti.

Quæstio quarta.

Vtrum Desperatio sit maximum peccatum.

Videtur, quod sit, quia vt arguit S. Th. artic. 3. in argumento *sed contra*, peccatum insanabile videtur peccatum grauissimum; sed peccatum desperationis est insanabile, iuxta illud Ierem. 15. *Plaga mea desperabilis renuit curari*: ergo est omnium grauissimum. Secundo, quia illud peccatum est grauissimum omnium, per quod reuocamur à bonis, & inducimur ad mala; sed desperatio hoc habet, quia sublata Spe per desperationem, vt inquit S. Thom. *irrefrenate homines labuntur in vitia, & ab omnibus laboribus retrahuntur*: ergo est maximum omniũ peccatorum. Confirmatur ex D. Isid. de summo bono l. 1. cap. 14. dicente *perpetrare flagitium aliquod mors animæ est, sed desperare est descendere in infernum.*

Ratio dubitandi.

Dico primo, Desperatio est maius peccatum omnibus alijs, quę cõmittuntur contra virtutes morales. Ita S. Thom. supra, & alij communiter. Ratio est, quia peccata opposita virtutibus Theologicis grauiora sunt alijs peccatis, quę committuntur contra virtutes morales; sed desperatio est peccatum oppositum Spei, quę est virtus Theologica, ergo est grauius peccatum alijs, quę committuntur contra virtutes morales. maior probatur ex S. Thom. quia in peccatis mortalibus, qualis est desperatio, principalis ratio mali sumitur ex auersione à Deo, sed hęc principaliter inuenitur in peccatis oppositis virtutibus Theologicis, quia cum habeant Deum pro obiecto immediato, quicunq; mortaliter peccant contra ipsas, eo ipso auertuntur à Deo tanquam ab obiecto; aliæ vero virtutes, cum non habeant Deum pro obiecto immediato, sed tantũ pro fine, quicunque peccant contra ipsas mortaliter, non auertuntur ab ipso tanquam ab obiecto, sed solum tanquam à fine: ergo peccata opposita virtutibus Theologicis grauiora sunt alijs.

1. conclu.

Dico secundo, comparando desperationem cum peccatis, quæ committuntur contra alias virtutes Theologales est minus grauis quam odium Dei. Ita S. Tho. supra, & ratio est, quia odium Dei opponitur præstantiori virtuti, quam desperatio, quia opponitur Charitati, desperatio autem opponitur Spei; ergo minus

Secunda.

nus graue peccatum est desperatio quam odium Dei: patet consequentia, quia grauitas peccatorum sumitur ex virtutibus quibus opponuntur. Confirmatur, quia odium Dei est contra Deum, vt est in se, desperatio autem est contra Deū nō secundum quod est in se, sed prout eius bonitas communicatur nobis; ergo grauius peccatum est odium Dei quam desperatio.

Dubium. Difficilius est an desperatio sit maius peccatum infidelitate. Et ratio dubitandi pro parte negatiua est, quia Sanctus Thom. supra clarè videtur dicere infidelitatem esse maius peccatum desperatione. Ex alia vero parte videtur oppositum, eo quod illud est grauius peccatum, quod opponitur præstantiori virtuti, sed desperatio opponitur prestantiori virtuti quam infidelitas; nam opponitur Spei, & infidelitas fidei, diximus autem supra disputatione 1. quæst. 7. præstantiorem virtutem esse Spem quam fidem; ergo grauius peccatum est desperatio quam infidelitas. Quare dico tertio desperatio est grauius peccatū in esse naturæ, quā infidelitas; atvero in esse moris est minus graue. Prima pars probatur ratione adducta, scilicet quia opponitur præstantiori virtuti. Secunda vero pars probatur authoritate Sancti Thomę; nullo enim alio modo explicari potest. Et declaratur sic: quamuis Spes sit præstantior virtus in esse naturę quam fides propter dicta supra loco relato: nihilominus potest dici fides præstantior in esse moris Speieo quod fides est initium, & radix totius iustificationis, & meriti, quod non habet Spes: cum ergo infidelitas opponatur fidei, & desperatio Spei, poterit dici infidelitas maius peccatum in esse moris; quia opponitur perfectiori virtuti in esse moris; quam desperatio.

Quarto. Dico quarto, desperatio ex parte nostra, & quasi per accidens, potest dici grauius peccatum omnibus aliis, etiam odio Dei. Ita Diuus Thomas eo articulo tertio; & patet quia est causa multorū peccatorum. Frequenter enim homines postquam lapsi sunt in desperationem, cadunt in maiora peccata, quam antea. Cum enim per desperationem fugiant beatitudinem, quæ est vltimus finis noster, inducuntur per illam ad transgressionem omnium præceptorum, quæ sunt media necessaria ad consequentiam illius.

Solutio contrar. Ad primam rationem dubitandi concessa maiori, dico ad minorem, desperationem dici insanabilem, non quia simpliciter sanari non possit, sed quia difficile; eo quod per illam inducitur homo ad grauissima peccata. Secunda ratio cum sua confirmatione probat nostram quartam conclusionem & non aliud.

Quæstio quinta.

An desperatio oriatur ex accidia, & luxuria?

Rationes dubitādi. VIdetur, quod non, primo, quia si desperatio oriretur ex accidia, & luxuria sequeretur, quod quicunque peccaret peccato accidiæ, vel luxuriæ, peccaret etiam peccato desperationis: sed consequēs est falsum, cū constet multos committere ista peccata, & tamen adhuc retinere Spē: ergo & antecedens. consequentia vero patet, quia quicunque committit aliquod peccatum, ex quo sequitur aliud ad minus exponit se periculo committendi illud, sed qui exponit se periculo committendi aliquod peccatum peccat in specie talis peccati: ergo si desperatio oriretur ex accidia, & luxuria, peccans peccato accidiæ, vel luxuriæ, peccaret etiam peccato desperationis. Secundo, quia desperatio potius oritur ex consideratione peccatorum, & inconsideratione misericordiæ, & bonitatis Dei, ex eo enim, quod quis videat multitudinem suorum peccatorum, & non consideret infinitatē diuinæ misericordiæ, & bonitatis, ducitur ad desperationem de venia peccatorum, & gloria: non ergo oritur desperatio ex accidia, et luxuria.

Veritas. Nihilominus verum est desperationem oriri ex accidia, & luxuria. Ita S. Thom. hic artic. 5. Probatur primo ex D. Gregorio 31. *moral cap.* 31. vbi enumerans septem vitia capitalia, et peccata, quæ ex ipsis oriuntur, affirmat oriri desperationem, tum ex accidia, tum ex luxuria. Declaratur sic secundo: quia cum accidia sit tristitia quædam delectiua spiritus, per quam inducitur torpor quidam in anima reddens illam segnem, et ineptum ad bene operandū, laborandum, & procurādū beatitudinem, tali vitio affectus sæpius iudicat beatitudinē non esse sibi possibilem, aut futuram, atque ita desperat: rursus cum luxuria sit nimius affectus ad delectationes carnales, inducit in anima tædium, & fastidium circa bona spiritualia, atque ita sæpius tali vitio affectus refugit beatitudinem, & desperat de illa. Addit etiam Sanctus Thomas specialius oriri desperationem ex accidia, quam ex luxuria, quod ex dictis colligitur.

Vnde ad primam rationem dubii di stinguo Solutio contrar.

Digitized by Google

ſtinguo maiorem, ſeu ſequelam: aut enim peccans peccato accidiæ, ſeu luxuriæ, præuidet ex illis ſequendum peccatum deſperationis, aut non præuidet; ſi præuidet abſque dubio peccat non ſolum peccato accidiæ, ſeu luxuriæ, ſed etiam peccato deſperationis: eo quod exponit ſe periculo peccandi in tali ſpecie peccati, & vnuſquiſque tenetur fugere pericula peccandi: ſi vero non præuidet tale periculum, non peccabit peccato deſperationis; eò quod deſperatio non ſequitur neceſſario ex illis peccatis, neque habet neceſſariam connexionem cum illis, ſed ſolum ſequitur caſualiter, & quaſi per accidens: effectus autem per accidens ſequutus, ad hoc quod ſit voluntarius, neceſſe eſt eſſe præuiſum, vt diximus to. præc. Tract. 2. diſp. 1. quæſt. 5.

Ad ſecundam, quod attinet ad conſiderationem peccatorum, dico, nimis caſualiter, & remote oriri ex illa deſperationem, & cum alias ſit bona, ideo non numeratur inter vitia, ex quibus oritur deſperatio. Quod attinet autem ad inconſiderationem admittit S. Thom. ſupra ad tertiũ, oriri ex illa deſperationẽ, ſed quia ipſa inconſideratio prouenit ex accidia, vt dicit ipſe S. Thom. & indicat D. Gregorius relatus, ideo ſolum numeratur accidia. Addendum etiam cum eodem D. Greg. naſci etiam inconſiderationem ex luxuria, ideoque non numerari vt cauſam diſtinctam.

Solutio 2. rat. dub.

Quæſtio ſexta.

Quod, & quale peccatum ſit præſumptio.

Præſumptio nis varia acceptio

QVadrupliciter ſolet vſurpari præſumptio. primo, pro magna quadam, aut excellenti Spe, quo ſenſu Iudith. 6. dicitur: *Odende Domine quoniam non derelinquis præſumentes de te.* Secundo apud iuriſperitos, imo in vulgari modo loquendo, pro coniectura quadam quæ ex re certa aliquid incertum ſuſpicamur, quo in ſenſu accipitur etiam in Sacra Scriptura Sap. 17. *Semper præſumit ſæua perturbata conſcientia.* Tertio, apud Philoſophos moraleſ pro vitio oppoſito per exceſſum virtuti magnanimitatis: cum ſcilicet quis aggreditur, & tentat ea, quæ longè ſuperant ſuam virtutem, & facultatem. Quartò, pro vitio contrario per exceſſum virtuti Spei; in qua acceptione loquimur in præſenti.

Concluſ.

Dico ergo, præſumptio in hac quarta acceptione, eſt actus voluntatis (non intellectus, prout noſter Vrbanus ab Aſcẽſione in Theolog. mor. Tract. 1. cap. 24. putat) quo, quis tendit in aliquod bonum, vt poſſibile per virtutem, & miſericordiã Dei, quod re vera ſecundum legem ordinariam ipſius poſſibile non eſt: vt ſi aliquis expectet beatitudinem ſine meritis, aut veniam ſine pœnitentia. Ita D. Tho. quæſtione 21. articulo primo. & alij Theologi. Quod ſic declaratur: obiectum Spei virtutis Theologicæ eſt beatitudo æterna poſſibilis ex auxilio Dei; ex quo fit, quod dupliciter aliquis poteſt deficere ab hac Spe, primo, per defectum, quia ſcilicet fugit, aut non vult beatitudinem nõ confidens in diuino auxilio, & miſericordia Dei, quod pertinet ad deſperationẽ de qua in ſuperioribus egimus: ſecundo, per exceſſum; quia ſcilicet vult beatitudinem, aut aliquod bonum à Deo contra, aut præter ordinem à Deo poſitum, & promiſſum; & hoc pertinet ad præſumptionem.

Corollar

Ex quo infertur primo, quod præſumptio in tertia acceptione diſtinguatur à præſumptione in quarta, de qua loquimur, quod per illam ſperatur aliquid nimis innitendo propriæ virtuti, quo pacto Pelagiani ſperabant beatitudinem. Vnde, vt diximus, opponitur virtuti magnanimitatis, cuius officium eſt conſtituere medium intra ea quæ ſperamus, & efficere, vt de noſtra virtute non plus confidamus, quod eſt præſumptio, nec plus nimio diffidamus, quod pertinet ad puſillanimitatem. At vero per præſumptionem in quarta acceptione, vt oppoſitam Spei virtuti Theologicæ, ſperatur aliquid à Deo plus nimio innitendo diuinæ virtuti, & miſericordiæ, prout faciũt Lutherani, qui ſperant veniã peccatorum ſine pœnitentia, & beatitudinem ſine meritis. Fit etiam ſecundo, & optime dixiſſe Sanct. Thom. in argumento *ſed contra*, quod ſicut per deſperationem contemnitur diuina miſericordia, cui Spes innititur, ita etiam per præſumptionem contemnitur diuina iuſtitia, qua peccatores punit: eo quod per deſperationem homo non confidit auxilio diuino; per præſumptionem autem nimium confidit ipſi, & miſericordiæ ipſius.

Obiectio

Sed dices contra concluſionem: peccata, quæ opponuntur virtutib. Theolog. ſunt grauiora aliis peccatis, quæ cõmittũtur contra virtutes moraleſ; ſed præſumere innitendo nimis propriæ virtuti eſt maius peccatum, quam præſumere innitendo nimis virtuti Dei ergo præſumere

Hallenda tamen virtus? Dic eos eſſe vitiſ oppoſitum Spei virtuti Theologicæ, qui ea laborant. Minor patet, quia quicumque eſt vitioſus, potius magis peccat contra eam virtutem cum cujus virtute bonum eſt minus vitioſum. Sed præſens peccatum eſt minus virtuti humanæ, cum virtuti Dei. Ratio eſt quia ex dictis S. Thom. hic ad primum, conſiſtit magis circa bonum humanum, quod eſt minus, & ad quod, quia eſt minus, eſt facilior acceſſus & motus: peccare autem minus virtuti, quæ eſt circa minus bonum, per hoc dicimur male vivere, & vanidere contra, non vero peccare, eſt inire minus virtuti cujus minus eſt; quia ergo hæc ſtulta vana gloria, quæ eſt ab illa humanum ſine merito, ac virtutem præmium ſine præmiando, eſt minimum eius virtutis, non eſt mirum, ſi ea ſit maxime vana, & vitioſa. Et ita dicitur Deus, non quia ſit vitium in illo vanitas rationis, ut per peccatum contrahitur, ſed quia, ſi in illo eſſet ea, ita ea, & promiſſe in illo eſſet, ut vitium eſſet, & eſſet; ita dicitur non habere veritatem ſui eſſentialis, & virtutis Dei, quia inanis inordinatæ propriæ laudis.

Alius.

Sed contra id quod dicitur, videtur, quod peccatum non ſit contrarium Spei, quia quanto peccatum eſt contrarium ſuo bono maximo, tanto eſt grauius peccatum, ſed quia ſperat ſe beatitudinem conſequendam à Deo, non ſperatur aliquis contraria ad bonum conſequendum, ergo non ſperare ſibi eternam beatitudinem à Deo, quæ præmium eſt ſperantium, eſt peccatum in ſpem ſanctam, ut docet S. Thom. dicit ergo, quod hoc peccatum præcipuum ſit ſpiritus Sanctus, quia ſpes eſt in ipſo, quia ipſe eſt quod ſpes ſperantium ſanctum, quia ipſe eſt quod ſpes ſperantium ſanctum, quia ipſe eſt quod ſpes ſperantium ſanctum

cut homini affecto tentatione carnis eſt conueniens conuenientia delectabilitatis, vel vtilitatis, fornicatio.

Concl. 2. Dico ſecundo, comparando peccatum præſumptionis cùm deſperatione, maius peccatum eſt deſperatio quam præſumptio. Ita D. Thom. artic. 2. Probatur ex ipſo, quia per deſperationem læditur diuina miſericordia; per præſumptionem læditur diuina iuſtitia; ſed diuina miſericordia eſt magis naturalis ipſi, quam iuſtitia; eo quod miſereri, & parcere conuenit illi ex ſe, punire vero, non niſi propter noſtra peccata: ergo deſperatio eſt maius peccatum quam præſumptio. Confirmatur, quia deſperatio eſt receſſus à Deo, præſumptio autem eſt acceſſus, etſi inordinatus, & nimius ad ipſum; maiorē aũt videtur habere malitiã receſſus à Deo quam acceſſus ad ipſum, etſi ſit inordinatus. Verum autem ſit mortale, vel veniale, eiendum eſt ſine dubio quantum eſt ex obiecto, & materia eſſe mortale, quia res eſt grauis: ex defectu tamen perfectæ deliberationis, ſeu aduertentiæ rationis poteſt eſſe veniale, ſicut alia peccata.

Tertia. Dico tertio, præſumptio eſt pecatum, quod oritur ex ſuperbia. ita Diuus Tho. hic articulo 4. ſequens D. Gregorius 31. mor. cap. 31. Et probat, quia quemadmodum præſumptio, quę innititur proprię virtuti, procedit ex inani gloria, eo quod cum aliquis deſiderat multum gloriam, aſpirat ad illam ſupra vires ſuas, ita etiã præſumptio, quę innititur inordinatè miſericordię Dei, oritur ex eo, quod homo tanti ſe ęſtimat, quod etiam eum peccantem Deus non puniat, vel à gloria excludat, quod eſt ſuperbia: atque ita præſumptio, de qua loquimur, erit filia ſuperbiæ.

Soluitio alium. Reſtat argumentis in contrariũ ſatisfacere. Et ad primum conceſſa maiori nego minorem, & ad probationem dico cũ S. Thom. hic articulo 1. ad tertium, in præſumptione reperiri conuerſionem ad bonum commutabile, in quantum procedit ex inordinato amore ſui; & auerſionem à bono incommutabili in quantum attribuit diuinę virtuti, quod ei non conuenit; quod eſt auerti ab ipſo. Vel dici poteſt, in præſumptione reperiri conuerſionem ad bonum commutabile, ſcilicet ad illud bonum, ſaltem delectabile, quod homo diligit quando præſumit, & quod præfert Deo: reperiri etiam auerſionem à Deo quatenus illum grauiter offendit. Etſi enim ipſe actus præſumptionis phiſice loquendo, ſit quędam nimia, & inordinata conuerſio ad Deum, eo tamen ipſo, quod eſt nimia, & inordinata, eſt dicenda potius moralis auerſio. Ad ſecundũ, conceſſa maiori, nego minorem, & ad probationem conceſſa etiam maiori, nego minorem, ad cuius probationem dico, eum qui præſumit quamuis apparenter, videatur magnificè ſentire de gratia Dei, re tamen vera, prauè, & diminutè ſentit de ipſa; ſi quidem vult conſequi à Deo bona contra ordinem diſpoſitum à ſua prouidentia, & ita ſine dubio contemnit adiutorium Spiritus Sancti: quia eo ipſo, quod vult conſequi gloriam ſine meritis, aut veniam peccatorum ſine pœnitentia, non vult adiutorium, ſeu auxiliũ ipſius, quod requiritur ad merendum, & agendum pœnitentiam, quod eſt quod à modo contemnere illud. Addit Aragon, eo ipſo, quod præſumit abijcit timorem diuinę iuſtitiæ, quod eſt donum Spiritus S. Ad tertium, conceſſa etiam maiori nego minorem, & ad probationem dico, ex doctrina S. Thom. artic. 3. præſumptionem opponi tam Spei, quam timori; diuerſimodè tamen, nam ſecundum rationẽ genericam opponitur timori, ſecundũ rationem vero ſpecificam opponitur Spei. Quod ſic declaratur, timor eſt motus quidam fugę; præſumptio vero eſt motus quidam proſecutionis, licet inordinatus: fuga autem, et proſecutio differunt genere; rurſus cum Spes etiam ſit motus proſecutionis ſicut præſumptio non differunt ſecundum rationes genericas, ſed ſecundum rationes ſpecificas, ſeu differentiales; eo quod Spes eſt motus proſecutionis ordinatus, præſumptio vero inordinatus. Ex quo infert S. Thom. directius opponi præſumptionem Spei, quam timori, eo quod ſunt ſub eodem genere, contraria autem propria ſint ea quæ ſunt ſub eodẽ genere.

Coroll. Ex hoc etiam infero, per actum veræ præſumptionis deſtrui tam timorem infuſum, quam Spem infuſam. Ita S. Thom hic artic. 3. ad 3. & ratio eſt, quia præſumptio eſt quidam actus verè contrarius Spei, & timori; quemadmodum ergo per deſperationem deſtruitur Spes, quia eſt actus illi contrarius, ita etiam per præſumptionem deſtruetur tam timor, quam Spes propter eamdem rationem: non dico quod ſemper amittatur Spes, aut timor quoties peccatur contra illa, hoc enim eſt falſum, cum poſſit quis peccare omittendo huiuſmodi actus quando ſunt ſub præcepto, & tamen tunc non deſtruũtur Spes, & timor, ſicut nec amittitur fides quando peccatur contra illam per omiſſionem actus. Sed ſolum dico, quod quemadmodum amittitur fides quoties habetur actus contrarius hæreſis, aut infidelitatis, ſic etiam quoties habetur actus præſumptionis, deſtruitur etiam Spes, & timor propter dicta: neq; in hoc opus

ponere

ponere limitationem, quam affert Bañez.

Quæſtio ſeptima.

An ſi alicui facta eſſet reuelatio de ſua damnatione teneretur ſperare, an vero poſſet deſperare de illa.

Quæſtionis difficultas.

QVæſtio hæc tam difficilis viſa eſt aliquibus, vt ad fugiendam difficultatẽ illius dixerint, Deum non poſſe, etiam de potentia ſua abſoluta, reuelare alicui ſuã damnationem, aut reprobationem: loquendo de reuelatione abſoluta, & quæ non ſit commi.atoria, aut conditionata. Ita Altiſiodor. & Bonau. Dionyſius Richelius, & ex parte Comitol. Fundamentum eſt, quia implicare videtur contradictionem, quod Deus faciat talem reuelationem: nam ſequeretur talem hominem eſſe viatorem, & non viatorem; viatorem quidẽ, quia eſſet homo in hac vita exiſtens, quod eſt eſſe viatorem; rurſus non eſſet viator, quia viator eſt homo tendens in beatitudinem ſibi poſſibilem; illi autem, ſuppoſita reuelatione, non eſſet poſſibilis beatitudo. Præterea talis homo, cui facta eſſet reuelatio eſſet perplexus, quia teneretur ſperare beatitudinem, vel ſaltem non deſperare de illa, quia, vt diximus diſp. 2. q. 5 de hoc eſt præceptum diuinum, & naturale: deinde non teneretur ſperare, ſed poſſet deſperare, quia non apprehenderet beatitudinem, vt ſibi poſſibilem, ſed, vt impoſſibilem; non ergo poteſt fieri talis reuelatio.

Sententia cõmunis.

Sed communis, & vera ſententia tenet poſſe Deum de ſua potentia abſoluta alicui reuelare abſolutè ſuam damnationem, vel reprobationem. Ita Scholaſti in primo d. 48. D. Thom. *de veritate q.* 23. *artic.* 8. *ad* ſecundum, Bañez, Valentia, Suarez, Vaſquez, Turrianus, Siluius, Caſpenſis, & alij. Videndus etiam noſter Michael de Bononia in 2. diſt. 4. & 5 q. vnica in primo argumento Pauli Perufini contra 3. concluſionem, & Philippus à SS. Trinit. infra referendus. Ratio eſt, quia, quod aliquis ſit reprobus, vel damnandus eſt veritas quædam à Deo certe cognita ab æterno, ergo poteſt illam cui voluerit abſolutè reuelare: patet conſequentia, tum quia non alia ratione reuelat Deus alias veritates ſupernaturales, etiam de prædeſtinatione, & ſalute hominum, qualiter creditur facta B. Virgini, & Apoſtolis: tum etiam, quia in hoc nulla eſt repugnantia, vt conſtabit ex dicendis. Confirmatur, quia iam de facto reuelauit Deus in Sacra Scriptura Antichriſtum futurum reprobum, & damnandum, quæ ergo implicatio eſt, quod ipſi Antichriſto reuelet ipſum eſſe Antichriſtũ, ſicut poteſt hoc alijs reuelare: ac proinde iam Antichriſtus habebit reuelationem de ſua damnatione. Addunt tamen; & merito, Theologi; præſertim S. Thom. *dicto loco*, de potentia ordinaria non poſſe fieri talem reuelationem, tum quia eſſet contraria legi communi, qua Deus ſtatuit omnes peccatores poſſe, & debere ſperare beatitudinem, & eam bonis operibus procurare: tum quia per talem reuelationem induceretur homo non ſolũ in deſperationem, ſed etiam in omnia alia peccata, & tranſgreſſionem omnium peccatorum. Vnde nec de Antichriſto credendum eſt habiturum talem reuelationem, ſed, vel non crediturum Sacram Scripturam, in qua dicitur Antichriſtum fuiſſe damnandũ, vel ſaltẽ non certo crediturũ ſe eſſe Antichriſtum, de quo ibi eſt ſermo. Vnde fit, quod ſi alicui fiat reuelatio de ſua condemnatione, non ſit intelligenda abſolutè, ſed ſolum conditionatè, & cominatoriè, ad modum quo Chriſtus Ioan 8. dixit Phariſæis; *Et in peccato veſtro moriemini*. Ideſt, niſi pœnitentiam egeritis &c. cuius generis ſunt multæ aliæ reuelationes in Sacra Scriptura, de morte corporali: vt de morte Ezechiæ *Iſai* 38. ibi: *Morieris, & non viues*. & Ionæ 3. de Niniuitis, *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubuertetur*. Poſito ergo reuelationem abſolutam de damnatione alicuius eſſe poſſibilem, procedit quæſtio præſens an ſcilicet ille, cui facta eſſet talis reuelatio, poſſet, aut teneretur ſperare, an vero nec poſſet, nec teneretur: ſed potius poſſet deſperare.

Prima ſententia.

Prima ſententia docet illum, cui facta eſt talis reuelatio poſſe, & teneri ſperare. Ita Victoria, vt refert Aragon, & ſequitur Granadus. Primo, quia per illam reuelationem non aufertur ab ipſo præceptum Spei, ergo adhuc poſita illa tenetur ſperare ſicut antea: conſequentia patet, & antecedens prob. quia ſi Deus alicui reuelaret, quod eſſet commiſſurus aliquod peccatum ſicut reuelauit S. Petro negaturum Chriſtum, per illam reuelationem non tolleretur præceptum de non committendo tale peccatum, alias non peccaret committendo illud, & per conſequens reuelatio Dei, qua prædicebatur illum commiſſurum peccatum eſſet

set falsa: ergo similiter in nostro casu per reuelationem damnationis non tolletur præceptum Spei; ac per consequens, etiam illa posita, poterit, & tenebitur homo sperare. Secundo, si ille homo in tali casu non posset, nec teneretur sperare beatitudinem, ergo etiam nec posset nec teneretur seruare alia præcepta, & ex consequenti nec peccaret violans illa. Prima, consequentia patet: tum ex illo Pauli 1. Corinth. 9. *Debet in Spe qui arat arare*; tum etiam, quia nemo potest nec tenetur velle media necessaria ad consequutionem finis, si nō potest, nec tenetur sperare finem ad quem illa media ordinātur: sicut nemo potest, aut tenetur sumere medicinam nisi possit, aut teneatur sperare sanitatem: si ergo ille homo non posset, nec teneretur sperare beatitudinem, nec etiam posset, aut teneretur seruare mandata. Tertio, ponamus, quod ille homo, cui esset facta talis reuelatio esse iustus existens in gratia, tunc ille homo absolutè posset, & teneretur perseuerare in gratia, & saluari; eo quod per talē reuelationē nō auferuntur ab illo auxilia necessaria: ergo posset etiā & teneretur sperare beatitudinem: patet consequentia, quia non potest homo perseuerare in gratia, & saluari, nisi adimpleat ea, quæ sunt necessaria, vt medium ad salutem, qualis est actus Spei. Quarto, quia si ille homo non posset, aut teneretur sperare, maximè quia haberet certitudinē suæ dānationis, sed hæc ratio est nulla: ergo: probatur minor, quia inde sequeretur totam rationem, quare modo reprobi sperant, esse ignorantiā, vel dubium suæ damnationis. Tandem quinto, quia potest aliquis esse damnatus solum propter peccatum omittendi actum Spei: ponamus ergo *Deum* illi reuelare suam damnationem, ille homo poterit, & teneretur sperare, alias non peccaret non sperando, eo quod nullus peccat omittendo id, quod non potest, aut tenetur facere; supponitur autem illam omissionem fuisse peccatum, & propter illud damnandum; ergo etiam posita reuelatione de damnatione potest homo, & tenetur sperare.

Secunda sentētia est quasi limitatio præcedentis, & dicentiū, quod dupliciter po- 2. sententia test fieri huiusmodi reuelatio; primo, ita vt solum reueletur illi homini sua damnatio, non tamen neganda esse illi, sed potius concedenda auxilia sufficientia ad salutem; secundo, ita vt vtrumque illi reueletur, scilicet; se esse damnandum, & neganda sibi auxilia sufficientia. Si reuelatio fiat primo modo, dicunt, posse, & teneri illum hominem sperare; si vero, secundo modo, nec posse, nec teneri. Fundamentum est, quia si reuelatio fiat primo modo, adhuc illa posita, est beatitudo possibilis illi, mediis scilicet auxiliis sufficientibus; si vero fiat secundo modo, beatitudo est impossibilis, quia denegantur auxilia necessaria sufficientia, sine quibus homo non potest saluari: ergo poterit, & tenebitur in primo casu sperare beatitudinem, non autem in secundo.

Aliter tertio distinguit Becanus, quod Tertia si alicui reueletur se reprobatum esse propter peccata præterita, quæ Deus nec remisit, nec statuit remittere, tunc non posse sperare beatitudinem; si vero alicui reuelatur se reprobatum esse propter peccata futura tunc posse. Fundamentum est, quia in hoc secundo casu ille homo teneretur vitare peccata illa: ergo posset, & teneretur sperare media ad non committenda illa: ergo etiam posset sperare se non damnandum.

Sententia tamen nobis tenenda est, ho- Sententia minem illum cui fieret reuelatio certa, & tenenda absoluta de sua condemnatione, nec posse, nec teneri sperare, imo posse licite desperare de beatitudine consequenda. Hæc est communior, præsertim inter recentiores, quales sunt Bañez, Aragon, Valentia, Turrianus, Siluius, Coninck, Amicus, & Serra, ac noster Philippus à Sanctissima Trinitate Tom. 3. disputat. 10. dub. 8.

Dico igitur primo, homo cui fieret ta- 1. conclus lis reuelatio non posset sperare beatitudinem. Ita Authores modo relati. Et ratio efficax est ex dictis in superioribus; quia ad hoc quod homo habeat actum propriū Spei circa beatitudinē, requiritur quod illam iudicet, vel apprehendat vt sibi possibilem, & futuram: hoc enim est necessarium ad obiectum actum Spei, vt diximus: sed homo, cui facta est reuelatio de sua damnatione non posset illā iudicare, vt sibi possibilem, vel futurā: ergo non potest habere actum Spei circa illam. Minor patet, quia talis homo, cum certo, & euidenter cognosceret reuelationem illam, quia in hoc casu procedit quæstio, certo & euidenter etiam iudicaret eā esse verā, vrpote à Deo, qui neque fallere, nec falli, nec mutari potest; ergo non posset iudicare beatitudinē esse sibi possibilē, & futuram. Confirmatur primo, quia Spes est certa expectatio futuræ beatitudinis; sed ille homo non potest habere certam expectationem futuræ beatitatis, cum certo sciret non esse sibi futuram beatitudinē: ergo nec posset habere Spem. Secundo, quia ex eo damnati non possunt sperare beatitudinem quia iudicant eam sibi esse impossibilem, & non futuram; sed qui haberet reuelationem, de qua loquimur etiam hoc iudicaret: ergo.

Dixi

Explicatio. Dixi autem ex professo in hac conclusione, illum cui fieret talis reuelatio non posse sperare beatitudinem, quia re vera posset sperare alia bona à Deo, scilicet auxilia ad non peccandum, & operandum bene. Ratio est, quia posset ista iudicare vt bona sibi possibilia, & futura, cum hoc non repugnet reuelationi facti, quę solum fuit de negatione beatitudinis. Verũ est, quod cũ Spes non inclinet ad sperãda ista bona, nisi quatenus cõducũt ad beatitudinem, eo quod beatitudo sit non solum obiectum materiale principale, sed etiam formale *quod* Spei, iuxta dicta supra disputat. prima quæst. secunda; ideo actus sperandi illã nõ erit elicitus à virtute Spei, sed à Charitate, vel ab alia virtute: imo talia bona possent sperari secundum se considerata, non prout ordinantur ad beatitudinem propter eamdem rationem.

Addition. Addendum est etiam; si alicui reueletur sibi danda, aut non deneganda auxilia sufficientia ad salutem, dummodo reueletur certa eius damnatio, & etiam si ei reueletur quod sit futura illa damnatio propter peccata futura, non potest illa homo sperare. Hoc statuo cõtra authores secundæ, & tertiæ sententiæ. Et ratio est ex dictis, quia quomodocunque ex illis fiat reuelatio talí homini, non potest apprehendere beatitudinem, vt sibi moraliter posibilem, aut futuram; propter dicta: ergo nec potest sperare illã.

2. concl. Dico secundo. Cui facta esset talis reuelatio non teneretur sperare beatitudinem. Est certissima conclusio, & patet euidenter ex ipsa, nam nemo tenetur ad impossibile; sed est impossibile, vt diximus, homini illi habere actus Spei circa beatitudinem: ergo non teneretur sperare illã. Confirmatur, quia eo ipso quod reuelatur illi homini sua damnatio, tollitur ab illo obligatio præcepti sperandi beatitudinem: obligatio enim, & præceptum sperandi beatitudinem supponit eam esse possibilem, & futuram ex auxilio Dei: quod tollitur per illã reuelationẽ: siquidem per illam constat de non futuritione, imo de impossibilitate in sensu composito ipsius; ergo non tenetur sperare illam.

Tertia. Dico tertio. Cui facta esset talis reuelatio posset licitè, & sine peccato desperare de beatitudine consequenda. Hæc etiã conclusio est authorũ quartæ sent. contra authores aliarum: intelligenda autem nõ solum de desperatione negatiua, aut priuatiua, prout importat omissionem actus desperandi, quia hoc euidenter colligitur ex conclusione; nam ex eo quod quis omittat id quod non potest facere, vel non tenetur facere non peccat: sed etiam de desperatione positiua, prout importat actum positiuum voluntatis, quo quis fugit vel non vult beatitudinem, vt sibi non futuram, vel non possibilem. Ex quo efficaciter probatio conclus. primo, ex Sanct. Thom. supra quæst. 20. articulo primo, ad tertium dicente, damnatos inferni non peccare desperando beatitudinem: ex hoc enim sequitur idem esse dicendum de eo, cui facta esset reuelatio de sua damnatione. Si enim damnati non peccant desperando, ideo est, quia apprehendunt beatitudinem vt sibi impossibilem, & non futuram, quæ etiam ratio procedit in eo, cui facta esset reuelatio de sua damnatione. Secundo, quia si Petrus sciret aliquem esse reprobum, posset licitè desperare de beatitudine illius: ergo etiam si sciret se ipsum esse reprobum. Consequentia patet à paritate rationis, & antecedens constat ex Diu. Augustin. lib 21. de Ciuitate, capit. 24. asserente, quod si Ecclesia sciret de aliquo esse reprobum, non magis oraret pro ipso, quam pro Diabolo: ergo signum est posse desperare de salute illius, quem constaret esse reprobum: patet consequentia, quia cum oratio sit manifestatiua Spei, pro eo de cuius salute speramus possemus orare. Tertio, & à priori, quia si ille cui facta esset reuelatio de sua damnatione non posset licitè desperare, maximè, quia desperatio est mala, & peccatum; sed in illo casu non esset mala, aut peccatum, ergo. Probatur minor, quia tunc desperatio est mala, & peccatum quando quis fugit, aut non vult beatitudinem, quam re vera iudicat, aut debet iudicare sibi possibilem, & futuram, aut, quod idem est, cum contemptu omnipotentię, aut misericordiæ Dei, quasi sufficientis ad dandum illam: sed in casu quo quis haberet reuelationem certam de sua damnatione, nec iudicaret, nec posset iudicare beatitudinem sibi esse possibilem, aut futuram, vt probatum est, nec contẽneret diuinam potentiam, aut misericordiam, quasi insufficientem, ad dandum illi beatitudinẽ, sed solum conformaret se diuinæ prouidẽtiæ nolenti sibi dare illã, & veracitati, qua dixit se non daturum: ergo posset tunc desperare.

Corollar. Ex quo fit primo non solum non peccaturum sic desperando, sed etiam, posse in hoc exercere actũ bonũ; primo, si hoc faceret ex motiuo conformitatis cum voluntate diuina, dicendo: *Fiat voluntas tua*; Secundo, si faceret ex motiuo adimpletionis iustitiæ diuinæ, dicendo illud Psal. 118. *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum* vel in recognitionẽ supremi dominij Dei super ipsum, dicendo cum Heli: *Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat.* Fit etiam secundo, non desperare illum ho-

hominem necessario, sed liberè, atque ita posse non desperare. Ratio est, quia adhuc posita illa reuelatione posset suspendere omnem actum circa illam, vel conformare se cum voluntate diuina; imo etiam laudare, & magnificare ipsum, quod etsi sit difficile, spectata conditione naturæ humanæ, quæ tam propensa est in bonum propitium, absolutè tamen est possibile est gratia, & auxilio Dei. Sed dices, ea quæ sunt intrinsecè mala, nullo pacto possunt esse bona, aut non mala, sed desperatio est intrinsecè mala; ergo nullo modo potest esse bona, aut non mala, ac per consequens semper peccaret homo ille desperando de sua beatitudine. Confirmatur, quia desperatio ex natura sua est vitium oppositum virtuti Spei, ergo semper, & in omni casu est mala. Respondeo ex dictis, quod desperatio, quæ est intrinsecè mala, & quæ opponitur virtuti Spei, est illa, qua quis fugit, aut non vult beatitudinem quam iudicat, aut debet iudicare sibi possibilem, & futuram, aut cum contemptu misericordiæ, aut omnipotentiæ diuinæ, quasi insufficientis ad dandum illam: desperatio autem, quæ est de beatitudine, quam certo scimus non esse possibilem, futuram, aut dandam à Deo, vel quę non fit, cum contemptu misericordiæ, & omnipotentiæ ipsius; sed cum conformitate cũ voluntate, & veracitate ipsius, qualis est ea de qua loquimur, nec est intrinsice mala, nec opposita virtuti Spei, & ita potest esse non mala, imo & bona, vt dictum est.

Solutio argumen. cõtrariorum.

Solum restat nunc contrarijs argumentis satisfacere. Et ad primum primę sententię nego antecedens, & ad probationem concesso antecedenti nego consequentiã, & ratio desparitatis est, quia per reuelationem Dei de damnatione futura aufertur à Beatitudine ratio possibilitatis; & ita per illam fit, quod non possit esse obiectum Spei, eo quod Spes tantum debeat esse de bono possibili; ac proinde ex ea aufertur ab homine cui est facta obligatio, & prœceptum sperandi beatitudinem; eo quod non possit sperare illam, & nemo teneatur ad impossibile. At vero per reuelationem de aliquo peccato committendo non aufertur ab obiecto illius virtutis, cui opponitur tale peccatum, possibilitas, aut aliquid pertinens ad rationem formalem ipsius, sed solum manifestatur, quod est committendum contra talem virtutem; & ita per reuelationem de peccato illo cõmittendo non tollitur obligatio, & prœceptum, quod est de illo non committendo, sed permanet sicut antea. Ex quo etiam respondeo ad secundum concedendo antecedens, & negando consequentiam, seu sequelam. cum enim per talem reuelationem solum tolleretur possibilitas sperandi beatitudinem, non tamen tolleretur possibilitas seruandi alia prœcepta; ideo, etsi non teneretur sperare beatitudinem, teneretur tamen seruare illa. Et ad primam probationem in contrarium dico, Apostolum intelligendum esse de potentia ordinaria Dei, & posito, quod Deus nulli reuelauit suam damnationem; nos autem loquimur in casu contrario de potentia absoluta. Ad secundam vero dico, tantum probare illum hominem non posse, nec teneri seruare alia mandata, quatenus sunt media ad beatitudinem, non vero quatenus in se habent bonitatem, & conformitatem cum lege. Ad tertiam dico, quod ille homo cui facta est reuelatio de sua damnatione posset absolute non solum perseuerare in gratia, sed etiam saluari; ex suppositione tũ diuinę reuelationis nõ posset perseuerare in gratia (intelligendo per totam vitam) neq; saluari: neque inde sequitur necessario damnari, libere enim damnaretur; eo quod necessitas ex suppositione consequenti, quę scilicet dependet à voluntate, solum est necessitas secundum quid, & non derogat libertati; illa autem reuelatio solum induceret necessitatem ex suppositione consequendi dependente à libera voluntate illius hominis cui facta est: ex eo enim quod Deus prœuidet ipsum moriturum in peccato reuelauit illi suam damnationẽ, atque ita non derogaret libertati voluntatis. Et quando infertur in consequentia; ergo posset, & teneretur sperare beatitudinem, nego consequentiam, propter dicta: & ad probationem dico, eo ipso, quod ratione reuelationis est impossibilis actus sperandi beatitudinem, desinere etiam esse medium necessarium ad salutem, & esse sub prœcepto.

Ad quartum, concessa maiori nego minorem, & ad probationem nego sequelam: etsi enim ignorantia reprobationis sit cõditio necessaria ad hoc quod reprobi sperent suam salutem, eo quod suppositа illa, nõ possunt iudicare beatitudinẽ sibi possibilem, & futuram; non tamen illa ignorantia est illis ratio formalis sperandi beatitudinem, quia non sperant illam nisi sub ratione boni possibilis, & futuri ex auxilio Dei, quæ est ratio formalis obiecti Spei.

Solutio quinti argumenti

Ad quintum, omissis multis, de quibus Valentia. Respondeo cum ipso, & Bañez, casum illum, quod scilicet aliquis dãnetur propter omissionem actus sperãdi, & quod fiat reuelatio illi de sua damnatione, esse impossibilem, & implicare contradictionem: nam eo ipso quod ponitur aliquem esse damnandum propter omissionem

nem sperandi, supponitur illam esse peccatum, quia nemo damnatur, nisi propter aliquod peccatum: & eo ipso, quod ponitur Deum certo, & absolutè revelasse *illi* homini suam damnationem, supponitur talem omissionem actus Spei nõ fuisse peccatum propter dicta, scilicet, quia posita illa revelatione non potest sperare; ac per consequens nec peccare non sperãdo, atque ita est implicatio in casu posito.

Solutio fundam. 2 sentent.

Ad fundamentum secundæ sententiæ dico, quod licet beatitudo esset illi homini possibilis, tũ absolutè; tum aliquo modo ex suppositione, scilicet physicè, & quãtum est ex natura auxiliorum sufficientiũ; quia tamen est illi impossibilis ex suppositione saltem moraliter; ideo non potest, nec tenetur sperare. Addo, obiectum Spei non sufficere quod apprehendatur vt possibile, sed viterius requiritur quod apprehendatur aliquo modo vt futurũ, vt dixi in superioribus: quia ergo talis homo non potest apprehendere beatitudinem vt futuram sibi ideo non potest eam sperare, etiam si illam apprehendat vt possibilem. Ad fundamentum tertiæ, fateor illum hominem, cui revelata est sua damnatio propter peccata futura, posse, & teneri vitare illa, & etiam posse, & teneri sperare media ad vitandum illa, saltem determinatè, & in particulari, quia neutrum opponitur revelationi factæ: non tñ posse, nec teneri sperare non damnari, aut consequi beatitudinem, propter rationes adductas. Et ita concesso antecedenti, & prima consequentia, nego secundam, & ad probationem dico, quod licet ille homo non damnaretur, nisi peccaret, quia tamẽ erat certus ex revelatione se damnandũ, ita etiam erat certus se commissurum aliquod peccatum, vage scilicet, propter quod erat damnandus; & ideo non poterat sperare suam beatitudinem.

IESVS

Digitized by Google

IESVS MARIA.

TRACTATVS III.
DE CHARITATE.

DISPVTATIO PRIMA.
De virtute Charitatis.

Quæstio prima.
Vtrum Charitas sit amicitia inter Deum, & homines.

Charitatis ethimologia.

CIRCA ethymologiã huius nominis *Charitas* variè opinantur authores. Quidam enim putant esse latinũ, deriuarique à nomine *carus*, quod significat tam illud, quod est dilectum, & amatum, quam illud, quod venditur magno pretio: quibus fauet Calepinus *verbo carus*. Nihilominus probabilius cum alijs puto, vocem *Charitas* non esse latinam, sed græcam, deriuarique à verbo græco *cairo*, vel *charis*, quod significat *gratiam*: ac proinde scribendam esse cum aspiratione h. Ita Remigius *in Ioan.* 21. Budęus *in Commẽtarijs linguæ græcæ*, & alij. Placet autem mihi hęc opinio, ex eo quod in correctissimis libris cum aspiratione scribitur *Charitas*; tum etiam quia, vt sic clarius distinguetur à verbo *Caritas* sine aspiratione, quo significatur, vt dixi, *lo carestia*, & deriuatur à *careo careres*, quia illud, quod venditur magno & caro pretio caremus. Quomodocumque tamen sit, vox Charitas, prout in præsenti sumitur, significat idem, quod *amor*, seu *dilectio*.

Amicitiæ vocabulũ

Aduertendum cum Caietano, & alijs, *amicitiæ* vocabulum dupliciter vsurpari posse; primo, pro relatione reperta inter amicos: sicut enim similitudo formaliter est relatio, quia vnum simile refertur ad aliud simile, sic etiam *amicitia* est quędam relatio qua amicus refertur ad amicum. Secundo modo sumitur *amicitia* pro fundamento proximo huius relationis. In præsenti ergo, cum quęrimus de natura *amicitiæ* non quęrimus de illa primo modo sumpta, vt sic enim certum est esse quamdam relationem ęquiparantiæ, qua vnus alteri in amore refertur; sed quęrimus de fundamento huius relationis, quod verè, & proprie *amicitia* appellatur.

Definitio.

Amicitia igitur hoc modo sumpta sic definiri potest ex doctrina Aristot. 8. *Ethic. cap.* 2. & Sanct. Thom. hic quæstione 23. articulo primo. *Amicitia est amor benevolentiæ, mutuus, non latens, cum*

aliqua bonorum communicatione. Quam definitionem explicant alii adiungendo amorem, benevolentiam, vnionem, & mutuam beneficentiam. Sed non videtur hæc definitio vocabulo *amicitiæ* satisfacere: amor enim illius proprie est actus voluntatis, pertinens ad omnem amorem, bonum & *benevolentiæ*. Pro quo notandum communiter omnem amorem definiri à Sanctis per conceptionem, & amicitiæ, seu benevolentiæ. Non enim videtur amor aliquis definiri à Deo, aut à Sanctis, quo non concernitur à nobis, vel aliter: quare quotiescumque nobis obtenditur amor conceptionis, per eum nobis illa explicandum proponitur, vt patet in definitione Dionysij, diuinus amor non est in aliquo, nisi per amorem quendam, talem sibi reflexionem, qua ille vnitus mihi, amor dicitur conceptionis, &c. Vnde si amorem conceptionis, & amicitiæ ponas in duobus actibus, vel diuersis, dicemus amicitiæ esse amorem, quam desiderantes amare, & semper cum experimento amare laudit: quando enim voluntas bonum, illud amat, quia videtur sibi bonum, & ita qui videtur bonum, & amat, videtur sibi (vt videtur velle) amare, quod illi conceptionem, vel amorem esse percipit. Amor autem benevolentiæ eiusmodi non bonum aliud propter se: Cum igitur in definitione amicitiæ ponitur benevolentia, vel id denotandum est, quo vtrumque amorem conuenire, vel amorem, qui amicitiæ solum perfectum benevolentiæ, quod magis exigit ratio in disputatione. Amor dicitur in definitione amicitiæ vbi amorem nomine amicitiæ intelligimus, quatenus communem amicitiæ, & amoris benevolentiæ rationem, quæ est amare vel benevole. Ob eiusmodi autem communem rationem dicitur amicitia amoris species, & reuera amor, qui amicitia est vehemens bonis. Propter quod dum vult illa amicitia esse amoris benevolentiæ, & amicitiæ, & dicit illam esse amorem, quo bonum aliquod communicatur, & mutua beneficentia, non videtur definitio vocabulo *amicitiæ* satisfacere: amor enim illius proprie est actus voluntatis, pertinens ad omnem amorem, bonum & benevolentiæ

mor actualis amicitiæ, requiritur ergo ad illam quidam status habitualis coniunctionis, seu amoris, qui status aliquãdo est per verum habitum realem, & positiuũ causatum in amãtibus ex pluribus actibus amoris amicitiæ: aliquando vero solum est per aliquam dispositionem, vel denominationem extrinsecam, ab actu, vel actibus amoris præteritis non retractatis, prouenientem; ad modum quo homo postquam peccauit dicitur manere in peccato habituali quamuis nullum habitum de nouo acquisierit.

De diuisione amicitiæ.

Circa diuisionem amicitiæ notauit Sanctus Thomas quæst 23. articulo quinto, diuidi primo secundum diuersitatem communicationũ, in quibus amicitia fũdatur; ita ut alia sit amicitia consanguineorum; alia conciuium; alia peregrinantium &c. hæc autem diuisio materialis est, cum per illam non diuidatur amicitia secundum suam rationem formalem, sed solum ratione subiectorum. Secundo vero, & principalius diuiditur amicitia ex parte boni, quod amamus, in *honestam*, *vtilem*, & *delectabilem*; quam diuisionem tradidit Aristot. 8 *Ethic. cap.* 3. Est autem amicitia *honesta*, qua volumus aliquod bonum amico propter seipsum: amicitia *vtilis* est, qua volumus aliquod bonum ipsi propter nostram vtilitatem: amicitia vero *delectabilis* est, qua volumus illi aliquod bonum propter nostram iucunditatem, aut voluptatem. Nota tamen, quod quamuis hæc diuisio formalior sit, & appareat quam præcedens, quia datur non ex parte subiectorum, sed ex parte amoris, & boni voliti, quod pertinet intrinsecè ad rationem amicitiæ: nihilominus sola amicitia honesta est propria, & vera amicitia; est enim amor rei propter seipsam; amicitia vero vtilis, & delectabilis tantum secundum quid sunt amicitiæ; cum potius simpliciter sint amores concupiscentiæ. Vnde hæc diuisio non est vniuoci in vniuocata, sed analogi in analogata, & iuxta opinionem vulgi, amores istos appellantis amicitias.

His positis, circa propositam difficultatem, an scilicet Charitati conueniat esse amicitiam inter Deum, & homines; ratio dubitandi pro parte negatiua est primo, authoritas Aristotelis, qui non solũ 8. Ethic. cap. 3. negat esse amicitiam inter Deum, & homines, sed *& secundo Magn. moral cap.* 11. impugnat oppositum affirmantes. Secundo, quia ratio, & essentia amicitiæ cum conditionibus assignatis non potest esse inter Deum, & homines: ergo nec vera amicitia. Probatur antecedens, quia in primis, Dei ad homines nõ est amor benevolentiæ, quia iste debet esse amor rei propter seipsam; Deus autem non amat homines, aut vult bonum hominibus propter ipsos, sed propter seipsũ solum, iuxta illud Prouerb. 16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus*: Rursus neque hominũ ad Deum potest esse amor benevolentiæ, ac per consequens nec mutuitas amoris ad amicitiam requisita; homines enim nullum bonum possunt velle Deo. Deinde, quamuis Deum non lateat amor noster ad ipsum, tamen amor Dei latet nos, etenim iuxta illud Ecclesiastic. 9. *Nescit homo vtrum amore, an odio dignus sit*. Similiter non est inter hominem, & Deum aliquorum bonorum cõmunicatio ad amicitiam requisita: si enim deceat beneficiorum largitionem, etsi verum sit quod Deus plurima bona nobis concedat, nos tamen nihil Deo tribuimus; si vero importet societatem, conuenientiam, vel similitudinem in aliquo bono, manifestum etiam est non posse esse inter Deum, & homines, tum quia Deo iuxta illud Dan. 2. *Non est cum hominibus conuersatio*, tum etiam, quia in quacunque consideratione Deum, & homines accipiamus, est infinita distantia Dei ad homines: non ergo potest esse aliqua similitudo. Et confirmari potest, quia inter dominum, & seruum nulla potest esse amicitia, quod non solum indicauit Aristoteles octauo Ethic. cap. 7. sed colligitur ex illo Christi Ioan. 15. *Iam non dicam vos seruos &c. vos autem dixi amicos*: sed homines sunt innumeris titulis serui & mancipia Dei, non ergo possunt esse illius amici. Tertio: nam si Charitas est amicitia hominis ad Deum, vel id competit illi essentialiter, & intrinsicé, taliter quod ex sua natura sit amicitia, vel solum accidentaliter, & extrinsecé: si dicatur primum, sequitur per habitum, vel actum Charitatis hominem iustificari, cuius contrarium diximus Tomo præcedenti Tractatu 7. disputat septima, quæst. quinta; sequela probatur, quia cum peccatum sit inimicitia quædam tolletur per id quod fuerit essentialiter amicitia. Si autem dicatur solum extrinsecè, & accidentaliter esse Charitatem amicitiam, idem dici posset de alijs habitibus supernaturalibus, præsertim coniunctis cum gratia iustificante: nihil ergo peculiare habet Charitas ratione cuius sit, & dicatur amicitia.

Rationes dubitandi

Sed in hac re dico primo, inter homines iustos, & Deum reperitur vera amicitia. Hanc conclusionem non immeritò censent aliqui Theologi esse de fide. Colligitur enim ex multis locis Sacræ Scripturæ, tam veteris, quam noui Testamenti. Etenim Sapient. 7. dicitur de hominibus: *Participes facti sunt amicitiæ Dei*. Et rursus Sapientia: *Amicos Deo constituit*

1. concl.

Psalm 138. *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Canticor. 2. *Surge, propter ea amica mea.* Et cap. 5. *Ipse est amicus meus.* Ioan. 15. *Vos autem dixi amicos.* Et rursus *Vos amici mei estis.* Et ratio est, quia, vt videbimus, inter homines, & Deum intercedunt omnes conditiones requisitæ ad rationem veræ amicitiæ.

Secunda. Dico 2. Charitati competit esse amicitiã hominis ad Deum. Hanc conclusionem, vt puto, admittunt omnes Theologi. Et ratio est, quia ipsi conueniunt conditiones ad amicitiam veram requisitæ. Primo enim per Charitatem diligimus Deũ amore benevolentiæ volendo illi plurima bona; tum gaudendo de intrinsecis quæ habet, tum exhibendo illi extrinseca, qualia sunt honor, gloria, & cultus. Similiter ille amor est mutuus, diligit enim Deus etiam amore benevolentiæ diligentes se, iuxta illud Prouerb. 8. *Ego diligentes me diligo.* Rursus hęc amicitia est non latens, nam, quod attinet ex parte Dei ipsi est notissimus amor noster erga illum: amor vero Dei erga habentes Charitatem quantumuis illis clare non innotescat, nihilominus certa fide credunt, quod si ipsi sunt iusti diligantur à Deo: & quãuis illis, quia non constat ipsis euidenter, & certo esse iustos, non etiam constet certo, & euidenter diligi à Deo, nihilominus morali certitudine, quæ innititur signis, & coniecturis, sunt iusti certi de tali amore. Denique est communicatio bonorum inter Deum, & homines; nam si per illam intelligatur mutua largitio beneficiorum, suo modo reperitur inter ipsos; Deus enim innumera dona tam naturalia quam supernaturalia elargitur iustis: iusti etiam, etsi nihil Deo intrinsecum tribuant, tribuunt tamen honorem, reuerentiam, cultum, & obedientiam, & alia huiusmodi. Si vero per largitionem bonorum intelligatur similitudo, & æqualitas amicorum in aliquo bono, hæc etiam requiritur suo modo in proposito: per gratiam etenim, Charitatem, & dona supernaturalia quodam modo diuinam naturam participamus, iuxta illud D. Petri: *maxima, & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamur diuinæ consortes naturæ.* Similiter participant iusti eandem beatitudinem quam ipse participat, in via quidem imperfecte, & in Spe; in patria autem perfectè, & in possessione: in qua communicatione dicit S. Thom. hic quæst. 23. articulo 1. fũdari amicitiam: nihil ergo deficit Charitati quominus sit vera amicitia hominis ad Deum. Addendum, amicitiam illam esse perfectissimam, non solum, quia est supernaturalis, & ordinis diuini, qualis est ipsa Charitas: sed etiam, quia est amicitia *honesta*, non *utilis*, aut *delectabilis* in sensu Aristotelico, nam obiectum illius ex vtraque parte est bonum amati. Deus enim non vult nobis bona propter aliquã vtilitatem, aut cõmoditatem suam: vt enim dicitur Iob 22. *Quid prodest Deo si iustus fueris, aut quid ei conferris si immaculata fuerit vita tua.* Similiter iusti ex Charitate, solum volunt Deo, sibi, & alijs propter ipsum Deum: esto, quod per Spem sibi etiam, & alijs beatitudinem, & alia bona desiderent. Est ergo Charitas perfectissima amicitia inter Deũ, & homines.

Quare difficultatibus incontrarium respondeo. Et ad primam ex authoritate Aristotilis dico primo, quod attinet ad amicitiam supernaturalem inter Deum, & homines, de qua loquimur in præsenti, non est curandum de eius authoritate cum illam non cognouerit. Addo secundo, quod quamuis in locis adductis videatur negare amicitiam inter homines, et Deum; intelligendum tamen est de amicitia cum societate, & conuersatione politica, & vrbana, qualis inter homines reperitur. Quod colligitur primò, quia eodem 8. Ethic. cap. 7. etiam negat esse amicitiam inter eos, qui maxime distant, virtute, vel diuitijs, cuius contrarium experientia docet: quamuis enim inter istos non sit amicitia cum magna communicatione, & conuersatione politica, reuera tamen, sufficiens reperitur amicitia: quando ergo ibidem negat amicitiã hominis ad Deum, de hac amicitia loquitur. Præsertim secundo, id colligitur, quia ipsemet Aristoteles aliis locis agnoscit quoddã genus amicitiæ, quam ipse vocat excellentię inter Deum, & homines, vt 8. Ethic. capitulo 10., & 14. Iusuper 10. Ethic. capitulo 8. asserit homines virtuosos, & sapientes amicissimos esse Diis. Quando ergo dictis locis negat amicitiam hominis ad Deum, loquitur de amicitia, quæ est cum conuersatione, & communicatione politica; non de amicitia illa *excellentiæ*.

Ad secundam rationem iam patet ex secunda conclusione qualiter in Charitate reperiantur omnes conditiones ad amicitiam requisitæ. Quod attinet enim ad amorem benevolentię mutuũ, ex parte hominis est iam declaratus: volumus enim Deo per Charitatem simplici affectu complacentiæ omnia bona, perfectiones, & attributa quę habet, gaudendo de ipsis: & bona plurima extrinseca. Similiter nos Deus diligit amore benevolentiæ. Quamuis enim Deus omnia quę vult velit propter se ipsum vltimate, tanquam propter primam rationem agendi; & vltimum

Solutio contrariorum.

Solutio 2. rat. dub.

mum finem, quia tamen vult nobis bona, quatenus bona nostra, & nobis vtilia, & commoda sunt; & non propter suam vtilitatem aut commoditatem, ideo nos diligit amore amicitiæ & benevolentiæ: alias neque nos diligeremus proximos, aut nosmetipsos amore benevolentiæ, si quidem nos, & proximos amare debemus propter Deum vt vltimum finem. Similiter iam ostensum, quomodo hic amor potest dici non latens, & qualiter reperiatur communicatio bonorum inter Deum & homines; sive per communicationem beneficiorum, sive per aliqualem similitudinem, vel æqualitatem. Neque contra hoc obstat illud Danielis secundò, illud enim dictum non fuit à Daniele, sed à Magis Chaldæorum, & tenet verum solum quantum ad hoc, quod inter homines & Deum non sit conversatio, aut cõmunicatio politica, sicut inter homines; altior enim & excellentior communicatio verè datur inter iustos & Deum per Orationem. Neque etiam obstat quod in quacunque consideratione sit infinita distantia inter Deum & homines, hæc enim non tollit quo minus sit aliqualis similitudo, analoga saltem, in perfectionibus ab ipso mendicatis, vt explicatum est.

Solutio confirmationis.

Ad confirmationem distinguo maiorem: quamuis enim inter dominum & servum, quantum ad rationem domini & servi non reperiatur amicitia, quod tantum indicavit Aristoteles, si aliquid dixit; nihilominus quantum ad alias rationes seu considerationes, non obstat quod ille qui conditione servus est habeatur a domino suo pro amico, sicut aliquando adoptatur in filium. Addo etiam, quod quamuis in humanis ita contingeret, quod nunquam servus est amicus sui domini, nihilominus cum servitus quam habent homines ad Deum sit altioris ordinis, bene potest secum compati rationem amicitiæ, propter Dei amorem & benevolentiam, vt docet D. Gregorius hom. 27. Quo etiam modo generaliter responderi potest ad alia quæ ex Aristotele obijci possunt, quale est illud quod amicitia non potest esse ad plures. Hæc enim & similia solum competũt amicitiæ humanæ non diuinæ, qualis est Charitas.

De tertia ratione dub.

Tertia. Dico tertio, habitum Charitatis non poſſe produci à Deo efficienter principaliter reſpectu à cauſa creata, ita modo produci poſſit. Dixi efficienter principaliter, ad excludendum actum primum proximum, & quaſi-cauſam formalem. Dixi ita modo, ut reprimatur ab diuinatione non repugnantia habitus Charitatis produci aliquo tempore à Deo immediate, ſine ullo actu vitali, immediate concurrente ad productionem Charitatis, ita etiam nullo alio tempore fieri poſſet, ſolum modo, ut ordinatio ſapientiæ, etiam ſubſtantialiter concurrat ad actum à Charitate ſolum regulato ſine poſt, & habitum. Charitatis produci ab aliqua cauſa creata efficienter principali, nulla non Deo. Quod probatur primo à ſenſu eſt dicta Tenentium Tertiam, & aduerſarium tanta quæ primo loquuntur de gratia habituali, & reali.

Charitas ſine gratia reddit dictos, & ſpeciales participationes diuinæ naturæ, & non infinitas, ut eſſentiales, ut diuinas ſuperabundantes, ſecundo, quia reddit dictas participationes Deo ſimiles, tertio, quia Deo, & diuinitatem ſecundum quid, ſimilis, & participationes ſupernaturales ſignificatiuas non diuinitatis facultatiuas ad operandum, vt ſtatuat habitus naturales, ſed deo ſimiliter poſſe, & habitudinaliter ad gratiam prouiſionaliter, ideoſtia vnici pertotæ quadam ordine ordinis ſupernaturalis cum actum proprium ſit ſupernaturalis, & ſupernaturalis obiecti ratione ſui proximi, & primi, & habitualis, & vniuerſalis, quæ ſunt ab anima, ideo neceſſe eſt dicere habitualem Charitatis habitum infuſi poſſe dici, vel primum principium vitæ ſupernaturalis actiua, & vitæ ſupernaturalium.

Obiicit 1. de contra remiſſa conſtitutione, quod habitus Charitatis poſſit produci efficienter principaliter à Deo, ſine Charitate; ergo habitus Charitatis non dicit ordinem ad Charitatem efficienter principaliter à Deo. Conſequentia patet, & antecedens probatur, quia habitus Charitatis poſſet eſſe ſupernaturalis, & habitus, & etiam perfectio infuſa, & propter totalitatem, à nihil dicta Tenentes Tertiam. Et 2. diſparitatur ſenſu, quod, ut à Tenentia, dicta primo, quod à caſibus naturalibus, quibus imponuntur ſupernaturales habitus habentes ordinem ad habitus naturales, non videtur poſſe ſumi argumentum contra Charitatis poſſe eſſe à Deo productum efficienter principaliter habitum infuſum.

Obiectio.

Reſpondeo tamen negando antecedens, & ad probationem dico primitus dari cum communi Theologorum ratio, quibus aliqua ſupernaturalia poſſe produci efficienter principaliter habitus ſupernaturales, quæ probauit Tertia præcedenti, Tertia, & diuinitatem vnius eſt, quia propter totalitatem à nihil dicta: inter quæ præcipium eſt, habitus aliquis infuſus à Deo ſine Charitate, Tertia, & Concluſio, quia per hoc, quod ſit perfectio diuinæ habitus ſupernaturalis fuit vnitis poterit quandam vnitas, & perfectio ex ſuæ ratione poſſibilitatem habitus à primo principio vitæ ſupernaturalis ſupernaturalis, qui eſt Deus, qui ſine dubio, & dubio diuinus ita quæ naturalis ſit diuinus ſine ſupernaturalis, ex ſe, & habitus perfectionis, quia poſſe poſſe ſupernaturæ productionem animatæ, ſed diuinæ diſpoſitiuæ, & meritorie. Aduerſus 1. Conſequentia admittimus habitus ſupernaturales poſſe produci ſine

Solutio.

dicentur per modum operantis actus, quia non tollitur omnino de medio meritum supernaturale per se ipsum, si quidem ille quidam actus supernaturalis procedit ab habitu supernaturali producibilis ab auxilio. Deinde dico. Restat ipsa pia fides ut existat in adhuc supernaturalis, si habeatur usu, ad producendum actum, a quo ab habitu producendo cessat, cum ille non amplius potuerit producere. Ita efficaciter tales actus: Si vero producerentur tales habitus ab operante in statu peccati, quod nullus Theologus admittet, nullus ex illis esset habitus supernaturalis, si non esset per se ipsum meritorius, propterea, quia non concurrunt ad actus, nisi tres ultimi criteria. Et respondeo ad alios tres naturalibus, ille proportionate efficaciter producit. Quia licet ex parte habitus ipse supernaturalis.

Dubium. Quæritur ultimo, habent de peccatis mortalibus Dei pulsi communicari actus fidei cum aliis principalibus Charitatis. Sic hoc quæstio eadem est cum illa, an fides informis, Tertius, & dilatat. Secunda quæ fuerat disputatione, an pulsi habitibus fidei informis, & spei, ait ei connatarale manet positum, & ratio est: Pertinet ad eum illa quæ Tomo Secundo, Tertius 7. dilatat fuerat, quæ prima, Probatum est ad illum, & ad eum communicari posse illi cautum, principium actus, sicut connaturale manet, & ex illorum principiis segnatur eiusdem actus.

Quæstio tertia.

Virtus Charitas infunditur hominibus juxta mensuram capacitatis naturalis.

Opponitur hæc quæstio Christo Conclusio de fide. tum cum Scripturis, & hominibus in his quæ ad eorum fruitionem beatificam spectant. Conclusio prima est, & ratio eius Scriptura testimonia ita pergunt. Conclusio prima est, & ratio eius Scriptura testimonia ita pergunt. Tomo 2. Tractatu 3. de dilatat. Secunda, ex Christo de Magdalena: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et in illo, *multum Charitatem omnes habet, ut animam suam non ejus Deo.* Solum ergo quantum ad hoc, quia habitus Charitatis possunt esse in quolibet peccatorum cordium, quantumcumque peccatrix, & peccatrix habitudine, & tota meritorum illius.

Videtur quod sit primo, quia cadem est ratio de Angelis, & hominibus quoad rum ad eosdem supernaturalia gratia, & Charitatis: sed hoc dicitur de Angelis in eodem quantitatem naturalem, ergo & eodem modo dicendum hominibus. Maior probatur, quia illa dicta verificat Scriptura, & Sancti Patres, & Doctores Theologi, & Scripturæ, & argumenta, quibus utuntur Matthæi, vbi dicitur: *mi homini dare, & dabitur vobis: bonam mensuram, & confertam, & adhuc: quicunque fecerit uni ex minimis meis tantum.* Et in quibus omnibus ponitur mensura in ratione dandi. Ergo mensura in ratione accipiendi. Consequentia patet, quia mensura dicit ordinem ad mensuratum. Minor probatur, quia ista dicta verificat Scriptura, & Doctores naturalia propriam capacitatem.

Dicendum est quod Charitas est illa modo datur inter mediam perfectionis, & non naturalis quantum, & non est voluntarium, & benignum. Dei. Hæc conclusio est omnium certa, ex S. Basilio, & Lorca affirmant ibi Salas, Collegium primo de Sacra Scriptura. Primo enim Matth. 11. dicit Christus: *Capite in Patrem, quia ego mansuetus sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* Et 1. Petri 5. *Humiliamini sub potenti manu Dei, & exaltabit vos in tempore visitationis.* Et 1. Corinth. 12. *Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis.* Et 2. Corinth. 12. *Ita ut nemo existimet supra, quod videt me, aut aliquid audit ex me.* Ad quod ait Apostolus, *ne extollar magnitudo revelationum.* Et 1. Corinth. 4. *Quid autem habes quod non accepisti?* Et 1. Corinth. 15. *Gratia Dei sum id quod sum.* Et 2. Corinth. 3. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et 2. Corinth. 4. *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, ut eminentia sit virtutis Dei, & non ex nobis.* Et 2. Corinth. 12. *Virtus in infirmitate perficitur.* Et Psalm. 130. *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei.* Et Psalm. 17. *Humilem populum tuum salvum facies, & oculos superborum humiliabis.* Et Psalm. 100. *Qui abscondebat proximo suo, hunc persequebar.* Et Psalm. 130. *Si non humiliabar, sed exaltavi animam meam.* Et Psalm. 130. *Sicut ablactatus super matre sua, ita retributio in anima mea

tio de Charitate; deinde videndum erit
dono proprium existere diffusionem, &
& cooperationem, tanquam, quia hæc dif-
fusionem, & cooperationem, inquantum
diffusionem, & cooperationem, proprium
est Deo, & non alteri. Deinde videndum
erit de proprietate animæ, & hoc aspe-
ctu proprium erit nostræ, & sola voluntate
Dei, quo hic homo altera Charitate Dei
diligatur, quam alia quam Dei voluntate
non erit.

Quare differendum in contrarium,
sobre primo loco, dico ad primum, quod
ius, non dat Deus proprium Deo, & diffusionem, quæ ex varietate Charitatis
eorum dilectorum Angelicorum, tam a-
liorum, quam hominum, tanta illa ex-
fundit ad multorum naturalium ordinem
causandum, sibi debitum, & Theologi de
Magistro, & Divo Thoma, ac communis
Patrum sententia probatum hoc asserit, &
intelligendum, non quidem, quod deus
multa plura creaturam Angelicam, aut ho-
minem, aut quodlibet aliud quod
Deus determinaverit, vel tantum pra-
ctum hoc solum fecisset esse, quam
non solum humanam naturam, sed tot
millia naturarum, & tantum id quod
Deus ex sorte sui benepiacito dare voluit
gratiarum Charitatis proportionatum na-
turæ cuiuscunq; ejus Angelica est perfe-
ctionis naturæ ex perfectionum gradibus
gratiæ recipere. Quamvis autem homi-
nem unicum creare aliquam potuit per
ter voluntatem Dei de voluntate ordinata
suæ gratiæ, nihilominus congruentius
aliqua a Theologis adducuntur, ex qui-
bus unicum creatorem adducam. Nam
optima esta, quod dicebat Augustinus
hominem non habere proprium bonum
quam Angelicæ naturæ in casu, quod de-
negavit Deus homini Deus naturam
gratiam quam dat. Quæ ratio homi-
nem non procreat, cum quibus fit ra-
tionem naturæ perficiat. Adaliquis, si
gratia illa conferretur homini, quæ ta-
tam perfectionis Individualis, pollicis in
humanitate, & tota individualitate, tam
habentes humanæ gratiæ dotes tam ra-
re, tamque sibi divagantes. & Super-
ritus, quod & Angelicæ naturæ non potest,
cum qui tanta perfectione cognoscitur, qui
quid habeat a natura, quid vero con-

Ad secundum de parabola illa interro-
Respon. gatus, de quibus multis quæstionibus re-
Prædem solvi, quod si per talentu hic in-
telligatur non gratia habitualis, & ad
dona naturalia Dei, in quibus contem-
platio Dei consistit quæ non est meritoria
tem naturalium multitudine, & ut sic
ad omnia naturalia dotibus, & qua-
de Charitate loquimur. Si vero per ta-
lenta intelligatur ea, aut illa virtus,
respondet Sanctus Thomas ad primum
dicit, per peregrinum ministrare, fecundo
quam dicitur distributio ejus Charitatis,
non significari virtutum naturalium, aut
aliquod ex talibus quatenus ortum habens
sed significari proprium dilectionis mi-
nistrum ex gratia, & a talibus Dei. Vide-
idem erit dicere, quod talentu illa datum,
erat illa fervida, vivificans, operans
gratiam virtutem, ac dicere id, quod ali
omnino verum, quod gratiam infinitam
Charitatem, & Charitatem concedi homini-
bus intra meritorum dispositionis, vel
portationis, a qua quia si præparatus ab
alio Deo. Quæ expositio est etiam Alexan-
dri, Scoti, & aliorum.

Quæstio quarta.

An ex quomodo Charitas augeatur.

Circum omnia est Charitatem hoc
nomen Charitatis augeripotest. Ad intra
cognitur ex sacro Scriptura testimonio
Psalm. 83. *Beatus vir, cuius est auxilium*
abs te, ascensiones in corde suo disposuit
in valle lacrymarum. Ex quo dicit Augu-
stus, *ascensus magis, ac magis charitas: & ad*
ipsum, qui dixit, ascendere facere, ipsa est
Charitas crescendo in ille per omnia.

Scripturæ etiam fundata est illa sua in
me Scripturæ, Scripturæ gratia, ut ser-
vus bonus, & fidelis, qui fuerit modicum
eum eft ratio gratiam. Charitatis quan-
tum habet, ut ibi illud Apocalyp. etc.
Qui iustus est, iustificetur adhuc: & Sanc-
tus sit, Sanctificetur adhuc. Ex quo ver-
sificari. Terrio, id cognitur ex divisione
ex Basilide. In Concilio namque Tole-
dotimo fol. terra cap. decimo dicitur
quod *Basilides dixit, quod Charitas non*
augetur, neque augmentatur sicut spiritus,
qui vult, atque magis inflammatur per be-
nos opera. Ex quod hoc iustis intermittitur
potest Basilide, tam dicit: Ita mihi Pla-
cet, Deo, & Charitatis augmentum.

Olim etiam fuit hoc veritas definita in
Concilio Tarsen sub Sexto Papa 5. &
colligitur ex Concilio Florentino in de-
cretis volumis. Eiusq; communis doctri-
na PP. & Theologorum. Pro qua videri-
dus noster Paulus Comitolus in quæstio-
Probat eam Sanct. Thom. quæstio. 3. art. 4.
Quia bonus dum est ibi hac vita mortali,
ebiis

est in via; sed dum est in via semper progredi potest; qui progressus fit per Charitatem. Addi etiam potest alia ratio, quia cum tam in Ecclesia militanti, quam in triumphante sint iusti inæquales in gratia, & gloria, & hoc fuerit saltem conueniens ad pulchritudinem Ecclesiæ, conueniens etiam fuit Charitatem posse augeri magis, ac magis. Solum ergo est difficultas de modo talis augmenti, an scilicet ille sit extensio, aut sola intensio; & qualiter ista fiat, an per maiorem radicationem in subiecto, an vero per additionem gradus ad gradum.

Suppo. nendum

Supponendum autem est ex dictis Tomo præcedenti Tract. quarto disput. prima quæstione septima, duplex genus augmenti posse conuenire habitibus. Vnum est *extensionis*, quod solet vocari ex parte obiecti; alterum vero *intensionis*, quod vocatur ex parte *subiecti*. Primum augmentum consistit in hoc, quod habitus adquirat aliquam perfectionem, quam antea non habebat, per quam extendatur ad obiecta ad quæ antea non extendebatur: huiusmodi augmentum contingit in scientiis; scientia enim, v. g. geometriæ, quando augetur augmento extensiuo, de nouo extenditur ad aliqua obiecta, ad quæ antea non se extendebat. Augmentum vero intensionis non consistit in extensione ad noua obiecta; sed in eo quod habitus magis, ac magis perficiatur in eadem parte subiecti circa idem obiectum, ad modum, quo calor v. g. magis, ac magis perficitur in eadem parte subiecti. Alia circa hoc duplex genus augmenti habitus dixi loco relato. In præsenti autem solum quæritur, quod ex illis competat Charitati.

De augmẽto extensiuo

Et primo quidem, quod attinet ad augmentum extensiuum, videtur ipsi conuenire. Primo, quia Charitas in quibusdã se extendit ad seruanda præcepta, & consilia diuina, in aliis vero solum ad obseruanda præcepta, vt contingit in hominibus minus perfectis: quando ergo homo incipit ex Charitate seruare consilia, aliquod augmentum extensiuũ recipit Charitas. Secundo, quia ex eo scientia dicitur augeri augmento extensionis, quia ratio formalis illius applicatur ad quædã alia obiecta materialia, ad quæ antea non erat applicata; sed similiter ratio formalis Charitatis applicatur ad quædam opera virtutum de nouo exercenda, ad quæ antea non se applicabat, vt si homo habens Charitatem non benefaceret inimico, aut non largiretur eleemosynas, aut non vellet mori pro Christo, postea vero vellet se ad hæc omnia applicare: ergo etiam Charitas admittit augmentum extensionis. Tertio, quia si propter aliquid Charitas non augeretur augmento extensionis maxime esset, quia habens Charitatem habet etiam virtualem tendentiam in omnia obiecta Charitatis, quamuis actus non tendat in illa: sed similiter habens habitum scientiæ, habet virtualem assensum omnium conclusionum, quæ possunt cognosci in illa scientia; & nihilominus scientia augetur augmento extensionis: ergo eadem dicendum est de Charitate. Minor probatur, quia sicut ille qui habet Charitatem habet rationem formalem diligendi Deum, & omnia, quæ propter ipsum diligibilia sunt, ita habens scientiam, habet etiam rationem formalem totius obiecti scientiæ.

Vera sententia

Vera tamen sententia est, quod habitus Charitatis non augeatur augmento extensionis, seu ex parte obiecti. Illam docet expresse Sanctus Thomas quæstione 24. articulo quarto, Bañez, Valentia, Lorca, & plures alii, quos retuli loco relato ex tomo præcedenti, eam docentes generaliter de omnibus virtutibus infusis, & supernaturalibus. Probatur ex fundamentis eo loco adductis: præsertim primo, quia Charitas, & aliæ virtutes infusæ, & supernaturales, habent modum potentiæ, cui non competit tale augmentum extensiuum. Secundo, quia huiusmodi augmentum extensiuum solum competit illis habitibus, quibus cõpetit extendi ad noua obiecta formalia, diuersa ab illis, ad quæ primo extendebantur; ideo enim vocatur hoc augmẽtum *ex parte obiecti*: sed hoc non competit Charitati; tum quia eius obiectum est prorsus vnum, idem, & indiuisibile, nullam admittens extensionem; tum quia, vt recte inquit Sanctus Thomas; *Minima Charitas se extendit ad omnia illa, quæ sunt à Charitate diligenda*: ergo non potest augeri augmento extensiuo. Confirmatur, quia ex eo scientiæ admittunt tale augmentum, quia ratio formalis propter quam assentiuntur suis conclusionibus non est vna, aut indiuisibilis, sed multiplex, scilicet demonstratio; ita vt aduenientе noua demonstratione, adueniat etiam noua ratio assentiendi, seu tendendi in sua obiecta. Sed Charitati solum est vnica, & indiuisibilis ratio tendendi in sua obiecta, & nunquã aduenit ei de nouo alia noua ratio: ergo non admittit hoc augmentum extensiuum. Quod magis explicabitur ex solutione eorum, quæ adducta sunt in contrarium.

Solutio fundam. contrariorum.

Ad primum enim concesso antecedenti nego consequentiam, quia, vt vidimus ex Sancto Thoma; *Minima Charitas*

st

ſe extendit ad omnia alia, quæ ſunt ex Charitate diligenda. Ideſt, ex ſe eſt ſufficiens tam ad ſeruanda præcepta, quam conſilia; & efficienda omnia illa, quæ Charitas efficere poteſt. Quod ſi quis aliquis iuſtus non ſeruat conſilia ſeruando præcepta, non ideo eſt, quia Charitas quam habet, ad ea non ſe poſſit extendere, ſed quia non vult ipſe in illis operibus conſilij ſe exercere: quando vero poſtea vult illa exercere, tunc habitus Charitatis, quem habet, non recipit extenſionem in ſe, ſed ſe explicat in nouum actum, vſum, & exercitium, in quo antea non ſe exercebat. Sicut ergo ſi potentia viſiua videat nouum colorem quem antea non vidit, non ex eo dicitur admittere extenſionem, ſic neque habitus Charitatis, propterea quod incipiat diligere quæ antea non diligebat, recipit tale augmentum. Ad ſecundum patet etiam ex dictis. Dico enim hoc eſſe diſcrimen inter ſcientiam, & habitum Charitatis, quod ſcientia non habet vnum ſimplex, & indiuiſibile medium, & motiuum formale aſſentiendi concluſionibus, ſeu tendendi in ſuum obiectum, ſed tot ſunt media, & motiua formalia in illa quot ſunt demonſtrationes, & ideo poteſt recipere augmentum ex parte obiecti, & per conſequens augmentum extenſiuum; at vero Charitas non habet, vt dictum eſt, niſi vnicum, & ſimplex motiuum formale tendendi in ſuum obiectum, & ita neque admittit augmentum ex parte obiecti, neque augmentum extenſiuum. Vnde patet qualiter explicandę ſint maior, & minor argumenti. Ad tertium conceſſa maiori, nego minorem; non enim qui habet habitum ſcientiæ dicitur propriè habere virtualem aſſenſum omnium concluſionum illius ſcientiæ, ſed ſolum habet aſſenſum virtualem earum concluſionum, quarum demonſtrationes habuit: & ad probationem patet ex dictis, quamuis enim ille, qui habet Charitatem habeat etiam rationem formalem tendẽdi in omnia diligibilia, tamen habens ſcientiam non habet rationem formalem tendendi in omnia obiecta illius ſcientiæ, ſed tantum in [illa], quæ per demonſtrationes cognouit.

De augmento intenſiuo

Circa ſecundum vero de augmento intenſiuo habitus Charitatis, quamuis certum ſit eam augeri iſto modo, non ſolum propter aliqua teſtimonia Sacræ Scripturæ in principio quæſtionis relata, ſed etiam quia poſito quod non augeatur, vt dictum eſt, per extenſionem, ſupereſt neceſſario quod id fiat per intenſionem; nihilominus quia difficultas eſt quomodo fiat hæc intẽſio, & inter Theologos ſit varietas ſententiarum circa hoc punctum, agendum hoc loco de ipſo erat. Cæterum quia hanc quæſtionem late diſputauimus generaliter de omnibus habitibus Tomo præcedenti Tractat. 4. diſputatione prima quæſtione ſexta, ibique reſoluimus fieri per additionem gradus ad gradum, prout tenent quamplures Doctores ibi relati, quibus etiam iunguntur Becanus, Malderus, Coninck, Turrianus, Granadus, Tannerus, & alij in ſpecie de Charitate loquentes, ideo ad eam remittimus Lectorem, & ad Silueſtranum noſtrum in primo ſentent. lect. 43. & in tertio lect. 81.

Quæſtio quinta.

An Charitas augeatur per quemlibet actum etiam remiſſum.

Charitas augmentum.

CErtum eſt primo, Charitatem augeri meritorie per noſtros actus bonos. Ita enim colligitur ex teſtimoniis Sacræ Scripturæ, & Conciliorum adductis quæſtione præcedenti. Quibus etiam iunguntur alia Concilii Tridentini. Etenim ſeſſione ſexta can. 24. dicitur. *Si quis dixerit iuſtitiam acceptam non augeri coram Deo per bona opera, ſed opera ipſa fructus ſolummodo, & ſigna eſſe iuſtificationis acceptæ, non autem ipſius augendi cauſam anathema ſit.* Et can. 31. illis verbis: *Si quis dixerit hominis iuſtificati bona opera ita eſſe dona Dei, vt non ſint etiam bona ipſius iuſtificati merita &c.* Et infra: *Non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam & ipſius vitæ æternæ conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum anathema ſit.* Alia adduxi Tomo præcedenti Tractat. ſeptimo diſputatione octaua quæſtione decima. Certum etiam ſecundo, augeri diſpoſitiue habitum Charitatis per actus ipſius. Sicut enim actus Charitatis eſt diſpoſitio ad habitum quoad primam infuſionem, ſic etiam quoad augmentum. Solum ergo eſt difficultas, an iſti actus Charitatis, qui meritorie, & diſpoſitiue concurrunt ad augmentum ipſius, ſint ſolum intenſiores ipſo

habitu, an etiam æquales, & remissiores ipso.

Rat.dub. Ratio dubitandi est, primo, quia de augmento habituum supernaturalium, & infusorum debemus philosophare sicut de augmento habituum naturalium adquisitorum; sed habitus naturales, seu adquisiti, solum augentur intensiue per actus intensiores ipsis, non per actus æquales ipsis in intensione, & multo minus per remissiores, iuxta dicta tomo præcedenti Tractat.4 disput. prima quæstione 8. ergo similiter habitus infusi, inter quos est Charitas, non augebuntur intensiue, nisi solum per actus intensiores. Secundo, argumento ex humanis desumpto: qui enim in obsequendo, & promerendo apud suum dominum, vel Principem remissè se gerit, non solet in eius gratia, & amicitia crescere: pariter ergo in ordine ad Deum, homo non crescet in gratia, & Charitate, nisi per opera intensiora, & perfectiora.

Var.sent. Propter hæc, & similia, quæstio ista, etsi meo videri non sit valde difficilis, difficilior reddita est ab authoribus, qui in varias sententias diuisi sunt circa illã. Etenim primo ex Diuo Bonauentura habetur, solum per actus intensiores mereri iustos augmentum gloriæ essentialis, ex quo sequitur idem dicendum de augmento gratiæ, & Charitatis. Secundo, ex Durando, quod per actus remissiores homo etsi mereatur augmentum gloriæ, sed non gratiæ, aut Charitatis. Tertio, ex Victoria, quod per quemlibet actum Charitatis etiam remissum augeatur gratia, & gloria, sed non Charitas. Quarto, ex Bañez, iustos per omnes actus Charitatis mereri augmentum gratiæ, & Charitatis, & gloriæ, tamen illud præmium, quod correspondet actibus remissis, non dari statim, nisi cum effecerint actus intensiores: nostra autem sententia sequentibus conclusionibus declaratur.

Dico ergo primo, omnes actus Charitatis quantumuis remissi, sunt meritorij gloriæ essentialis. 1. concl. Hæc conclusio est tam certa vt Victoria dicat esse de fide, & Zumel oppositum esse periculosum, & non posse defendi citra periculum fidei; Aragon. vero esse plusquam temerarium. Relictis tamen, ob reuerentiam D. Bonauenturæ, huiusmodi censuris, probatur ex Sacra Scriptura præsertim in Euangelio, vbi operibus minutissimis factis in nomine Christi, qualia sunt porrigere potum aquæ promittitur merces Matth.10. & Marc.9. Similiter de die Iudicij dicitur Matth.25. Christum dicturum esse pro operibus misericordiæ, *percipite regnum*; nulla mentione facta de actibus remissis, seu intensis. Præterea Paulus 2.Cor.9. de parce seminanti, non dixit nõ habiturum præmiũ, sed, *qui parce seminat, parce & metet*: ergo opera remissa etiam merentur vitæ æternæ præmium. Similiter 1. Corinthior.15. *Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino*. Et ad Hæbr.6. *Non est iniustus Deus vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis* &c. Quibus verbis Paulus indiscriminatim loquitur de operibus intensis, & remissis. Secundo, ex Concilijs infra afferendis, maxime ex Tridentino, quod sessione sexta cap.16. tribuens meritum gloriæ, & augmentum gratiæ nostris operibus, & actibus, absolutè, & indistinctè loquitur, nullam differentiam assignans inter actus intensos, & remissos. Rationibus etiam nferius probabitur: pro nunc sufficiat ea, quæ desumitur ex communi sensu Patrum, & Theologorum; quod videlicet Deus procliuior est ad miserendum, & præmiandum, quam ad puniendum: sed non solum opera mala intensiora, sed etiam remissiora punit, & castigat; ergo multo melius opera quæuis bona, quantumuis remissa præmiabit. Sed præmium operum Iustorum est vita æterna &c. ergo.

Dico secundo contra secundam sententiam Durandi, actus Charitatis etiã remissi sunt meritorii augmenti gratia habitualis. Probatur eisdem argumentis, quibus præcedens conclusio: specialiter tamen ex doctrina Concilii Tridẽtini, quod pluribus locis adductis in principio huius quæstionis, & quarta præcedenti, affirmat nostram iustitiam & sanctitatem augeri bonis operibus. Cum enim indiscriminatim loquatur non distinguendo inter opera intensa, & remissa; præsertim cum in doctrinalibus indefinita æquiualeat vniuersali, maximum argumentum inde sumitur pro nostra conclusione. Ratio etiam illius est, præter adducenda inferius, quia per quamcunque actum Charitatis quantumuis remissum disponitur homo ad primam infusionem gratiæ iustificantis; ergo per quemcunq; etiam actum Charitatis quantumuis remissum disponitur meritorie ad augmentum illius: patet consequentia, quia per easdem causas augetur, quibus producitur. Imo cum difficilius sit rem produci de nouo, quam augeri, efficacius inde probatur, quod si actus remissus Charitatis sufficit ad primam infusionem gratiæ, sufficiet

Secun.

ciet etiam ad augmentum. Præterea, ex prima concluſione, quia ſi per quemcunque actum Charitatis meretur homo augmentum gloriæ; ergo & augmẽtum gratiæ: probatur hæc conſequentia, primo, quia gloria futuræ vitæ eſt æqualis gratiæ præſentis. Secundo, quia gratia eſt quædam acceptio ad gloriam, & ius ad illam; ſi ergo iuſtus per quodcunque opus Charitatis meretur augmentum gloriæ, ergo & gratiæ.

Tertia. Dico tertio, eodem prorſus modo meretur iuſtus augmentũ habitus Charitatis per quemcunque actum Charitatis quantumuis remiſſum, quo meretur augmentum gratiæ, & gloriæ: ita vt per eum augeatur tam habitus Charitatis, quam gratiæ. Hanc concluſionem ſtatuo contra Victoriam, & probo primo, quia neque Sanctus Thomas, neque alij Theologi vnquam diſtinxerunt gratiam, & Charitatem quantum ad hoc. Secundo, quia gratia, & Charitas, vel ſunt vna, & eadem qualitas, vel ſaltem habent talem connexionem, vt nullatenus ad inuicem ſeparentur: aucta ergo gratia augetur etiam Charitas. Tertio, quia cum primo infunduntur gratia, & Charitas producuntur à Deo in eadem intenſione: ergo etiam quando augentur. Probatur hæc conſequentia, quoniam nulla poteſt aſſignari ratio congrua, quare in prima infuſione ſeruetur hæc propoſitio, non vero in ſecunda. Quarto, ab inconuenienti, quod ex oppoſito ſequitur: nam ſi gratia poteſt augeri non aucta Charitate, ſequitur, quod aliquis beatus in patria habeat lumen gratiæ magis intenſum, quam habitus Charitatis: conſequens eſt falſum, ergo & antecedens. Sequela probatur, quia lumen gloriæ correſpondet gratiæ, ergo gratiæ intenſiori intenſius lumen, intenſiorque viſio: ergo ſi Charitas poteſt eſſe minus intenſa, quam gratia, ſequitur, quod in patria erit minus intenſa, quam lumen gloriæ, & quam viſio. Falſitas vero conſequentis probatur, quoniam vlterius ſequeretur, quod ille beatus, ſiquidem haberet minus Charitatis, quam luminis, minus intenſè amaret Deum quam videret, quod eſt manifeſtè falſum: ſicuti enim poſita viſione neceſſario ſequitur amor, ita poſita maiori viſione maior amor.

Quarta. Dico quarto, actus Charitatis quantumuis remiſſi, ſunt meritorij de facto præmij ſupernaturalis, ſcilicet augmenti gratiæ, gloriæ, Charitatis, & cæterarum virtutum infuſarum. Hæc eſt præcipua concluſio huius quæſtionis, quam contra Bañez tenent quaſi communiter omnes Theologi, maxime Suarez, Valentia, Vaſquez, Becanus, Turrianus, Tannerus, Coninck, Amicus, Caſpenſis, & Serra, & ab aliquibus oppoſitum dignum cenſetur aliqua cenſura, nec immerito, propter dicenda.

Colligitur enim primo ex Sacra Scriptura. Primo, Matth. 10. vbi Chriſtus dicit: *Quicunque dederit potum alicui aquæ frigidæ, amen dico vobis non perdet mercedem ſuam*: quæ verba ponderat Concil. Tridentin. ſeſſ. ſexta cap. 16. & ponderanda ſunt hoc modo. Si Chriſtus Dominus operibus tam minimis, qualia ſunt dare potum aquę, dicit dandam eſſe mercedem; immeritò ergo negatur actibus Charitatis remiſſis, quod de facto mereantur præmium. Deinde idipſum probatur ex Paulo primæ Corinthiorum 15. dicente: *Abundate in omni opere bono, ſcientes, quod labor veſter non eſt inanis in Domino:* vbi cum dicit, *in omni opere bono*, manifeſte oſtendit etiam opus bonum remiſſum eſſe meritorium. Secundo, ex definitionibus Cõciliorum, & quamuis multa adduci poſſint, ſufficiãt pro nunc duo teſtimonia, primum eſt, quod afferri ſolet ex Coucilio Arauſicano can. 18. in hęc verba: *Debetur merces bonis operibus, ſi fiant, ſed gratia, quæ non debetur, præcedit vt fiant*; vbi etiam ponderanda autem ſunt duo: primum eſt, quod loquitur indefinitè de omnibus operibus, ac per conſequens, cum ſit propoſitio doctrinalis æ. quiualens erit vniuerſali, & ita ſine vllo fundamento reſtringi põt ad opera intẽſa; alias quilibet etiam poſſet reſtringere eam, vel ad actus fidei tantum, vel ſpei tantum, vel alterius tantum virtutis. Secundum, eiſdem bonis operibus dicere Cõcilium deberi mercedem quibus dicit antecedere gratiam vt fiant, vt conſtat ex contextu; ſed etiam antecactus Charitatis remiſſos præcedit gratia vt fiant, vt eſt certum de fide contra Pelagium, ergo illi etiam ſunt meritorij. Secundum teſtimonium eſt Concil. Tridentit. nam dicta ſeſſione ſexta capitulo 16. enumerans conditiones requiſitas ad hoc, quod opera ſint de facto meritoria, aſſignat tres, prima, quod fiant ab homine iuſto; ſecunda, quod fiant in Deo, ideſt, vt ego puto, propter motiuum ſupernaturale; tertia, quod homo in Dei gratia perſeueret. Subdit Concilium. *Nihil ipſis iuſtificatis amplius deeſſe credendum eſt quominus vitam æternam verè promeruiſſe cenſeãtur.*

Digitized by Google

Has autem omnes conditiones actus Charitatis quantumuis remissus habet: ergo de facto est meritorius. Vt quid ergo aliam conditionem assignabimus, quasi Concilium diminutè processisset? Quod confirmatur ex can. 32. vbi Concilium idem definit,

Probatio ex rationibus.

Deinde rationibus. Prima est à priori, quia huiusmodi actus remissiores Charitatis sunt liberi, vt suppono, boni ex obiecto, & circunstantiis; supernaturales, & ex motiuo supernaturali habiti; & facti ab homine viatore, & existente in gratia. Nihil ergo deficit illis ad hoc, quod sint de facto meritorij. Secunda, iam adducta, quia actus peccati mortalis quantumuis remissus sit meretur pœnam æternam, ergo etiam actus Charitatis quantumuis remississimus sit meretur vitam æternam: cum promptior sit Deus ad retribuendum mercedem, quam ad puniendum. Tertia, ex multis, & magnis inconuenientibus, quæ ex opposita sententia sequuntur, de quibus recentiores. Sequitur enim primo ex illa, actum imperfectiorem in bonitate, & valore, anteponendum esse quoad rationem meriti actui perfectissimo, quod videtur absurdum; illud autem sequi constat manifestè si ponamus vnum hominem habentem Charitatem vt centum elicientemque actũ Charitatis vt non aginta, non mereri per ipsum; habentem autem Charitatem vt duo, & elicientem actũ Charitatis vt tria mereri. Secundo, Deũ, non præmiare actum præstantioris virtutis, præmiando actum imperfectioris; quod contingeret si ponamus quod homo habens Charitatem vt quatuor eliciat actum temperantiæ vt quinque, & eliciat etiam actũ martyrii patiendo mortem propter Christũ per actum Charitatis vt tria. Tertio, esse peioris conditionis illum, qui primo accepit gratiam intensiorem, quam ille, qui accepit remissam, v.g. vt duo; siquidem iste potest mereri per actus vt tria, vel vt quatuor; non vero ille. Hæc argumenta sunt efficaciora, quam solutiones, quas ipsis adhibent nonnulli, vt propterea eas impugnare non sit necessarium.

5. concl.

Dico quinto, hoc augmentum gratiæ, & Charitatis datur statim ac ipsi actus fiunt. Ita Maior, Gabriel, Almainus, Palatius, Vega, Corduba, Aragonius, Zumel, Suarez, Vasquez, Valentia, Becanus, Lores, Turrianus, Coninck, Caspensis Amicus, & alij. Hanc conclusionem solum vt probabiliorem defendo, quia opposita sententia asserens tale augmentum non dari statim, sed vel in alia vita, aut solum quando actus intensiores fiunt, est probabilis, propter authoritatem Sanct. Thom. qui illam tenet hic quæst. 24. articulo sexto, & 1. 2. quæst. 114. articulo octauo, quam sequuntur Scotus, Bañez, Granadus, Serra, cum alijs. Nostra autem conclusio probatur primo ex testimonio Concilij Tridentini sessione sexta cap. 10. in superioribus adducto, vbi loquens de augmento gratiæ, & Charitatis iustorũ plura dicit, quibus satis clarè denotat hanc esse ipsius mentem. Ait enim: *Iuntes de virtute in virtutem renouantur*: deinde, quod in iustitia, & gratia accepta, *bonis operibus crescunt, atque magis iustificantur, sicut scriptum est, qui iustus est iustificetur adhuc*: Affert etiam illud: *Ne verearis vsque ad mortem iustificari*: ac illud: *Ex operibus iustificatur homo*: Et quod *hoc iustitiæ incrementum petit S. Ecclesia, cum Oratione: Da nobis Fidei, Spei, & Charitatis augmentum.* Quæ singula; præsertim cum vniuersaliter loquatur de operibus bonis iustorũ, satis clarè denotant etiam extendi debere ad actus remissos. Secundo, quia homo iustus quouis opere etiam remisso fit magis acceptus ad vitam æternam: hoc enim nec aduersarij negabunt: ergo & magis iustus, & magis sanctus per augmentum gratiæ, & Charitatis. Probatur hæc consequentia, quia sicut acceptio ad vitam æternam non fit nisi per Charitatem, & gratiam, ita & maior acceptio non fiet nisi per maiorem Charitatem, & gratiam. Tandem tertio, quia præmium pro operibus meritoriis credi debet à Deo concedi tempore magis conuenienti, tum ipsi Deo præmiatori; tum ipsi homini merenti; sed hoc est tempus, quo fiunt talia opera; ergo tũc conceditur. Minor probatur. quia ex parte Dei hoc tempus conuenit ipsi, quia liberalissimus est, & etiam ratione suę misericordię, & iustitię: ex parte etiam hominis operantis, quia tunc nullum habet impedimentum, & est sufficienter dispositus ad tale præmium. Confirmatur, quia augmentum horum habituum est præmium, quod conceditur homini viatori nullum ponenti impedimentum: ergo ante mortem debet concedi, quia post mortem iam non est viator, & non expectato dubio euẽtu actuum intensorum; quia ante illos, & independenter ab ipsis, non habet aliquod impedimentum.

Corolla.

Ex dictis autem infertur primo, idem dicendum esse de actibus remissis aliarum

rum virtutum inflatarum, fallitur fidei, fpei, & virtutum moralium infitarum: quod fallitur per illos etiam augeantur meritoria, & dispositiva virtutes, à quibus producuntur. Ita enim colligitur ex rationibus Sanctæ Scripturæ, & Conciliorum, ac etiam proportionaliter ex rationibus adductis. Quibus etiam accedit alia ex re aquitatis cum per adus remissos, ac etiam ex, augeatur virtus, & habitus Charitatis, fed etiam gratia habitualis augetur, ita dicendum est de virtutibus infitis, fine Theologicis, fine moralibus, nempe eliciatur actus, per quem potentibus à peccatoribus, & pœnitentibus, & non existentibus etiam gratia admodum ipsa gratia, quæ fit habet vt meritoria, & Charitatis, quæ fit habet vt prima pars illius, augeatur per actus remissos, ita etiam alia virtutes augentur. Sic colligo ex Scotto, & Antico.

Confirmo secundo, actus remissus, cum Charitatis, quam aliarum virtutum habitualium augetur ita meritorius, & dispositivus secundum totam intensitatem, & non folum secundum illam, quæ ex superaugmentatione, & actus fluit: sic enim contra Scotum, & Vdebrium oppositum exiſtimantes tenetur communiter Doctores, Durandus, Ioannes Antigonensis, Valentia, Suarez, Vasquez, Sotus, & alij. Ratio eſt prima, quia inamissibilis actus non folum secundum totum, fed etiam secundum illam partem quæ habet gradum, habet totum conditionis requisitas ad meritum, & operari. Secundo quia si homo habens Charitatem vt diximus operatur ex motione, vere recipiet præmium correſpondendum illi gradui Charitatis, vt probatum ia præcedentibus; cum enim diximus actum remissum eſſe meritorium multo magis id censendum eſt de actu æquali, aut magis intenſo, & quidem recipiet præmium correſpondens non folo duobus gradibus Charitatis, fed etiam duobus, & tribus. Probatur hæc conſequentia, quia illi duobus gradus merendi non præcisè ex eo quod ex longaeva vita illis duobus gradibus. Confirmatur, quia alias minus præmium recipiet qui actum operabitur. Probatur ſequela, quia ſi homo habens Charitatem vt omnium operatur ex gratia, recipiet præmium vt operatur, & non operatur vt caſtitas, & dato non recipiet illi præmium ex duas in oppoſita forma, ita, quia ergo præmium accipiet qui minus operatur. Tertio, quia homo habens Charitatem vt pœnitentiæ quilibet quotquot actus vt duos, vere meritos præmium omnibus illis additum, & gratiæ correſpondens: ergo ſi habitus gratiæ ſi operatur vt omnium, recipiet eidem præmium correſpondens vt omnium, & non etiam in communi affirmatione plus plusquam magnitudo præciſa magnæ quantitatis, vt, ex auctoritate quarti dicit, quæ fimul non excludunt quantitatem illius, ſic ſimiliter cumulum eſt æquali Deum præmio adæquatio ejus eſſentiæ, adæquatio, quam dicimus adæquatio.

Quia vero contra dicta obſtare videtur. Obiectio primo auctoritas Augustini, quæ habetur in libro de fide, ſpe, & charitate ad Laurentium. Ibi enim ratio magnorum, & eam eam habituum diſcretum ſit habitus infitus, & adquiſitus, ſic quod illi fint ſupernaturales quod ſit ſtarium, ab naturales: illi infitus dicuntur, & ſecundus adquiſitus, & diſcretus, quod illi fint ſuper

Quæstio sexta.

An Charitas possit augeri in infinitum sine termino.

Status quæstion.

NOn quærimus an dari possit Charitas actu infinita. De hoc enim sufficienter diximus in Physicis, generaliter loquentes de qualitatibus. Solum ergo quæritur an Charitas sit infinita in potentia, ita vt nullum habeat terminum suæ intensionis.

Sent quo rundam

Negabant id primum Beghardi, & Beghuinę, prout colligitur ex Clementina *ad nostrum de hæreticis* dicentes, hominem in hac vita ad talem gradũ perfectionis peruenire posse, vt vltra proficere non possit, nec eius gratiam, & Charitatem augeri. Negant etiam aliqui Catholici, scilicet Scotus, Durandus, Paludanus, Bonauentura, Ricardus, Caietanus, & Lorca. Fundamenta sunt, primo, quia alias quilibet iustus excedere posset in gratia, Charitate, & meritis Beatissimam Virginem, Baptistam, & Apostolos. Secundo, quia tam ex sententia Sancti Thomæ, quam Aristotelis non est dabile infinitum in actu in qualitatibus, sed habent ex natura sua terminum, ita vt nequeant habere maiorem. Tertio ex Scoto, quia voluntas, quę est subiectum Charitatis non est capax Charitatis infinitæ, quia est finitę entitatis; ergo Charitas habet terminum.

Cõclusio prima

Dicendum tamen primo, in quocunque gradu perfectionis sit homo iustus in hac vita, potest vltra proficere, & eius gratia, & Charitas augeri. Ita definitum est ab Ecclesia in Concilio Viennensi contra dictos hæreticos. Et colligitur ex Concilio Tridentino sessione sexta cap. decimo, verbis relatis in superioribus. Secundo, ex locis Sac. Scripturę Psalm. 83. Ecclesiastici 18. ad Philipp. primo, ad Ephes. quarto, & Apocalyps. vltimo, etiam in superioribus relatis. Quibus iungitur illud Prouerbior. 4. *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit, vsque ad perfectam diem.* Id est, vsque ad visionem Beatam, vt aliqui exponunt. Tertiõ, ex PP. quorum testimonia à recentioribus referuntur. Quarto, rationibus. Prima est, quia dum homo vinit semper potest peior fieri per peccara, ergo semper etiam potest fieri melior per merita: sed hoc fit cum augmento Charitatis, ergo. Secundo, ex Diuo Thoma articulo quarto, quia proprium est viatoris quotidie plus in via procedere, vlterius progrediendo, sed via hominis in hac vita est Charitas, iuxta illud Apostoli 1. Corinthiorum 12. vbi loquens de Charitate dicit: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro*: ergo.

Secunda.

Dico secundo, Charitas (eadem ratio est de gratia) potest quantum est ex parte sua augeri in infinitum; atque adeo non esse dabilem Charitatem tam intensam, qua maiorem Deus non possit facere, saltem per potentiam absolutam. Hæc conclusio est Sanct. Thomæ quæst. 24. articulo septimo, quem sequũtur Capreolus, Bañez, Valentia, & alii communiter. Colligitur etiam ex Bachonio nostro in primo distinctione 46. quęstione vnica articulo secundo, & Siluestrano eius discipulo in primo lection. 101. & in tertio lectione 81. Probatur ratione Sanct. Thom. Nam quod aliqua forma habeat terminum, sui augmenti, ita vt vlterius progredi non possit, prouenit vel ex parte agentis, quod scilicet nequeat vlterius illam augere; vel ex parte ipsius formæ, quia videlicet petat certam mensuram vltra quam progredi nequeat, quin in aliam formam mutetur, v.g. pallor, qui si nimiũ albescet fiet albedo; vel denique ex parte subiecti, quia nempe non est capax vlterioris gradus. Sed ex nullo capite ex istis prouenire potest, quod Charitas quantumuis magna, nequeat vlterius augeri: ergo. Minor probatur: nam causa efficiens, & augens Charitatem est Deus, qui est infinitę virtutis: similiter ipsa Charitas, cum sit specialis quædam participatio diuinæ naturę, & Spiritus Sancti, qui est etiam Charitas, nullam ex se habet determinatam mensuram: præterea quod neque ex parte subiecti; quia potentia passiua, per quam voluntas recipit Charitatem, non est potentia passiua naturalis, sed obedientialis solum respiciens Deum, vt illum, qui potest in ipsa producere Charitatę; cum ergo ex parte Dei non repugnet producere Charitatem sine vllo termino, nec natura ipsa Charitatis petat illum, poterit Deum illam producere sine vllo termino in voluntate sibi obediente ad illam recipiendam. Confirmatur, quia ex eo potentia passiua naturalis respicit determinatum gradum formę, quia respicit agens naturale,

quod

quod quia habet virtutem finitam, potest solum producere illã in gradu determinato: sed potentia passiua obedientialis voluntatis respicit Deum, qui est infinitæ, & illimitatæ virtutis; ergo non respicit determinatum gradũ Charitatis, sed maiorem, & maiorem sine termino.

Soluio cõtrarior

Vnde ad primum fundamentum in contrarium respondetur, quod quamuis de potentia absoluta Dei sit concedenda sequela argumenti; de facto tamen, & de potentia ordinaria est neganda: eo quod gratia, & Charitas non crescat, aut augeatur, nisi per opera procedentia ex auxiliis gratiæ Dei, quæ secundũ prouidentiam ordinariam ipsius sic dispensantur, vt non attingant ad ea, quæ data sunt Beatis. Virgini, Baptistæ, vt Apostolis, propter ipsorum eminentiam, & quia oportet vt sint diuersi gradus sãctitatis in Ecclesia. Ad secundum respondeo, quod cum dicimus Charitatem posse in infinitum intendi, non asserimus posse dari Charitatem infinitã in actu, sed dicimus esse infinitam in potentia; hoc est, quod nunquam datur tanta Charitas, quod non possit maior, & maior sine termino dari. Addo; quoad illud de qualitatibus, iuxta dicta in Physicis, quod quamuis qualitates naturales si considerentur, quatenus sunt dispositiones conseruatiuæ subiecti, habeant maximum, & terminum versus magnitudinem (subiectum enim siue sit corpus simplex, vt elementum, siue compositum vt mixtum, requirit qualitates in gradu determinato) si tamen considerentur secundum se non petunt terminum suæ magnitudinis, sed possint in infinitum augeri. Cum ergo Charitas non sit qualitas conseruatiua alicuius subiecti, cum potius sit qualitas supernaturalis, ideo nullo modo, neque secundum se, neque quatenus est in subiecto petit terminum suæ magnitudinis. Ad tertium dico, quod licet capacitas rei finitæ fortè non possit esse respectu infiniti in actu, bene tamen potest esse respectu infiniti in potentia: sicut enim quantitas, & albedo, etsi sint res finitæ, tamen quantum est ex parte sua possunt crescere in infinitum, ita etiam in proposito quamuis capacitas animæ, seu voluntatis sit finita, est tamen capax maioris, & maioris Charitatis in infinitum.

Quæstio septima,

Vtrum Charitas viæ possit æquare, vel excedere Charitatem patriæ.

Suppo nendum

SVppono Charitatem viæ, & patriæ esse eiusdem speciei. Ita Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 67. articulo sexto, & cum eo Theologi alij, specialiter noster Salmanticenses in 1. 2. Tract. nono disputatione prima num. 65. Colligitur ex Paulo primæ Corinthiorum 13. *Charitas nunquam excidit.* Et quia distinctio actus, vel habitus solum ex obiecto formali pensitari debet; est autem eadem ratio formalis obiecti Charitatis in via, & in patria, scilicet bonitas Dei, vt est in se. ergo & Charitas eiusdem speciei. Quare solum quæritur, vtrum Charitas viæ possit intra eamdem speciem æquare, vel excedere perfectionem Charitatis Patriæ.

Pars negatiua

Pro parte negatiua referuntur Caietanus, Bañez, Aragon, Azorius, Vasquez, & ex antiquioribus Diu. Bonauẽtura, Henricus, & Nominales, fauent etiam ex recentioribus Lorca, & Granadus. Fundatur hæc sententia primo in verbis Christi Matth. 11 loquens enim de sanctitate Ioannis Baptistæ, postquam de illo dixisset: *Non surrexit inter natos mulierum maior Ioannes Baptista*, inquit, *Qui autem minor est in regno Cælorum, maior est illo*: ex quo sequitur nullum viatorem adæquare Charitatem beati; quia, si hoc alicui competeret, maximé Ioanni, quod illi negat Christus. Secundo, ex multis testimoniis PP. qui id denotant, & aliquando comparant Charitatem, & perfectionem viæ puero, Charitatem vero, & perfectionem Patriæ viro. Tertio, ex multis etiam testimoniis Diui Thomæ, quibus id indicatur. Quarto, nam cum primum homo assumitur in cælum, augetur eius gratia, & Charitas in tali mensura, vt ad illum Charitas viæ nunquam peruenire possit. Ergo semper Charitas Patriæ excedit. Quinto, quia actus Charitatis in via non potest esse tam perfectus sicut in Patria: ergo nec habitus; consequentia videtur nota, & antecedens

dens probatur, quia obiectum Charitatis in via proponitur obscure, in patria autem clarè, & manifestè: sed obiectū hoc modo propositum efficacius multo est ad mouendum voluntatem, quam obiectum obscurè propositum, ergo semper actus Charitatis Patriæ erit perfectior actu Charitatis viæ, siquidem habet fortius, & efficacius motiuum.

Distinctio. Pro explicatione aduertendum, Charitatem viæ, & Patriæ posse comparari quantum ad duo; scilicet primo, quantum ad intensionem; secundo, quantum ad alias perfectiones accidentales concomitantes illam.

1. concl. Dico ergo primo, loquendo de Charitate viæ, & Patriæ, quantum ad secundam comparationem, Charitas patriæ incōparabiliter excedit Charitatē viæ. Hanc cōclusionem admitto cum authoribus sententiæ relatæ. Et probatur discurrendo per multas perfectiones Charitatis Patriæ, quę non reperiuntur in Charitate viæ. in primis enim Charitas Patriæ est inamissibilis, perpetua, & æterna; Charitas autem viæ amissibilis est, & temporanea. Similiter Charitas Patriæ non admittit in Beato passiones, aut inclinationes inordinatas; cum tamen ea, quæ est in viatore illas admittat. Deinde Charitas Patriæ non solum est incompossibilis cum peccato mortali sicut & Charitas viæ, sed etiam cum peccato veniali habituali, & actuali, vt diximus Tomo prœcedenti Tractat. primus disputatione quinta, quæstione quarta, quod non conuenit Charitatis viæ. Præterea Charitas Patriæ sequitur visionem beatificam, quę est perfectissima cognitio Dei, vtpote, quia fertur in obiectum præsens, clarè, quidditatiuè, intuitiuè, & distinctè; Charitas autem viæ sequitur cognitionem fidei, quæ est imperfecta, quia obscurè, abstractiuè, & confusè fertur in Deum: vnde illa est coniuncta cum possessione, ista verò cum desiderio. Denique, actus Charitatis Patriæ est necessarius quoad specificationem, & exercitium, vt diximus dicta disputatione quinta quæstione prima, actus autem Charitatis viæ vtroque modo est liber. Ex quo sequitur illam esse perfectiorem in ratione voluntarij; quamuis enim respectu obiecti creati perfectior modus voluntarij sit liber, quam necessarius; respectu tamen obiecti increati, vt est Deus, perfectius voluntarium est necessarium, quam liberum, vt diximus eo Tomo prœcedenti Tractat. 2. disputatione prima quæstione tertia: excedit ergo in multis Charitas Patriæ, Charitatē viæ. Vide Bachonium in 1. dist. 46 quæst. vnica artic. 2.

Secunda Dico tamen secundo, quoad intensionem habitus Charitatis, habitus Charitatis viæ excedere potest habitum Charitatis Patriæ. Hanc conclusionē ex parte admittunt Caietanus, & Bañez, & sequuntur Becanus, Turrianus, Amicus, & noster Philippus à SS. Trinit. to. 3. disputatione vndecima dubio sexto. Probatur primo; nam quis credat habitum Charitatis vnius paruuli beati, qui solum decessit in gratia, & Charitate baptismali, non esse multo minorem habitu, & actu Charitatis plurimorum Sanctorum viatorum, non solum Beatæ Virginis, & Apostolorum, sed aliorum etiam, qui dum in hac vita vixerunt, multis laboribus pro Christo perpessis, & qui Charitatē quā habebant summo. perè auxerunt. Secundo specialiter, nā habitus Charitatis Beati est idem in Patria solum quod speciem, sed quoad intensionem, ac erat in via; sed prout est in Patria excedere potest habitum Charitatis alterius Beati, cum non omnes Beati sint æquales in beatitudine; ergo idem etiam habitus, prout erat in via, poterit excedere habitum Charitatis alicuius existentis in Patria. Maior huius argumenti non alter probatur, nisi ostendendo nullum augmentum recipere habitum Charitatis iustorum, dum primo ingrediuntur in cęlum. Hoc autem persuadetur primo ex doctrina ferè communi Theologorum, scilicet, quod, iuxta mensuram Charitatis viæ dabitur lumen gloriæ in Patria, sed habitus etiam Charitatis est futurus iuxta intensionem luminis; ergo de primo ad vltimum idem habitus Charitatis, quantum ad intensionem est perseueraturus in via, & Patria. Secundo, quia status beatitudinis etiam pro primo instanti illius est status termini, & non viæ; ergo non est status augmenti habitus Charitatis; ac per consequens tunc non angebitur. Tertio, nam vel huiusmodi augmentum tribuitur à Deo, vt præmium propter merita, vel omnino liberaliter: non primum, quia præmium illud poterat à Deo concedi, & congruē tius erat quod concederetur potius homini existenti in via, quam in Patria: nec etiam secundum, quia nec in Sacra Scriptura, nec in Patribus, aut Concilijs mentio talis augmenti reperitur; quinimo ex Sacra Scriptura habemus, quod *Qui parce seminat, parce & metet*; & quod Dominus, *Reddet vnicuique iuxta*

iuxta opera ſua; nullum ergo fundamétum eſt ad aſsignandum tale augmentum Charitatis in Patria.

Tertia. Dico tertio, etiam actus Charitatis viatoris poteſt excedere actus Charitatis aliquotum Beatorum. Ita enim colligitur ex eiſdem authoribus, & fundamentis; & quia actus poſſunt proportionari in intenſione habitibus à quibus eliciuntur. Quod maximè procedit in eximijs Sanctis, quales ſunt Beatiſsima Virgo, Baptiſta, Apoſtoli, & alij, qui ex auxilijs ſpecialibus Dei non ſolum operabantur ſecundum intenſionem habituum, ſed etiam ſupra illam.

Solutio argumẽt. Argumentis in contrarium adductis facile reſponderi poteſt ſolum probare id quod diximus in prima concluſione, nihil vero contra ſecundam, & tertiam. Sed ad maiorem abundantiam addo ad locum illum Matth. verba illa, *Qui minor eſt in regno Cælorum*, &c. à D. Ambroſio, & alijs intelligi de Angelis, inter quos *minor* excedit quantum ad naturalia quemcunque hominem. Secundo, dici poteſt per *minorem in regno Cælorum* intelligi ipſum Chriſtum, qui erat minor Ioanne, tum humilitate, tum ætate, tum nobilitate exiſtimata ab hominibus. Ita Chriſoſtomus, Theophylatus, Euthymius, Salmeron, Ianſenius, & Cornelius, apud quem, & Maldonatum alię expoſitiones. Secundum, & tertium argumentum ex PP. & D. Tho. non probant aliud quã id quod diximus in 1. concl. Quartum argumentum, vt conſtat ex dictis circa ſecundam concluſionem aſſumit fundamentum falſum, vel ſaltem valde incertum. Ad quintum, ſimiliter conſtat ex dictis, quod licet actus Charitatis in via non poſsit peruenire ad perfectiones actus Charitatis in Patria, de quibus diximus in prima concluſione, poteſt autem illum æquare, & excedere quantum ad intenſionem. Ad probationem autem in contrarium dico, quod cum propoſitio obiecti clara, vel obſcura ſolum ſe habeat, vt approximatio illius, ac per conſequens ſolum vt conditio reſpectu actus voluntatis, ideo propoſitio clara non monet efficacius voluntatem quantum ad hoc quoad actus ſit intenſior, ſed quantum ad hoc, quod ſit neceſſarius; & ita quamuis Deus proponatur clarius per viſionem beatificam, quam per fidem, non inde ſequitur actum amoris beatificum eſſe sẽper intenſiorẽ actu amoris viatoris: Addo, etiam ſi admittatur, quod per clariorem propoſitionem obiecti ſequatur voluntas, ſeu amor intenſior, quam per obſcuram; quia tamen hic exceſſus eſt finitus, & limitatus, ideo poteſt compenſari, imo ſuperari exceſſu habitus, & auxiliorum, à quibus maximè procedit intenſio actus Charitatis; & ita actus viatoris eſſe intenſior actu comprehenſoris.

Quæſtio octaua.

Vtrum Charitas viatoris poſsit eſſe perfecta.

Suppo nendum. SVpponendum eſt, Charitatem in hac vita poſſe aliquo modo eſſe perfectam: tum quia 1. Ioann. 2. dicitur: *Qui ſeruat verbum eius verè in hoc charitas Dei perfecta eſt*: & cap. quarto. *Si diligamus inuicem Deus in nobis manet, & Charitas eius in nobis perfecta eſt*; tum quia aliàs homines non dicerentur perfecti, cum tamen Geneſis 6. Noe vocetur *vir iuſtus*, atque *perfectus*; & Geneſis 17. Abrahę dicat Deus: *Ambula coram me, & eſto perfectus*. Et Chriſtus Matth. 19. dixerit: *Si vis perfectus eſſe*, & Matth. 5. *Eſtote perfecti*. Idem habetur 2 Corinthiorum 13. & ad Philippenſ. 3. tum etiam, quia, vt habet Sanctus Thomas quæſtione 24. articulo nono, ſequens antiquos Patres, tres gradus ſunt in hac vita, Charitatis, ſeu diligentium Deum, ſcilicet incipientium, proficientium, & perfectorum: Charitas ergo poteſt eſſe in hac vita aliquo modo perfecta. Si autem quæras qui ſint iſti gradus diligentium Deum, dico cum eodem Sanct. Thom. articulo nono, & aliis, quod primus eſt illorum, qui ita diligunt Deum, vt illorum principale ſtudium ſit recedere à peccatis, reſiſtendo concupiſcentijs, & tentationibus, & iſte gradus vocatur *incipientium*. Secundus eſt illorum, qui ita Deum diligunt, vt non ſolum curent recedere à peccatis, ſed etiam proficere in bono, & in ſtudio virtutum, qui gradus propterea vocatur *proficientium*. Tertius eſt illorum, qui ita Deum diligunt, vt præter ſupradicta conentur vlterius, & ardenter optent Deo inhęrere, & frui, ita vt cupiant etiam diſſolui, & eſſe cum Chriſto, vt Paulus dicebat,

cebat, & hic gradus vocatur *perfectorum*. Explicat autem Sanctus Thomas hos tres gradus ad similitudinem augmenti corporalis hominis, in quo sunt tres ætates pro ipsius augmento, scilicet infantilis, vsus rationis, & pubertatis: & in omni motu corporali, in quo sunt recessus à termino à quo, accessus ad terminum ad quem, & quies in illo. Ad hos etiam gradus reducitur triplex illa via perfectionis, scilicet *purgatiua, illuminatiua*, & *vnitiua*, de qua Theologi mystici agunt. Vide Salmanticenses nostros in Arbor. virtut. num. 22.

Iam ergo ad quæstionis resolutionem dicendum, quod si per hanc Charitatem perfectam intelligatur ea, qua diligatur Deus, in quantum diligibilis est, & in quantum eius bonitas potest, vt sic non potest esse in homine Charitas, neque in hac vita, neque in alia, perfecta, quia vt sic solus Deus seipsum potest diligere. Si verò per Charitatem perfectam intelligatur ea, quæ est talis, quantum est ex parte diligentis; etsi hoc possit reperiri in Patria, vbi totum cor hominis actualiter semper fertur in Deum; in via tamen solum reperitur quantum ad hoc, quod totum suum studium deputet ad vacandum Deo, & rebus diuinis, alijs prætermissis, in quantum necessitas præsentis vitæ requirit. Ita Diu. Thomas quæstione 24. articulo octauo, & alij passim. Concluſ.

Obiectio

Nec obstat illud Apostoli ad Philippenses 3. *Non quod iam perfectus sim*. Si enim ipse tot prærogatiuis gratiarum à Deo donatus negat se perfectum esse, signum est non dari perfectionem Charitatis in hac vita. Etenim vel hoc credendum est dixisse ex humilitatis amore; vel loqui de perfectione propria Patriæ, aut Beatorum.

DISPVTATIO III.

De corruptione Charitatis.

Quæstio prima.

Vtrum per quodlibet peccatum mortale destruatur Charitas.

Supponendum.

SVpponendum contra Iouinianum, & Pelagium, Begardos, & Beguinas, Vviclephum, & Caluinum, quos referunt, & refellunt Vega, Bellarminus, Valentia, & alij ex recentioribus, Charitatem semel habitam posse deperdi; quod quidem est definitum in Concilio Viennens. sub Clem. 5. & in Tridentin. sess. sexta capit. 14. & 15. & can. 23. & 27. Colligitur primo ex Sacra Scriptura, tum ex illis locis, vbi dicitur iustos posse peccare. Ezechielis 18. *Cum auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem*; & primæ Corinthiorum 10. *Qui stat videat, ne cadat*. Tum ex illis vbi dicitur iustos aliquos cecidisse in peccata, vt Adam, Dauid, Salomon, Petrum, & alios: ad Galatas 5. *Euacuati estis à Christo, à gratia excidistis*. Et Apocal. 2. de quodam Episcopo dicitur: *Habeo aduersum te pauca, quia Charitatem primam reliquisti*. Secundo colligitur ex Patribus, Scholasticis, & Theologis, apud relatos authores. Tertio ex rationibus; prima, quia homo adhuc iustus est indifferens ad bonum, & malum, ad operandum bene, vel male: ergo potest perdere gratiam, & Charitatem. Secunda, quia ex eo beatus non potest perdere Charitatem quam habet, aut peccare, quia non potest apprehendere bonum aliquod, quod sit contra Deum, sed viator iustus potest hoc apprehendere, cum non videat Deum clarè, sed solum obscurè, & enigmaticè; ergo potest peccare, & perdere Charitatem. Vide plura alia apud Siluestranum nostrum

Charitas homo

confirm in tertio loc. 28.

Sed dicitur pro hoc loco 1. Ioann. 3. habetur: *Qui manet in re Deo, in eo manet non facit, quia semen ipsius in eo manet, & peccare non potest*: & 2. Corinthiorum 13. *Charitas nunquam excidit*. Respondeo tamen ad primum, omnino illum sic esse intelligendum, *sicut dicitur, qui manet in Deo, non facit, quia manet ex Deo, non autem, quia manet per Deum*: sicut alia ex natura sua, possit peccare. Secundum etiam, & tertium dicitur, Charitatem esse dictam à Paulo nunquam excidere, quia sola inter alias virtutes Theologicas, vera Christianæ proprie, cum ratione Fidei, & Spei, quæ sine ea imperfectæ sunt.

Cajetan

Hoc postea respondet ad quodlibet eam, quæ videbantur peccatum mortale destruri Charitatem. Et conciliis de Ephesino Concilio Tridentino fel. Sess. 6. cap. 15. canon. 27. ac contra Michaelem Baium determinata à Pio V. Gregorio Decimotertio in Bulla contra illum edita, & postea ab Vrbano Octavo confirmata. Postrema autem Bellarmini ratio: *Homo amittens per peccatum mortale, fortis vestis aurea donum, non potest habere verum Charitatem, & Charitas remanet perfecta, quod confirmatur exemplo Samsonis*. Respondetur eam rectam adducit, sed ex illo non concludit. *Homo amittit, mortale peccatum, non amittit donum Dei reflectibiliter*. Ita dicimus, *Quamvis homo per fornicationem, vel aliud mortale in suo habitu effectu, & conversione*, Primum quidem, quia quodcunque peccatum mortale, id tollit Deum, Charitas autem, & sanctitas ipsa, ejus per peccatum mortale destructa Charitas, secundum quid quodcunque peccatum mortale, id genus obiecta Dei, sed prout ad finem talis animi intenditur, Charitas tollitur per peccatum mortale. Deficientes autem, qui contra illam veritatem ejus positum in Septentrione dimentur. Interim videndus inter Ioannem Bonacinam de peccat. Decalogi præcepto, primo capite, tertia cap. 4.

Quæstio secunda.

Virum peccatum mortale explodat Charitatem ejusque: an vero solum mortaliter.

Videntur modis potest res forma ex- Neutiq
pelleri aliam, primo *physicè*, *ejusdem modo*. Ita forma dicitur physicè expellere illam, quæ ex natura sua tanto incompossibilitatem repugnat, quo paulo tingua expellit calorem, & forma ejus humanam, ita illa vero forma dicitur expellere aliam *moraliter*, quæ nil eam habet ex natura sua oppositionem cum illa, efficaciter tamen retinet, vel invita illa: sublecto, quo modo redditur indignus ad habendam illa formam, & meretur quod illa auferatur. Quibus ergo est, quo modo ex illa peccatum mortale destruat Charitatem.

Cursus

Cursus autem est, & possibile quod omnis omne peccatum mortale destruat Charitatem moraliter; vel saltem quod ex addicta, tam ex illo ad Remot. *Ejusdem modo*. Probatur. 1. Matthæi. 18. *Si non quis peccaverit, ipse amittetur*: non tam non loquitur de morte corporali, sed etiam de spirituali animæ, quæ consistit in amissione Charitatis intrinsecæ, ergo. Secundo, ex ratione, quia homo per certus mortale offendit Deum, ut hic assumptum, amittitur ab ipso, & transgreditur gratam peregrinus ipsius: ergo eli dignus quod auferat Deus ab illo tali existimus. Tertio, & confirmatur, ex quibusque Charitas destruitur per peccatum mortale mortaliter, & deserentia, solum ut difficultas ea etiam, physicè.

Prima sententia eli angelica, quam tenent ex antiquioribus Scotus Scotistæ, Ant. Derandus, Richardus, Gabriel, & alii: & ex recentioribus Angelus, Bezanus, Sotus, Conink. & Lorca. Fundamenta sunt, primo, quia, ligne peccatum, & Charitatem nolle, ad oppositio ex natura rei: ergo non potest peccatum expellere physicè Charitatem: ergo peccatum patet. & ante. Ordine probatur, quia cum talis oppositio non potest esse Charitatis ex parte

C c 2 rei-

relatiua, erat & potest, debet ese pri-
uatiua, vel contraria: sed non est pri-
uatiua, quia hic est error Pelagia-
norum, & Iouiniani, vt ait vltimo, & ex-
citatur ad tria peccatum non esse pri-
uatiuam Charitatis vel eius priuatiuam
ex, vel aliquid simul: nec tria capita
finis potest esse contraria, quia oppo-
nitur contrarie ad vnum: sed duabus
malis politicis, præcipitat autem, fal-
sum simulatur, non est bona politica.

Nulla ergo opposition est inter peccatū,
& Charitatem, sicut nec inter bonū, & bonum: & eam non est talis oppositio, quia dicat aliquid positiuū, quia non oppositio dicit aut ordinem ex eisdem ad aliquid, sed ordinem, & habitus sunt diuersi ordinis, ad tria quidem, de quibus mentio habetur, non autem de peccato mortali quidem, sed peccato venialiter. Charitas vero habens ordinē non est oppositus phyſici. Tertia, quia adhuc in quarto non dicit, quod phyſici habitus impetrantur: ergo non sunt duo phyſici habitus phyſice bus potius Charitati. Quarto, quia Iouinianus, qui peccatum, priuatiue ad fidē, eſt quidem peccatum ergo non poſt habitum phyſice contrarium phyſice cum fide: ergo peccatum non eſt priuatiua, phyſice Charitatis. Confirmatur: quia falſum peccatum omiſſionis, cum nihil ſit, eſt falſa carentia, non poſt ergo eſſe phyſici expellere Charitatem.

Secunda ſententia huic oppoſita tenet peccatum mortale expellere phyſice Charitatem, ita Mach. Thom. quibus ex ſe autoritatibus, & ratio, quia, ſequuntur Caietanus, Soto, Aſtud. Bellarminus, Valentia, Vaſquez, Turrianus, Silueſter, Medina, & alii.

Ricardi Nota, poſt nos loqui de peccato mor-
tali in fide, non in fide reſt. & ſpe, de Charitate, prout diſtincta a gratia ſe-
cundum communem hiſtoriam, vel prout eſt idem cum illa, prout quodammodo multitudo: ratione poſterioris ſententiæ oppoſitio phyſica, ſive ex natura rei, quæ eſt inter peccatum, & Charitatem, ſic patet, & tenet, vt nec de potentia abſolutiſ poſſit eſſe Charitas, & hic omittitur declaratio.

Ex cond. Dico propoſitio, peccatum in fide, ſeu quod idem eſt, peccatum mortale, præter diſtinctionem, & peccatum abſolutum, ſeu mortale peccatum, non poteſt phyſice ſtare cum gratia, aut Charitate. Hæc concluſio eſt contra Scotum, Speculator, duos Doctores Louan. & Collegium. Probatur concluſio, quia peccatum mortale, vt practicum ab habitu-

li, ſeu morali præcipit, nullam habet oppoſitionem phyſicam, & formalem cum habitu Charitatis, ſeu habitu gratiæ: ergo non expellit illos habitus, & formaliter: conſequentia patet, & antecedens probatur, quia oppoſitionem portat ratio peccatoris, vel eſſe peccatoris, vel carentia, tranſeunt adobiectum, ſed carentia ſtatim, quidditas, ut peccatum abſolute, & gratiam, aut Charitatem, ergo nullam habent oppoſitionem phyſicam, & formalem: Probatur conſequentia, quia habitus non habent ordinem ad actus malitia conſiſtit in priuatione rectitudinis debitæ actui, vel habitui, vel in habitudine politiua diſſentiæ ad aliquem rationem rectitudinis actus: & conſiſtit in priuatione rectitudinis debitæ obiecto: peccatum non redditur ſine priuatione illius rectitudinis debitæ habent quidem ex priuatiuam cum iuſtitia, & non carentia ſola politiua habitudine diſſentiæ, cum hæc habitudo ſit naturalis, cum ſequatur ad actum politicum gratiæ, & Charitatis, qui ſunt ſimpliciter ſupernaturales, ſicut actus Charitatis, & eius ſchola, oppoſitio debet eſſe, ſi dicat formale rationis habitus, quia ergo oppoſitio phyſica, aut formalis, eſt inter peccatum mortale, & habitum Charitatis.

Secundo probatur, peccatum admiſſe fidei non habet oppoſitionem phyſicam, aut gratiæ, & Charitatis: ergo peccatum oppoſitio eſt contra rectitudinem debitam, quæ non eſt gratiæ, aut Charitatis, ſed eſt rectitudo debita actui, habitui, aut obiecto, quæ non eſt gratiæ, aut Charitatis, ergo peccatum non eſt oppoſitum phyſice gratiæ, aut Charitati, ſed ſolum eſt oppoſitum rectitudini debitæ actui, habitui, aut obiecto, quæ non eſt gratiæ, aut Charitatis, ergo peccatum non eſt oppoſitum phyſice gratiæ, aut Charitati: Probatur conſequentia, quia peccatum non eſt oppoſitum phyſice, & formaliter, niſi ratione oppoſitionis phyſicæ, & formalis ratione habitus Charitatis, ſeu habitus gratiæ: ergo non expellit illos habitus, & formaliter: conſequentia patet, & antecedens probatur, quia oppoſitionem portat ratio peccatoris, vel eſſe peccatoris, vel carentia, tranſeunt adobiectum, ſed carentia ſtatim, quidditas, ut peccatum abſolute, & gratiam, aut Charitatem, ergo nullam habent oppoſitionem phyſicam, & formalem: Probatur conſequentia, quia habitus non habent ordinem ad actus malitia conſiſtit in priuatione rectitudinis debitæ actui, vel habitui, vel in habitudine politiua diſſentiæ ad aliquem rationem rectitudinis actus: & conſiſtit in priuatione rectitudinis debitæ obiecto: peccatum non redditur ſine priuatione illius rectitudinis debitæ habent quidem ex priuatiuam cum iuſtitia, & non carentia ſola politiua habitudine diſſentiæ, cum hæc habitudo ſit naturalis, cum ſequatur ad actum politicum gratiæ, & Charitati, qui ſunt ſimpliciter ſupernaturales, ſicut actus Charitatis, & eius ſchola, oppoſitio debet eſſe, ſi dicat formale rationis habitus, quia ergo oppoſitio phyſica, aut formalis, eſt inter peccatum mortale, & habitum Charitatis.

Secundo probatur, peccatum admiſſe fidei non habet oppoſitionem phyſicam, aut gratiæ, & Charitatis: ergo peccatum oppoſitio eſt contra rectitudinem debitam, quæ non eſt gratiæ, aut Charitatis, ſed eſt rectitudo debita actui, habitui, aut obiecto, quæ non eſt gratiæ, aut Charitatis, ergo peccatum non eſt oppoſitum phyſice gratiæ, aut Charitati, ſed ſolum eſt oppoſitum rectitudini debitæ actui, habitui, aut obiecto, quæ non eſt gratiæ, aut Charitatis, ergo peccatum non eſt oppoſitum phyſice gratiæ, aut Charitati: Probatur conſequentia, quia peccatum non eſt oppoſitum phyſice, & formaliter, niſi ratione oppoſitionis phyſicæ, & formalis ratione habitus Charitatis, ſeu habitus gratiæ: ergo non expellit illos habitus, & formaliter: conſequentia patet, & antecedens probatur, quia oppoſitionem portat ratio peccatoris, vel eſſe peccatoris, vel carentia, tranſeunt adobiectum, ſed carentia ſtatim, quidditas, ut peccatum abſolute, & gratiam, aut Charitatem, ergo nullam habent oppoſitionem phyſicam, & formalem: Probatur conſequentia, quia habitus non habent ordinem ad actus malitia conſiſtit in priuatione rectitudinis debitæ actui, vel habitui, vel in habitudine politiua diſſentiæ ad aliquem rationem rectitudinis actus: & conſiſtit in priuatione rectitudinis debitæ obiecto: peccatum non redditur ſine priuatione illius rectitudinis debitæ habent quidem ex priuatiuam cum iuſtitia, & non carentia ſola politiua habitudine diſſentiæ, cum hæc habitudo ſit naturalis, cum ſequatur ad actum politicum gratiæ, & Charitati, qui ſunt ſimpliciter ſupernaturales, ſicut actus Charitatis, & eius ſchola, oppoſitio debet eſſe, ſi dicat formale rationis habitus, quia ergo oppoſitio phyſica, aut formalis, eſt inter peccatum mortale, & habitum Charitatis.

Secundo probatur, peccatum admiſſe fidei non habet oppoſitionem phyſicam, aut gratiæ, & Charitatis: ergo peccatum oppoſitio eſt contra rectitudinem debitam, quæ non eſt gratiæ, aut Charitatis, ſed eſt rectitudo debita actui, habitui, aut obiecto, quæ non eſt gratiæ, aut Charitatis, ergo peccatum non eſt oppoſitum phyſice gratiæ, aut Charitati, ſed ſolum eſt oppoſitum rectitudini debitæ actui, habitui, aut obiecto, quæ non eſt gratiæ, aut Charitatis, ergo peccatum non eſt oppoſitum phyſice gratiæ, aut Charitati: Probatur conſequentia, quia peccatum non eſt oppoſitum phyſice, & formaliter, niſi ratione oppoſitionis phyſicæ, & formalis ratione habitus Charitatis, ſeu habitus gratiæ: ergo non expellit illos habitus, & formaliter: conſequentia patet, & antecedens probatur, quia oppoſitionem portat ratio peccatoris, vel eſſe peccatoris, vel carentia, tranſeunt adobiectum, ſed carentia ſtatim, quidditas, ut peccatum abſolute, & gratiam, aut Charitatem, ergo nullam habent oppoſitionem phyſicam, & formalem: Probatur conſequentia, quia habitus non habent ordinem ad actus malitia conſiſtit in priuatione rectitudinis debitæ actui, vel habitui, vel in habitudine politiua diſſentiæ ad aliquem rationem rectitudinis actus: & conſiſtit in priuatione rectitudinis debitæ obiecto: peccatum non redditur ſine priuatione illius rectitudinis debitæ habent quidem ex priuatiuam cum iuſtitia, & non carentia ſola politiua habitudine diſſentiæ, cum hæc habitudo ſit naturalis, cum ſequatur ad actum politicum gratiæ, & Charitati, qui ſunt ſimpliciter ſupernaturales, ſicut actus Charitatis, & eius ſchola, oppoſitio debet eſſe, ſi dicat formale rationis habitus, quia ergo oppoſitio phyſica, aut formalis, eſt inter peccatum mortale, & habitum Charitatis.

Digitized by Google

poſſionem eſt diuum, et diuinum, cum grata, ſolus formalis, ſolum per peccatum Dei abſentia, nulla eſt diuini peccatum abſolute cum gratia, & Charitate, ſupra poſitiua, et ſupernaturalia, datur ſeparatio à peccato habituali, ſin mortali peccati. Ratio eſt, quia, ut dicebamus, non eſt oppoſitio formalis inter peccatum actuale, & gratiam, & Charitatem, ſed eſtam oppoſitio, quia ſolum Deus poteſt cum peccato, quæ ſolum eſſentiæ opponuntur.

Tertio. Diuersitas, ſeparatum habitualis, à ſin mortali peccati, de inde pendet, & ex ratione ſeparationis habitualis, quæ eſt ſolus hæc penitus mutet non. Sed Tertio diuersitas peccatorum mortalium, per quæ habitus Dei per peccatum abſolutè Dei non poſſit eſſe ſimul gratia & peccatum habituale, ſin mortali peccatrix qui priuatio gratiæ, ex quo ſolus eſt ſimul cum peccato habituali eſt ratio ſeparationis, & ſeparatur ab eo Deus? Ergo ſeparatio habitualis, ſine mortali peccati, non eſt ſeparatio Dei, ſed ſeparatio peccati habituali, ſine mortali peccati.

Quarto. Quarto, peccatum habituale, ſine mortali peccati, non eſt ſeparatum à Charitate, & gratia, ſed eſt ſimul cum gratia, & Charitate. Ergo ſeparatio habitualis, ſine mortali peccati, non eſt ſeparatio Dei, ſed ſeparatio peccati habituali, ſine mortali peccati.

Probatur minor. Quia ſi peccatum habituale, ſine mortali peccati, eſſet ſeparatum à gratia, & Charitate, ſequeretur, quod eſſet ſeparatum à gratia, & Charitate, quia ſolum eſſentiæ opponuntur, & ſolum per ſe, & ſua natura, ſine Deo, ſeparatur habitualis peccatum à gratia, & Charitate, ſed conſequens eſt falſum. Ergo & antecedens. Probatur conſequentia minoris. Quia ſi peccatum habituale, ſine mortali peccati, eſſet ſeparatum à gratia, & Charitate, ſequeretur, quod eſſet ſeparatum à gratia, & Charitate, quia ſolum eſſentiæ ſunt, quæ ſolum per ſe, & ſua natura, ſine Deo, ſeparantur, ſed conſequens eſt falſum. Ergo & antecedens. Probatur minor. Quia ſolum eſſentiæ ſunt, quæ ſolum per ſe, & ſua natura, ſine Deo, ſeparantur, ſed peccatum habituale, ſine mortali peccati, ſolum per ſe, & ſua natura, ſine Deo, ſeparatur à gratia, & Charitate, ſtante ſua habituali natura. Ergo peccatum habituale, ſine mortali peccati, ſolum per ſe, & ſua natura, ſine Deo, ſeparatur à gratia, & Charitate. Probatur minor. Quia peccatum habituale, ſine mortali peccati, ſolum per ſe, & ſua natura, ſine Deo, ſeparatur à gratia, & Charitate, ſtante ſua habituali natura, quia ſtante ſua habituali natura, ſtante ſua habituali priuatione gratiæ, & Charitatis, ſtante ſua habituali priuatione Dei, ſtante ſua habituali priuatione ſui finis vltimi, ſtante ſua habituali priuatione ſui ordinis ad Deum, ſtante ſua habituali priuatione ſui obiecti, ſtante ſua habituali priuatione ſui motiui, ſtante ſua habituali priuatione ſui principij, ſtante ſua habituali priuatione ſui termini, ſtante ſua habituali priuatione ſui obiecti formalis, ſtante ſua habituali priuatione ſui obiecti materialis, ſtante ſua habituali priuatione ſui obiecti adæquati, ſtante ſua habituali priuatione ſui obiecti primarij, ſtante ſua habituali priuatione ſui obiecti ſecundarij, ſtante ſua habituali priuatione ſui obiecti primi, & ſecundi, ſtante ſua habituali priuatione ſui obiecti primarij, &

mine *physicum*, dupliciter enim vsurpari potest, primo, strictè, scilicet pro ente, aut entitate positiua: secundo, latè, pro eo quod est à parte rei, seu ex natura rei, secluſa operatione intellectus, & prout distinguitur contra ens rationis, seu ens morale: argumentum ergo rectè probat non conuenire peccato causalitatem physicam primo modo ex istis, cum macula peccati sit quædam priuatio; non tamen probat, quod non conueniat illi secundo modo talis causalitas; admodum quo diximus tenebras expellere physicè lucem, non quia habeant aliquam causalitatem positiuam, sed quia ex natura rei, & ceisante omni opere intellectus expellunt lucem. Ad confirmationem dico, quod quamuis peccatum omissionis formaliter cõsistat in priuatione actus, semper tamen habet adiunctum sibi aliquem actum, qui sit causa, vel occasio omissionis, iuxta dicta tom. 2. Tract. 2. disputatione prima quæstione quarta: vnde quamuis omissio per seipsam formalissimé sumpta non possit esse causa physica expulsionis gratiæ, sed solum moralis, tamen ratione actus adiuncti potest efficienter physicè, ad modum, quo peccatum actuale, id facere, & macula ex illo relicta formaliter physicè.

Quæstio tertia,

Vtrum peccatum veniale diminuat Charitatem.

Suppoſit. SVpponitur peccatum veniale non destruere gratiam, & Charitatem, neque physicè, neque moraliter: non physicè, quia nullam habet oppositionem cum illis, cum non sit auersio à Deo, odium ipsius, priuatio gratiæ, inimicitia, aut aliquid huiusmodi: nec etiam moraliter, aut demeritoriè, quia est leuis culpa, vt propter eam Deus, saltem de potentia ordinaria, tollat gratiam, & Charitatem. Solum ergo est quæstio, an saltem diminuat Charitatem.

Dantēria Partem affirmatiuam tenet Dionysius Chartusianus, tribuitur Altisiodorensi, & probabilem putat Victoria, ac ex nostris Bachonius in primo distinctione 47. quæst vnica articulo tertio. Fundamenta sunt, primo, quia amicitia humana minuitur aut repescit per leues iniurias factas amico, ergo etiam diuina, quæ fundatur in gratia, & Charitate, diminuitur per peccata venialia, quę sunt etiam leues iniuriæ, & offensæ Dei: patet consequentia, tum à simili; tum etiam, quia maiori obligatione astricti sumus ad non contraueniẽdum amicitiæ diuinæ, quam amicitiæ humanæ. Secundo, quia peccata venialia diminuunt feruorem Charitatis, idest, actum feruidum ipsius, ergo etiam diminuunt ipsum Charitatis habitum: probatur consequentia, quia feruor actus non videtur posse diminui, nisi diminuatur etiam intensio habitus, à quo procedit.

Secunda sententia docet oppositum, Secunda
scilicet peccatum veniale non diminuere Charitatem. Ita Sanctus Thomas, & eius Expositores quæstione 24. articulo decimo, noster Perusinus in 1. quęstione 28. articulo primo, specialiter Caietanus, Bañez, Aragon, quibus iunguntur Valentia, Vasquez, Coninck, Granadus, & alij moderni, quorum aliqui oppositam aliqua censura dignum existimant. Pro explicatione tamen veritatis aduertendum, dupliciter intelligi posse Charitatem diminui, vno modo intrinsecè, alio modo extrinsecè; diminui intrinsecè Charitatem, est, quod aliquis gradus, aliquaue entitas, aut pars illius destruatur, ad modum quo diminuitur qualitas naturalis, v. g. calor, aut frigiditas: diminui autem extrinsicè, est, non quod perdatur aliquis gradus, entitas, aut pars illius, sed quod illi apponatur aliquod impedimentum, obuians quod ipsa Charitas prorumpat in actum intensiorem, & feruentiorem, in quem alias prorumperet, iuxta modum, quo tom. 2. Tractat. 5. disputatione decima quæstione secunda diximus cum Sancto Thoma, & alijs Theologis, per peccatum diminui inclinationem naturalem ad bonum, non quidem per ablationem alicuius entitatis ipsius, sed per appositionem alicuius impedimenti, per quod redditur difficilis, aut minus idonea, ad operandum bene.

Dico ergo primo, per peccatum veniale quantumuis multiplicetur, non 1. concl.
diminuitur intrinsecè habitus Charitatis: quod est dicere nulla entitas, gradus, aut aliquid intrinsecum habitus Charitatis aufertur per peccatum, aut peccata venialia. Hanc conclusionem præcipuè intendunt Authores secundę sententiæ, nec negant ex Authoribus primæ Altisiodorensis, & Baconius,

verè

verè enim admittunt Charitatem non posse diminui intrinsicè. Ratio communis pro hac conclusione, quę aliquo modo desumitur ex Sanct. Thom. est, quia peccatum veniale non diminuit intrinsecè Charitatem, neque physicè, neque meritoriè; ergo nullo modo. Consequentia patet, & antecedens quo ad primam partem probatur, quia peccatum veniale non opponitur physicè priuatiuè habitui Charitatis: si quia siue consideretur in fieri, siue in facto esse solum consistit in priuatione rectitudinis debitę actui, si est peccatum amissionis: siue in priuatione, aut carentia actus, si fuerit omissionis; nec etiam contrariè, quia, cum contraria debeāt esse sub eodem genere, & peccatum veniale, siue in fieri, siue in facto esse sit aliquid naturale, non opponitur contrariè Charitatis, quę est ordinis supernaturalis. Quoad secundam vero partē probatur, quia cum peccatum veniale sit leue peccatum, non meretur tantam pœnam, qualis est diminutio habitus Charitati; præsertim, cum ex nullo fundamento constet eam esse impositam à Deo. Secunda ratio est, quia, si peccata venialia diminuerent intrinsecè habitum Charitatis, sequeretur adeo posse multiplicari, quod omnino destruerent illum; consequens autem non conceditur, nec concedi potest, quia Concilium Tridentinum sessione sexta capitulo vndecimo, determinat homines per peccata venialia non desinere esse iustos: & quia alias per illa sola damnaretur homo, quod est absurdum: ergo. Sequela probatur ex illa communi propositione, quę est quasi axioma Philosophorum: *Omne finitum per ablationem finiti consumi potest*. Cum ergo habitus Charitatis sit finitus, si per peccata venialia aliquid ipsius tollitur, multiplicatis venialibus tandem destruetur. Huic argumento plures adhibet solutiones Victoria, quas tamen bene reijciunt Valentia, & Lorca.

Corollar. Ex dictis autem infertur idem de gratia iustificante dicendum esse, scilicet, nullatenus diminui intrinsicè per peccata venialia. Ratio est præter adducta, quia peccatum veniale nullo modo opponitur gratię, aut alicui gradui gratię ipsius; neque enim opponitur physicè, quia quacunque gratia data, & in quacunque intensione posset cum illa peccatum veniale perseuerare, cum nihil sit in peccato veniali, quod aduersetur gratiæ, aut alicui gradui ipsius: neque etiam opponitur demeritoriè, aut moraliter, hoc est ex voluntate Dei volentis committenti peccatum veniale auferre aliquem gradum gratiæ? penitus enim voluntariè, & sine vllo fundamento hoc diceretur, cum hoc sit magna pœna respectu leuis culpa.

Nihilominus dico secundo, peccatum veniale minuit feruorem Charitatis quatenus scilicet impedit ne prorumpat Charitas in actus feruentiores. Hanc conclusionem admittit noster Bachouius, admittitur etiam ab alijs recētioribus. Ratio illius est, quia per peccata venialia, præsertim si multiplicentur, producuntur habitus, vel dispositiones vitiosę, inclinantes ad actus prauos. Similiter per illa excitantur motus appetitus contrarij Charitati; crescunt passiones inordinatę, & causatur distractio mentis circa temporalia, & sensibilia; sed hę omnia impediunt, vel saltem minuunt actus Charitatis, præsertim feruidos, & feruorem illorum: ergo peccata venialia possunt dici minuere feruorem Charitatis. Deinde secundo, quia homo nō potest prorumpere in actus Charitatis, maximè feruidos, nisi speciali auxilio Dei fuerit excitatus, & adiutus: sed homo committens peccata venialia, reddit se indignum, vt à Deo accipiat hęc auxilia, ideo iustissimè punitur à Deo carentia taliū auxiliorum: peccata ergo venialia impediunt, aut diminuunt feruorem Charitatis. Conel. 2.

Patet etiam ex dictis, quomodo intelligendę sint locutiones aliquot, tam Sacrę Scripturæ, quam Patrum, in quibus reprehenditur negligentia in vitandis venialibus, & censetur nimis periculosa ad amittendum gratiam, & Charitatem: cuiusmodi est illud Ecclesiast. 19. *Qui spernit modica, paulatim decidet*: & Augustinus sermon. 4. de Sanctis, & alibi: *Si minima peccata nimis plura sint, mergunt*: & Gregor. 3. pastoral. admonit. 24. *Qui peccata minima flere, & vitare negligit, à statu iustitiæ non repente, sed per partes totus cadit*. Hæc omnia, & similia, quorum multa in Patribus reperiuntur, intelligenda sunt modo dicto, quatenus scilicet per huiusmodi peccata diminuuntur, & impediuntur actus Charitatis, præsertim feruidi. Imo addo, posse etiam hæc intelligi de corruptione totali gratię, & Charitatis, quia vt docet Sanctus Thomas, & cum eo eius Expositores 1. 2. quæstione 88. articulo quarto, peccatum veniale est quædam dispositio saltem indirecta ad mortale, & qui plura peccata venialia committit, Corollar.

fere

ſerè moraliter eſt promptior ad aliquod mortale, per quod deſtruitur gratia. Et ita meritò reprehenditur à Sacta Scriptura, & Patribus negligentia in vitandis venialibus, quaſi periculoſa ad amittendam gratiam. Vide dicta tomo ſecundo Tractat. 5. diſputatione quinta quæſt. ſexta.

Conel. 3. Dico tertio, etiam poteſt dici minui extrinſecè habitum Charitatis per peccata venialia, quatenus impediunt, vel diminuunt feruorem Charitatis. Colligo ex Bachonio in primo diſtinctione 47. quæſt. vnic. articulo primo, & diſtinctione 48. quæſt. vnic. Probatur ex exẽplo adducto ante primam concluſionẽ: ſi enim inclinatio naturalis ad bonum dicitur diminui extrinſecè per peccatum ex eo ſolum, quod per illud producitur aliquid quo inclinatur voluntas ad oppoſitum, & retardatur à propria inclinatione; cum etiam per peccatum veniale retardetur, & impediatur Charitas, ne prorũpat in actus feruidos, & voluntas habens talem Charitatem etiam inclinetur ad actus contrarios Charitati, ſequitur diminui extrinſecè per peccata venialia Charitatem.

Solutio rgum. Iam vero ad duo argumenta pro prima Sententia adducta reſpondeo. Et ad primum, omittendo, quod in argumenta ſupponitur id quod nos negauimus diſputatione prima quæſtione prima, ſcilicet Charitatem eſſe formaliter amicitiam hominis ad Deum, dico, quod quamuis aliqui videantur negare antecedens, mihi tamen videtur verum, & experientia notum. Leues enim iniuriæ, ſi tamen multiplicentur, innumeras diſſoluunt amicitias humanas, ſaltem inter homines minus prudentes. Vnde conceſſo antecedenti nego conſequentiam; cuius ratio eſt, quia cum humana amicitia ſit habitus adquiſitus per noſtros actus, diminuetur, imo auferetur totaliter per actus cõtrarios: at vero amicitia ſupernaturalis hominis ad Deũ eſt habitus infuſus, qui ſicut non pendet effectiuè à noſtris actibus, ſic, iuxta dicta neq; corrumpitur, aut diminuitur ab illis. Vnde infero, amicitiam naturalem hominis ad Deum, quam in ſuperioribus etiam admiſimus, poſſe dici diminui per peccata venialia commiſſa præcisè contra Deum, vt finem naturalem: cum .n. talis amicitia ſit habitus adquiſitus, vt diximus, ſicut producitur noſtris actibus, ita diminuetur per illos, ad modũ quo alij habitus adquiſiti. Ad ſecundum, conceſſo etiam antecedenti nego conſequentiam, ſicut enim per peccatum dicitur diminui inclinationem naturalem quantum ad ſuos actus, quamuis non diminuatur intrinſecè, ſic etiam de peccatis venialibus reſpectu diminutionis Charitatis philoſophandum eſt. Et eſt exemplum ad propoſitum, nam per ægritudinem, aut aliud impedimentum corporale, quamuis non diminuatur intrinſecè habitus exiſtentes in homine, diminuuntur tamen extrinſecè quatenus impediuntur à ſuis operationibus. Sic ergo in propoſito dicendum eſt.

Ex dictis autem in tota hac quæſtione manifeſtum eſt veram eſſe doctrinam S. Thom. in articulo decimo, ſcilicet Charitatem nullam poſſe pati diminutionem: nullum enim diminutiuum Charitatis poteſt eſſe, niſi ſolum peccatum veniale, de quo oſtenſum eſt illam non diminuere intrinſecè. In primis enim non diminuitur Charitas ex mera voluntate Dei: Deus enim non aufert dona ſupernaturalia hominibus ab ipſo conceſſa pro ſola ſua voluntate; *Sine pœnitentia enim ſunt dona Dei*, vt ait Apoſtolus ad Roman. 11. Similiter non poteſt diminui per alia opera noſtra, nam ſi ſint bona potius augent illam: &, ſi non augent, ſaltem omnino improbabiliter dicetur eam diminuere: ſi vero ſint mala, aut ergo ſunt peccata mortalia, aut venialia: ſi mortalia, omnino deſtruunt, ſi venialia, nihil faciunt: ergo. Idem dico de ceſſatione ab actibus: ſi enim talis ceſſatio ſit bona, non diminuet Charitatem; ſi eſt mala, procedit idem argumentum de mortali, & de veniali. Opera autem, aut etiam omiſſiones, indifferentia in indiuiduo non dantur, vel ſi dantur, impertinenter omnino dicentur diminuere Charitatem; nullo ergo modo Charitas diminuitur.

Corollar

[illegible] [illegible]
[illegible] [illegible]
[illegible] [illegible]

fectionem ſuam, ſed ſecundum plenitudinem omnium perfectionum, quę habet prout eſt in ſeipſo, vt notant Caietanus, Bañez, Valentia, Amicus, & aliij.

Obiectio Obijci tamen poteſt contra hoc, quod Charitas eſt virtus ſpecialis, ergo debet habere obiectum ſpeciale, ſicut quilibet habitus habet illud: ſed Deus quatenus dicit omnem perfectionem, & bonitatem in ipſo repertam, non dicit aliquam ſpecialem rationem boni, ſed quaſi cõmunem, & vniuerſalem rationem bonitatis diuinæ; ergo non eſt vt ſic obiectum formale Charitatis. Reſpondeo, quod cum dicitur quemlibet habitum, aut virtutem ſpecialem debere habere obiectum *ſpeciale*, per obiectum *ſpeciale* non intelligitur aliqua ratio particularis, particulariter etiam diſtincta ab alia, ſed dicitur *ſpeciale*, quia ſiue ſit ratio particularis, ſiue communis, aut vniuerſalis, diſtinguitur ab alia quacunque ratione obiectiua, cuiuſcunque habitus, & eſt ſpecialis in eſſe obiecti: hoc autem ſenſu dicimus bonitatem diuinam eſſe obiectum ſpeciale Charitatis, ſicut etiam dicimus quod ens, aut entitas in communi, quamuis dicat rationem communiſsimam entis, eſt obiectum Metaphyſicę, quia eſt ſpecialis ratio quędam obiectiua.

De obiecto formali quo. Si quęras quid ſit obiectũm formale *quo*, ſeu ratio *ſub qua* virtutis Charitatis. Reſpondeo, quod quamuis de hac difficultate pauci DD. tractent, & Lorca dicat ſolum in habitibus cognoſcitiuis, non autem in ijs, qui pertinent ad voluntatem reperiatur huiuſmodi obiectum formale *quo*, ſeu ratio *ſub qua*: nihilominus non video cur ſimiliter nõ ſit aſsignanda eadem diſtinctio obiectorum formalium in Charitate: atque ita in ea preter obiectum formale *quod* debet etiam aſsignari obiectum formale *qua*. Probatur quia ex eo in habitibus intellectus aſsignatur tale obiectum *quo*, quia illi aſsequuntur ſuum obiectũ *quod* per aliquod medium quod ſe teneat ex parte potentię; vt ſcientię medijs demonſtrationibus, & fides media diuina reuelatione: ſed etiam habitus Charitatis attingit ſuum obiectum formale *quod* medio aliquo ſe tenente ex parte potentię, vel actus, ergo &c. Probatur minnor. nam vt dicemus in ſequentibus, Charitas non quomodocunque verſatur circa Deum, & eius ſummam bonitatem, vt in ſe eſt, ſed verſatur circa illum ipſum diligendo appretiatiuè ſuper omnia: ſed huiuſmodi appretiatio eſt medium, & ratio tenens ſe eſt parte potentię, vel actus, ergo Charitas attingit ſuum obiectum formale medio aliquo medio, ſeu ratione attingendi, atq; ita illud erit obiectũ formale *quo*. Confirmatur hęc ratio, quia obiectum formale dicitur tale, quia eſt quędam forma, ſeu ratio formalis tendendi in obiectum materiale, quod ſe habet ſicuti materias: ſed ſicut ratio diligendi Deum, & proximum eſt eius ſumma bonitas, ſic etiam ratio attingendi huiuſmodi ſummam bonitatem eſt modus ille appretiabilitatis, quam habet, & propter quam illam omnibus aliis rebus anteponimus. Si enim quęras quare diligo Deum ſuper omnia, rectè reſpondebo, quia eſt æſtimabilis, & appretiabilis omnibus rebus; ergo ſicut ſumma bonitas Dei eſt obiectum formale *quod* Charitatis, ita etiam modus iſte appretiabilitatis erit obiectum formale *quo*. Præterea, quia habitus, & actus ſpei pertinent ad voluntatem: nihilominus in illis aſsignantur hęc duo obiecta formalia *quod*, & *quo*, vt ipſe Lorca admittit, & nos diximus ſupra Tractat. 2. diſputatione prima quæſtione ſecunda.

Si vero obijcies; ratio formalis *ſub qua* habitus debet eſſe illi ratio tendendi in omnia obiecta talis habitus; ſed huiuſmodi appretiatio non eſt Charitati ratio tendendi in proximum, qui etiam eſt obiectum Charitatis, quia proximũ non debemus ex Charitate diligere ſuper omnia appretiatiuè: non ergo eſt ratio formalis *ſub qua* Charitatis. Obiectio. Reſpõdeo, negando minorem, & ad eius probationem dico, quod quamuis proximus non diligatur à nobis ex Charitate appretiatiue ſuper omnia, quando tamen diligimus proximum per Charitatem diligimus eum propter Deum appretiatiuè dilectum, & ratio diligendi proximum eſt bonitas Dei appretiatiuè dilecta: ideoque de primo ad vltimum, etiam in actu dilectionis proximi reperitur talis appretiatio; non quidem qua ipſum proximum ſuper omnia appretiatiuè diligamus; ſed quatenus Deus, & eius bonitas, quę eſt ratio diligendi proximum appretiatiuè ſuper omnia diligitur: quare ſicut Dei bonitas, quæ eſt obiectum formale *quod* Charitatis etiã ſi in proximo non reperiatur formaliter, ſed ſolum in Deo, eſt ratio, quod illum diligamus ex Charitate; ſic etiam appretiatio iſta quamuis non immediatè tendat in proximum, ſed in rationem diligendi proximum, erit etiam

speciem infimam, quantumuis non solum per fidem credamus Deum, sed alia ab ipso: & per spem non solum speremus ipsum, sed alia etiam. Præterea, quia obiectum primarium, & secundarium pertinent ad eamdem virtutem specie infima; sed Deus se habet vt obiectum primarium Charitatis, proximus vt secundarium; ergo pertinent ad eamdem virtutem secundum speciem: sed pertinent ad Charitatem: ergo. Ratio à priori est, quia habitus, & virtutes non distinguuntur specie propter diuersitatem obiectorum materialium, sed propter diuersitatem formalium; sed quamuis Deus, & proximus sint diuersa obiecta materialia, diliguntur tamen à Charitate sub eadem ratione formali obiecti: bonitas enim Dei, vt est in se appretiatiuè, & super omnia diligibilis est ratio diligendi Deum propter ipsum, & proximum propter Deum: ergo Deus, & proximos diliguntur sub eadem ratione formali obiecti: atque ita Charitas, quę est principium vtriusque dilectionis, erit vna secũdum speciẽ. Dicitur autem bonitas Dei ratio diligendi ipsum propter seipsum, & proximum propter ipsum Deum; quia quidquid Deo, & proximo per Charitatem desideramus, imo & ipse proximus, nõ solum sunt aliquid participatum, & dependens à diuina bonitate, sed aliquid etiam ad illam ordinatum, & vt tale volitum per Charitatem. Quod explicari potest duobus exemplis, primum est de obiecto formali fidei; diximus enim in Tractatu primo disputatione prima quęstione secunda, Deum sub ratione deitatis esse obiectum formale *quod* fidei, quia omnia quæ credimus, credimus vt aliquid dependens à Deo, & ordinatum ad ipsum: pariter ergo diuina bonitas, vt est in se dicetur ratio formalis *quæ* obiecti Charitatis, quia omnia, quę per Charitatem diligimus, siue ea diligamus, vt amicos, siue vt bona concupita amicis, diligimus vt ordinata ad ipsum, & vt entia per participationem ab ipso. Secundum est de fine qui dicitur ratio formalis electionis mediorum quia omnia media, quæ eliguntur, amãtur, vt dependentia à fine, & vt ordinata ad ipsum, similiter ergo in præsenti propter eamdem rationem dicetur diuina bonitas ratio formalis diligendorum per Charitatem.

Ex his autem infertur primo, tam proximum quam bona quę illi volumus comparari ad Charitatem, vt obiectum Corollar.

solum materiale illius; siquidem ea omnia diliguntur à nobis ex Charitate pro vt entia participata à Deo, & ordinata in ipso. Secundo, proximum dici diligi propter Deum, quia Deus, *vel* eius bonitas est ratio diligendi proximum; quatenus tam proximus, quam ea, quę illi volumus, diliguntur per Charitatem, vt ordinata in Deum, vt explicatum est.

Contra hoc tamen, & traditam doctrinam est argumentum; quia sequitur ex dictis, proximum non diligi per Charitatem amore amicitiæ, seu benevolentiæ, sed solum amore concupiscentiæ: consequens autem est falsum, vt supponunt omnes Theologi cum Sanct. Thomas per totam quæstionem vigesimam quintam, ergo & antecedens. Sequela vero probatur, quia quotiescunque aliquid amatur non propter se, sed propter alium, talis amor non est amor amicitiæ, seu benevolentiæ, seu concupiscentiæ: si ergo per Charitatem diligimus proximum per Deum, & propter eius bonitatem, sequitur non amari propter se, sed propter alium; atque ita eius amorem esse solum concupiscẽtiam. Respondeo tamen ad illud, omissa solutione aliorum, negando sequelã, & ad eius probationem dico, quod quãdo aliquid amatur propter alium, vt vtile, & commodum illi propter quem amatur, vt quando volumus Petro diuitias, honorem &c tunc talis amor nõ est amicitiæ, sed concupiscentiæ respectu rei amatæ: quando vero amatur aliquid propter alium, non vt vtile illi, propter quem amatur, sed vt vtile, & conueniẽs illi rei quæ amatur propter aliam: tunc talis amor est amor amicitiæ perfectissimæ, vt patet in amore Dei erga homines: cum enim amicitiæ amor sit velle bonum amico propter eius vtilitatẽ, & non propter vtilitatem alterius, quotiescunque volumus aliquid amico propter eius vtilitatem, ibi repetitur ratio verè amicitię. Sic autem contingit in proposito quamuis enim amemus proximos propter Deum, quia tamen hoc cedit in magnam ipsorum vtilitatem, quia amare proximum propter Deum est velle, quod Deus faciat illum participem suorum bonorum gratiæ, & gloriæ, ideo hic amor est perfectissimæ amicitiæ respectu proximi. Argumentum

Restat tamen difficultas, quia non solum possumus diligere proximum volendo illi aliqua bona, & ipsum proxi, mum ex complacentia diuinę bonitatis & vt relata ad ipsam, sed etiam pos- Difficult.

sumus

pra in hac quæſtione : ſi vero diligatur proximus ex complacentia diuinę bonitatis, & ordinando ipſum, & omnia ipſi concepita in Deum, diligetur eadem virtute Charitatis, qua Deus. Vide Vaſquez, Lorcam, & Amicum : & aliam ſolutionem, quam affert Sanctus Thomas quæſtione 25. articulo primo ad ſecundum, & quæſt. 81. artic. quarto ad tertium.

Solutio 4. ration. Ad quartam rationem dubitandi, facilis etiam eſt ſolutio dicendo, quod ſi dilectio Dei, & proximi conſiderentur in eſſe naturę, quatenus ſcilicet dilectio Dei ſe habet vt intentio, dilectio autē proximi, vt electio, vt ſic differunt ſpecie, quia intentio, & electio in eſſe naturę differunt ſpecie : ſi vero conſiderentur in eſſe moris, quatenus videlicet habent pro obiecto formali ipſam bonitatem diuinam ſecundum ſe appretiatiuè diligibilem ſuper omnia, vt ſic ſunt eiuſdem ſpeciei, vt habet Sanctus Thomas dicto articulo primo. Vnde patet diſtinguendum eſſe antecedēs, & negandam conſequentiam, quia ſpecificatio habitus, ſeu virtutis non ſumitur ex actibus in eſſe naturæ, ſed in eſſe moris. Quod etiam contingit in aliarum virtutum actibus, qui etſi ſint in eſſe naturę ſpecie diuerſi, pertinent tamen ad eamdem virtutem, quia in eſſe moris ſunt eiuſdem ſpeciei.

Quæſtio tertia.

Vtrum per Charitatem non ſolum Deum, ſed etiam nos ipſos diligere poſſimus.

Suppoſit. DEum amari poſſe, & deberi per Charitatem, tam ex dictis, quam ex dicendis, manifeſtè conſtat : præſertim, cum Charitas ſit virtus Theologica, quæ proinde tangere debet Deum tanquam amicum, & dilectum ; & quia in Sacra Scriptura, & PP. cum de obiectis Charitatis agitur primo loco ponitur Deus : imo quia hic intrat regula illa cōmunis propter quod vnumquodque tale, & illud magis ; cum enim per Charitatem diligamus proximum propter Deum, multo magis ipſe eſt diligendus. Quæſtio ergo iſta ſolum procedit de nobis, an ſcilicet debeamus, aut poſſimus nos etiam ex Charitate diligere.

Ratio dubitandi eſt, primo, quia amor Charitatis eſt honeſtus, & perfectus, amor vero ſui eſt malus, vel ſaltem imperfectus ; propterea enim Ioan. 12. dicitur : *Qui amat animam ſuam perdet eam*, & 2. ad Timotheum 3. *Inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines amantes ſeipſos* : apud Sanctos etiam, & PP. ſæpiſsime reperitur reprehenſus, imo damnatus amor proprius tanquam radix omnium malorum, vnde D. Auguſtinus in lib. de Ciuitate Dei docet amorem ſui ædificare *Ciuitatem Babiloniæ, ciuitatem mundanam*, & ſimilia. Secundo, quia Charitas, vt vidimus, eſt amicitia ; ſed amicitia eſt ad alterum : tum quia eſt quædam relatio realis : tum quia requirit redamationem : ergo non ad ſeipſum. Confirmatur ex Diuo Gregorio homilia 17. in Euangel. *Minus quam inter duos Charitas haberi non poteſt*. Tertio, quia ſi noſmetipſos ex Charitate diligeremus, maximè quia nobis diligimus plura bona, etiam ſupernaturalia, ſcilicet Charitatem, & alia huiuſmodi ; ſed hic amor non pertinet ad Charitatem, ſed ad ſpem, per quam nobis deſideramus hæc bona, eſt enim quidam amor concupiſcentiæ : ergo. Rat. dub.

Vera tamen, & certa ſententia eſt, noſmetipſos ex Charitate diligi poſſe. Ita omnes Theologi cum Sanct. Thom quæſtione 25. articulo quarto, & Magiſtro in tertio, diſtinctione 28. Habetur primo ex Sacra Scriptura Luc. 19. & Matth. 22. ibi : *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*. Secundo, quia ex eo poſſumus diligere proximum ex Charitate, quia eſt capax beatitudinis, & donorum ſupernaturalium ; ſed etiam nos ſumus eodem modo capaces : ergo. Tertio, quia illud obiectum attingi poteſt ab habitu, vel potentia, quod habet, vel poteſt habere ordinem ad obiectum formale ipſius ; ſeu quod poteſt cadere ſub illo : ſicut omne illud, quod fuerit coloratum, vel illuminatum erit obiectum attingibile à potentia viſiua : ſed nos omnes habemus ordinem ad diuinam bonitatem, quæ eſt, iuxta dicta in præcedentibus, obiectum formale Charitatis, & ſub illius ratione poſſumus diligi, quatenus res quas nobis diligimus, & nos met ipſi ordinamur in illam ; ergo. Vera ſententia.

Ex quibus dicendum cum Sanct. Thomas Quid de corpore noſtro.

ma articulo quinto etiam corpus nostrum posse diligi ex Charitate. Quia etiam corpus nostrum est capax suo modo beatitudinis æternę; & possumus tam ipsum, quam ea quæ ipsi diligimus diligere cum ordine ad diuinam bonitatem. Nec obstat si obijciatur aliquando licitum esse, imo obligatorium, affligere, macerare, & castigare corpus, quēadmodum Apostolus primæ Corinthiorum nono se facere dicebat, dum ait: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo*. Hæc enim non sunt contra Charitatem, sed illi conformia ob animæ vtilitatem, imo ipsius etiam corpus, vt particeps sit beatitudinis, cuius est capax. Propterea enim Christus Lucæ 14. dixit: *Si quis non odit animam suam non potest meus esse discipulus*: & Ioann. 12. *Qui odit animam suam in hoc mundo in vitam æternam custodit eam*. Per animam videlicet vitam corporis intelligendo. De quo PP. & Expositores late.

Addendum secundo, etiam teneri nos diligere, seu amare nosmetipsos, nō solum dilectione naturali, sed etiam supernaturali Charitatis. Ratio sumitur ex illo Matth. 22. adducto: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, vbi dilectio proximi regulatur ex dilectione propria: & quia hic procedit regula illa: *Propter quod vnumquodque tale & illud magis*. Secundo, quia homo tenetur desiderare sibi gloriam, & dona supernaturalia ad illam necessaria; cur ergo ex Charitate, quæ est suprema, & Regina virtutum non tenebitur id facere? Confirmatur, quia homo tenetur ex Charitate conservare amicitiam Dei, & media ad illam necessaria: ergo etiam se diligere ex eadem Charitate. Nec obstant Diu. Augustin. 1. de doctrin. Christian. cap. 23. & Diu. Thom. quæstione 44. articulo tertio, qui videntur negare eſſe tale præceptum. Nam loquuntur de præcepto positiuo, non de naturali, quod *non indicitur, sed naturæ inseritur*, vt ait Diu. Bernard. in *Tract. de diligendo Deo*. Sunt etiam pro hac sententia Bañez, Turrianus, Siluius, & Amicus.

Nunc ad primam rationem dubitandi dico, amorem sui à Sacra Scriptura, & PP. reprobatum, esse illum nimium, & inordinatum, quo homines bona temporalia, & sensibilia sectantes, relinquunt æterna; non vero amorem honestum, & rationabilem, qualem ipse etiam Aristoteles 2. politic. cap. 3. & 9. Ethic. cap. 8. approbauit. Secunda, solum probat Charitatem, quatenus amicitia est non posse esse erga nosmetipsos, bene tamen vt est principium amoris beneuolentiæ supernaturalis ex complacentia diuinæ bonitatis vt est in se. Ex quo etiam ad confirmationem ex Diuo Gregorio. Ad tertiam dico, hoc quod est velle sibi bona, præsertim supernaturalia, posse pertinere ad spem, & etiam ad Charitatem, iuxta diuersitatem motiuorum formalium. Si enim nobis desideremus bona ista, quatenus habent rationem ardui, & futuri, ac innitendo auxilio Dei, tale desiderium erit amor concupiscentiæ, & spei: si vero illa desideremus sub motiuo diuinę bonitatis vt est in se, & vt ordinata in ipsam, hoc desiderium erit amor beneuolentiæ, & Charitatis. Idem dicendum de actu, quo proximis &c. bona desideramus.

Qua dilectione

Solutio rat. dubit.

Quæstio quarta.

Quis sit proximus ex Charitate à nobis diligendus.

Respondeo, proximum ex Charitate à nobis diligendum, esse omnem creaturam rationalem, quatenus nobiscum conuenit in hoc, quod est esse capacem beatitudinis æternę, & donorum supernaturalium. Ita Diu. Augustin. lib. 1. de doctrina Christiana capitulo 23. 26. & 30. Diu. Thom. tota hac quęstione 25. & Scholastici in 3. distinctione 28. Ratio autem sumitur ex eo, quod quemadmodum in humanis, & politicis is qui nobiscum communicat in aliquo, natione v. g. patria, domo &c. dicitur nobis proximus, & coniunctus sic in supernaturalibus is dicetur proximus, qui nobiscum communicat in eisdem supernaturalibus, quales sunt omnes creaturæ rationales.

Cōclusio

Obijci tamen potest cōtra hoc, quod enim quidam Legisperitus Luc. 10. interrogasset Christum, *Quis est meus proximus*, ipsi respondit afferendo parabolam de quodam qui incidit in Latrones, & ab eis spoliatus, vulneratus, & semiuiuus relictus; à Sacerdote, & Leuita per viam transeuntibus nullum beneficium recepit, sed solum à Samaritano

Obiectio.

Digitized by Google

Audistis, quia dictum est, diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum, subdit corrigens, & emendans veterem legem: *Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros*; sicut etiam correxit alia quæ erant in lege veteri, vt patet in lege repudij, & in iuramento. Respondeo, quod quamuis Maldonatus, & Salmeron contendant præceptum hoc non fuisse in veteri lege, nihilominus vera sententia tenet contrarium, quam docent ex nostris Guido, & Silueira in cũ bcum Matthæi, & alij communiter. Et ratio est desumpta ex communi doctrina Theologorum, maximè ex D Thom. 1.2. quæst. 107. articulo secundo, & tertio, quam adduximus tom. 2. Tract. 6. disputatione sexta quæstione secunda, videlicet, quod in lege noua non fiat aliqua præcepta moralia addita à Christo supra ea quæ erant in lege veteri, præter præcepta fidei, & Sacramentorum: præceptum autem de dilectione inimicorũ est præceptum morale, cum non sit iudiciale, aut cæremoniale. Vnde nego antecedens argumenti, & ad primam eius probationem dico, hoc præceptum sufficienter haberi loco illo Leuitic. 19. *Diliges amicum tuum*, quia in textu Hebreo legitur, *diliges proximum tuum*, inimicus autem est proximus. Denotatur etiam hoc præceptum eodem capitulo decimo nono, dum dicitur: *Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum*: Et Exod. 23. *Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti reduc ad eum. Si videris asinum odientis te iacere sub onere non pertransibis, sed subleuabis*. Alia loca afferunt Lorca, & alij. Ad secundum probationem dico cum Diu. Thom in tertio distinctione 30. quæst. prima, & authoribus relatis, Christum præcipiendo dilectionem inimicorum, non correxisse, aut emendasse legem, sed prauam interpretationem Iudæorum, qui nomine proximi non accipiebant inimicum.

Solutio tac. dub. Nunc iam ad rationes dubitandi respondendum. Et ad primam, concessa maiori nego minorem, & ad primam probationem dico, quod quamuis aliqua, de quibus Christus in eo capite tantum contineant consilium; hoc tamen quod spectat ad dilectionem inimicorum continet præceptum, quia est de iure naturæ, vt dixi, & quia verba illa hoc modo sunt intellecta à PP. & DD. vnanimiter. Ad secundam autem probationem dico, dilectionem inimicorum non pertinere ad perfectionem accidentalem Charitatis, secundum quam extenditur ad consilia; sed ad perfectionem essentialem ipsius, quæ dicit ordinem ad adimpletionem præceptorum, de qua perfectione intelligi potest illud 1. Ioann. 3. *Qui facit verbum eius in hoc Charitas Dei perfecta est*. Vide alia spectantia ad gradus perfectionis apud Perusinum nostrum in 3. quæstione decima quarta. Ad secundam rationem dubitandi respondeo, quod diligere inimicum dilectione generali, quę solum includit negationem odiendi illum, & preparationem animi ad benefaciendum illi, si fuerit in necessitate, nec est opus heroicum, nec valde difficile; diligere vero illum dilectione speciali, videlicet benefaciendo illi etiam extra necessitatem, vel specialibus beneficijs ipsi non debitis, hoc est opus heroicum, & difficillimum: & ita prima dilectio cadit sub precepto, non autem secunda.

Tertia ratio dubitandi petit explicemus, qualiter circa inimicos nostros nos gerere debeamus ex Charitate. Et dicendum, per se loquendo, nos non obligari ex Charitate ad inimicos, nisi solum eo tempore, & modo quo ad alios proximos: ita vt quemadmodum nunquam licet odisse proximos alios, & aliquando est necesse illos diligere, & ipsis signa amicitiæ exhibere; tempore extremæ necessitatis alere; nec excludere à suffragijs, & communibus orationibus, & beneficijs, quæ alijs exhibentur; sic etiam circa inimicos nos gerere debeamus. Ratio est, quia inimicus inquantum talis non debet esse melioris conditionis, quam alij proximi ergo circa ipsos solum obligamur generali modo dilectionis quo circa alios. Sic colligitur ex S Thom. articulo octauo & nono, & alijs Doctoribus. Qui rectè addunt ad perfectionem Charitatis pertinere specialiorem dilectionem erga inimicum ostendere, prout sæpius Sancti fecerint. Soluitur tertiæ

Dixi autem *per se loquendo*, quia per accidens, & in aliquibus casibus debemus inimicum diligere non solum generali dilectione, aut beneficientia, sed etiam speciali, & particulari. Primus est, si incurrat specialem necessitatem præ alijs. Secundus, quando ex oppositio sequatur aliquod scandalum, aut nota odij, & rancoris contrà illum. Tertius, quando ipse vult reconciliari, & petat veniam, aut offerat condignam satisfactionem. De quibus casibus Expositores Diu. Thom. hoc loco. Explicatio

Quæritur tamen, an inimicum teneamur Dubium

mur salutare, aut resalutare, vel alloqui. Ad quod dicendum, resalutationem generaliter loquendo esse debitam, non solum ex vrbanitate, sed etiam ex Charitate, ac proinde exhiberi debere inimicis ex debito harum virtutum; imo etiam, quia moraliter loquendo inter æquales non resalutare salutantem est signum odij, vel contemptus, & generat scandalum. Sic ex Bañez, Valentia, Nauarro, Suarez, Lorca, Bonacina, Palao, & Vrbano relato. Quoad salutationem vero; cum illa sit signum specialis beneuolentiæ, & on ipsiò ipsius non sit signum odij, aut inimicitiæ, non est per se debita inimico: Suarez, Coninck, Bonacina, Palaus. Per accidens tamen, ratione scandali, vel ad deponendum internum odium, vel placandum inimicum, vel obligandum ipsum, vt odium deponat, potest esse debita. Sic ex authoribus relatis, Lorca. & Tannero. Idem dicendum de allocutione, seu collocutione, de qua etiã agunt Coninck, Granadus, & Tannerus. Qui rectè animaduertit post Caietanum, Bañez, & Valentiam, eam hanc ex circumstantiis à viro prudenti expendendam esse. Vide Vrbanum relatum.

Quæstio sexta.

De tempore quo obligant præcepta Charitatis.

De præceptis negatiuis

LOquendo de præceptis negatiuis, scilicet de non odiendo Deo, proximo &c certa res est, & indubitata, quod obligent semper, & pro semper: hæc enim est natura præcepti negatiui, & per quam ab affirmatiuo distinguitur, quod non obligat semper, sed pro tempore determinato. Solum ergo est quæstio de præceptis affirmatiuis Charitatis, circa dilectionem Dei, nostram, & proximi, quæ notantur in Sacra Scriptura. Primo, Deuteronom. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Et fere similiter Deuter. 10. Clarius Matth. 22. vbi cum quidam legis Doctor interrogasset Christum: *Quod est mandatum magnum in lege?* Respondit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum, & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Et Ioann. 4 *Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum diligat & fratrem suum.* Ac specialiter de dilectione proximi Ioannis 13. *Hoc est*, inquit Christus, *mandatum meum, vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos.*

De affirmatiuis

Qua in re, quod attinet ad dilectionem Dei, consequenter ad dicta de fide Tract. 1. disputatione tertia quæst. septima, & de spe Tract. 2. disput. secunda quæst. quinta, inter varias Doctorum sententias illa est verior, & communior, hoc præceptum propter sui dignitatem, & excellentiam, & quia est necessarium ad habendam, & conseruandam amicitiam supernaturalem cum Deo, obligare per se; primo, post vsum rationis, quando quis animaduertit rationes, & motiua, propter quæ Deus est amandus super omnia à creatura rationali, secundo, in articulo, seu periculo mortis; tertio, aliquoties in vita, ita vt quoad fieri possit hic actus non valde differatur, sed sæpe habeatur. Ratio huius conclusionis est, quia cum Deus sit summè, & infinitè diligibilis, homo propter ipsum creatus, ipsique innumeris, & propè infinitis titulis etiam amicitiæ, astrictus, ipsa ratio naturalis diuina fide illustrata dictat, saltem præfatis temporibus, quæ sunt principium, finis, & medium humanæ vitæ teneri diligere Deum; præsertim cum talis dilectio sit medium necessarium ad salutem, & moraliter necessaria ad stabiliendum hominem in via Dei, & obseruantia præceptorum ipsius. Eo etiam quod tempus illud post vsum rationis, est quo homo incipit viuere vita rationali; tempus articuli, vel periculi mortis, quia est proximum vitæ æternæ, ad quam est creatus; & tempus intermedium, quia in illo oportet vt tractet de directione suarum actionum in Deum, & conseruanda ipsius amicitia.

De aliis téporib.

Porro tempora alia à quibusdam designata pro obligatione huius præcepti, communiter reiiciuntur. Primum quidem, quod à Capreolo, & Conrado assignatur, scilicet, quando obligant alia præcepta: quia nullum est, nec probabile fundamentum ad id asserendum, cum illa possint adimpleri sine actu Charitatis. Deinde quod Scotus, Gabriel, Almainus, & alii dicunt de obligatione huius præcepti diebus festis: nulla enim ratio est, quæ hoc tempus præscribat, cum festa obseruari possint sine illo, &

Ecclesia

Ecclesia, quæ illa instituit, nihil de ipso dicat, præsertim cum sit actus internus, qui non cadit sub Ecclesiæ iurisdictione. Item quod Nauarrus, & nonnulli Thomistæ docent de primo instanti vsus rationis: nam si sermo sit de instanti physico, aut metaphysico est res tam dura, vt nec deuotissimi Sancti Thomæ, cuius creditur hæc sententia, assensum præbeant, vt dixi tom 2. Tract. 5. disputatione septima quæstione secunda: si vero intelligatur de instanti morali, scilicet post vsum rationis, quando quis animaduertit motiua, & rationes, propter quæ Deus est amandus super omnia &c. coincidit cum nostra sententia. Præterea quod aiunt Sotus, & Valentia de obligatione huius præcepti, quando adultus recipit Baptismum, aut singulare aliquod beneficium alicui confertur: quia hoc merito reiiciunt Suarez, Turrianus, Tannerus, & Amicus; cum ad Baptismum suscipiendum sufficiens credatur communiter actus attritionis, & pro beneficio suscepto sufficiat gratiarum actio. Pariter quod astruunt Sotus, Nauarrus, & Valentia de necessitate huius præcepti quando honor Dei aduersus blasphemantes defendi debet: quoniam ad hoc sufficit actus Religionis, per quem diuinus honor vindicetur, vt rectè notant plures ex authoribus relatis.

Casus obligationis. Nihilominus tamen sunt aliqui casus, in quibus per accidens obligat hoc præceptum dilectionis Dei. Primus est, quando quis tenetur elicere actum contritionis, quia administraturus est, vel recepturus aliquod Sacramentum, & habet conscientiam peccati mortalis: prout tenent Caietanus, Nauarrus, Valentia, Suarez, Caspensis, & alij: actus enim contritionis vel includit, vel supponit actum Charitatis, iuxta diuersas sententias, de quo alibi. Secundus, tempore grauissimæ tentationis, aut aggressionis alicuius operis heroici, si homo iudicet tunc esse necessarium ad ista habere actum dilectionis Dei. Sic fermè Sotus, Suarez, Sanchez, Coninck, & Caspensis. Pro alijs casibus, qui referri solent, videndi Azor, Sanchez, & Palaus cum relatis.

Corollar. Ex dictis autem sequitur proportionaliter, & respectiuè loquendum esse de dilectione Dei naturali, de qua diximus supra disputatione prima quæstione secunda: ita videlicet, quod quêadmodum dilectio supernaturalis Charitatis obligat aliquando per se, & aliquando per accidens; sic etiam & præceptum dilectionis naturalis Dei, aliquando obliget per se, aliquãdo per accidens, siue in infideli habente tñ notitiã de Deo, siue in fideli eam habente de Deo etiam vt fine supernaturali. Pro quo videndi Sanchez, Valentia, ac maximè Turrianus, & Amicus, qui rectè cum Sanct. Thom. Scoto, Durando, & aliis admittunt hæc duo præcepta: & dicunt quod per actum dilectionis supernaturalis sufficienter adimpleatur præceptũ dilectionis naturalis; eo quod dilectio naturalis contineatur eminenter in supernaturali.

De dilectione proximi. Loquendo autem de præcepto dilectionis proximi, duo sunt quę difficultatem ingerunt. Primum est ad quid obliget hoc præceptum, secundum quãdo obliget. Et quod attinet ad primum, quamuis Scotus, Suarez, Coninck, Lorca, Palaus, & alij, quibus fauere videtur Sanctus Bernardus serm. 50. in Cantic. probabiliter teneant, non obligare ad aliquem actum internum Charitatis, sed solum ad externum beneficentiæ, quãdo proximi necessitas vrget; nihilominus verior est opposita sentẽtia astruens etiam obligare ad actum internum dilectionis. Prout tenent Bañez, Valentia, Turrianus, Siluius, Tannerus, Caspensis. Primo, quia id videntur indicare loca Sacræ Scripturæ superius adducta, in quibus vt discurrenti constare poterit, assimilatur præceptum dilectionis proximi præcepto dilectionis Dei: quemadmodum ergo præceptum dilectionis Dei obligat etiam ad actum internum, sic & præceptum dilectionis proximi obligabit etiam ad actum internum. Secundo, quia hoc videtur spectare ad dignitatem, & excellentiam virtutis Charitatis, quia est Regina virtutum, vt videlicet obliget non solum quoad actus externos beneficentiæ, sed etiam ad internos beneuolentiæ. Tertio, quia cum sit amicitia non solum erga Deum, sed etiam erga proximum, amicitia autem includat amorem internum, etiam obligabit ad illum.

Quoad tempus. Quoad secundom vero de tempore determinato, quo obligat hoc præceptum quoad actum internum nihil certi dici potest, cum neque ex Sacra Scriptura, aut PP. aliquid de hoc habeatur. Affirmari tamen potest, obligare per accidens quoties opus externum ex Charitate exercendum, est tam difficile, & supernaturale, aut tentatio in contrarium tam vehemens, vt non nisi ex actu, & motiuo supernaturali Charitatis moraliter loquendo effici possit. Sic fermè

ta autem debent esse ijs qui ea adimplent, saltem moraliter possibilia, & ita certa, vt saltem non relinquant eos anxios, & dubios de adimpletione: ergo præceptum dilectionis Dei ad maiorem dilectionem intensiuè non obligat. Tertio, ex pluribus absurdis, quæ ex opposito sequuntur. Primum, quod si quæ mater pro salute spirituali sui filii intensum valde actum Charitatis habuit, si postea per totam suam vitam se exerceat in actibus Charitatis minus intensis illo, nunquam adimpleat præceptum Charitatis. Secundum, quod qui Deum amat vt duodecim, filium vero vt vnum adimpleat præceptum Charitatis, & non adimpleat illud qui amat Deum vt decem, filium vero vt vndecim. Alia apud recentiores.

Solutio eō trariorum

Vnde ad primum in contrarium iam patet ex dictis, verba illa solum importare maioritatem appretiatiuam, non intensiuam, Testimonia etiam PP. quæ illa exaggerant, eodem modo intelligi debent, vel saltem quod secundum decentiam, & maiorem perfectionem, non vero necessitate præcepti, congruentius esset, vt Deus diligeretur super omnia magis etiam intensiuè. Ad secundum dico, Charitatem secundum se, & ex se multo magis inclinare ad dilectionem Dei, quam ad dilectionē proximi, tam loquendo de maioritate appretiatiua, quam de intensiua, diuersimodè tamen, quia ad maioritatem appretiatiuam inclinant tāquam ad quid necessarium pro actu Charitatis; ad intensiuam vero solum tanquam ad maiorem perfectionem illius. Quia tamen hæc inclinatio habitus Charitatis nec cogit, nec necessitat voluntatem, sed illam relinquit in sua libertate, quia *habitibus vtimur vt volumus*, ideo sicut est in potestate illius, adhuc posita tali inclinatione habitus Charitatis, nihil facere, imo oppositum facere, peccare videlicet; sic etiam potest sequi inclinationem Charitatis amando Deum super omnia appretiatiuè, & non intensiuè; iuxta qualitatem auxilii supernaturalis, quo mouetur à Deo ad talem actum, quod est diuersum in hominibus, & datur *iuxta consilium voluntatis suæ*. Ad tertium dico, quod non semper dilectio proximi, quę fit ex Charitate, oritur ex dilectione Dei amati, seu dilecti vt *quod*, sed ex dilectionę ipsius bonitatis vt *quo*, & vt est ratio amandi proximum, ad modum quo assensus fidei causatur ex diuina reuelatione, quo casu non procedit argumentum factum, quia in illo non esset dilectio Dei vt intentio, & dilectio proximi vt electio. In casu autem quod dilectio proximi ex Charitate oriretur ex dilectione Dei dilecti vt *quod* adhuc non currit argumentum, quia ille excessus intensionis, qui esset in dilectione proximi non oriretur ex dilectione Dei, sed vel ex ipso habitu Charitatis, vel ex auxilio Dei concurrētis ad talem actum: & ita dilectio proximi potest esse maior intensiuè, quam dilectio Dei: nec illa maxima in argumento adducta aliquid probat in contrarium; quia ea intelligitur de causa adæquata, non de inadæquata, & partiali. Ad confirmationem neganda est maior cum Tannero, & Serra contra Bañez: potest enim habitus conclusionum esse intensior habitu principiorum, ex eo quod intellectus maiori conatu præbuerit assensum conclusionibus, quam principiis. Sic ergo in proposito iudicandum.

Appretiatio quid sit

Quartum fundamentum oppositæ sententiæ vt explicemus in quo consistat appretiatio, quæ reperitur in actibus Charitatis. Et dicendum, non consistere in aliquo modo in ipsis reperto distincto à substantia ipsorum. Ratio est, quia in actibus voluntatis solum possumus considerare modos istos; scilicet *intensionis* ratione cuius habeant plures partes, vel gradus, ad modum quo qualitates, v. g. calor illos habet; vel *extensionis*, ratione cuius extendantur ad plura obiecta materialia; vel *durationis*, propter quem magis durent, aut perseuerent: appretiatio vero non est intensio, cum in quolibet actu quantumuis remisso Charitatis, eo ipso quod est actus Charitatis reperiatur, siquidem per ipsum diligi debet Deus tanquam summum, & infinitum bonum, cui est debita talis appretiatio: non etiam est *extensio*, quia ea non datur in habitibus infusis, & supernaturalibus, vt ostendimus cum San&. Thom. & aliis Theologis tom. 2. Tract. 4. disputatione prima quęstione septima; multo minus est *duratio*, quia per eam solum fit quod actus plus temporis perseueret in esse; appretiatio autem in actu per instans durante reperitur. Vnde dicendum, appretiationem in actu Charitatis esse ipsammet substantiam, & naturam talis actus, quæ, cum tendat in Deum vt summum, & infinitum bonum in se, sic petit tendere in ipsum, vt eius amorem præponat omnibus aliis rebus, & amoribus; ita vt homo paratus sit, si necessarium esset, omnia alia, & ipsorum amores, relin-

quere

quere propter Deum, & amorem ipsius. Vnde rectè pij aliqui dicunt Deum amari debere vt rem pretiosissimam, omni pretio æstimabilem, & cariorem. Propter quod fortasse aliqui scribunt Charitatem sine h, ideſt, caritatem. Vide dicta eo tomo secundo Tractatu septimo disputatione prima quæstione quinta, & inter recentiores Suarez, & Amicum.

Corollar

Ex eis autem infertur solutio quarti argumenti, nego enim minorem, scilicet nō posse intelligi, quod dilectio Dei sit maior *appretiatiuè*, quin sit etiam *intensiuè*, ostensum enim est, *appretiatiuè* denotare naturam, & substantiam actus Charitatis, *intensiuè* vero solum denotare modum intensionis. Constat etiam euidenter esse diuersa, & vnum separari ab alio, nam sunt plures etiam pij, & timorati, qui intensiori amore diligunt aliquam rem creatam, v. g filium, quam Deum; appretiatiuè vero magis diligunt Deum, quia sunt parati mori propter ipsum, & relinquere filios, & alia potius quam ipsum offendere.

Quid dicē dum de amore naturali

Id autem, quod diximus de amore supernaturali Charitatis, quod scilicet debeat esse maior quocunque alio amore, *obiectiuè*, & *appretiatiuè*, non vero *intensiuè*, etiam est dicendum de amore Dei naturali, & vt finis naturalis, de quo locuti sumus disputatione præcedenti quæstione vltima, cum etiam ille debeat esse *super omnia*, & propter Deum vt summum, & infinitum bonum in se. Præsertim, quia, iuxta veriorem sententiam, quam ex Diu. Thom Bachonio, & Siluestrano nostris adduximus loco proximè relato ex secundo tomo, in homine est maior inclinatio naturalis ad diligendum Deum isto amore, quam ad diligendum seipsum; sicut pars inclinatur magis ad bonum totius, & commune, quam ad suum bonum particulare. Prout etiam tenent Ricardus, Scotus, Durandus, Caietanus, Bañez, Valentia, Suarez, Siluius, Malderus, Caspensis, & Amicus contra Bonauenturā, Gabrielem, & alios. Maximè, cum nulla inclinatio naturalis hominis sit ad id, quod est simpliciter malū; cum Deus sit causa omnis naturalis inclinationis hominis; diligere autem seipsum plusquam Deum, est inordinatum, & per consequens malum. Nec obstat, quod homo sentiat maiorem facilitatem in amore sui, quam in amore Dei: hęc enim maior facilitas prouenit ex corruptione naturæ, non ex eo, quod habeat ex se maiorem inclinationem ad dilectionem sui quam Dei. Nec etiam obstat quod homo sit sibi magis coniunctus quam cum Deo: etsi enim quoad identitatem magis sit homo coniunctus sibi quam cum Deo; quoad dependentiam tamen magis est coniunctus Deo quam sibi, quia dependet essentialiter à Deo in esse, fieri, & conseruari, non autem à se. Et cum ex alia parte Deus sit bonum, & totum quoddam vniuersalissimum, ac fons totius bonitatis, & perfectissimus, non autem homo, ideo magis inclinatur ad amorem naturalem Dei, quam sui ipsius.

Quæstio secunda.

Vtrum secundum ordinem Charitatis homo magis debeat diligere se in spiritualibus, quam proximos.

PRocedit hęc quæstio de bonis spiritualibus, scilicet gratia, gloria &c. Similiter procedit tam de ijs quæ nobis & proximis possumus, & debemus diligere ex præcepto, quam ex consilio. Similiter de triplici modo maioritatis assignato quæstione præcedenti, scilicet obiectiuè, intensiuè, & appretiatiuè. Denique procedere potest quæstio tam de illis, qui tenentur succurrere aliorum necessitati ex officio, quales sunt Parentes, Prælati, Superiores; quam de ijs, qui solum ex communi lege Charitatis, quales sunt personæ priuatæ, & particulares. De quibus dicendum.

Quæstiou. status

Conclusio prima

Dico ergo primo, non tenemur secundum ordinem Charitatis diligere nosmetipsos, siue in temporalibus, siue etiam in spiritualibus, dilectione maioti intensiuè, quam proximos. Ratio sumitur ex dictis quæstione præcedenti; si enim ex ordine Charitatis non tenemur diligere Deum magis intensiuè, quam alios, nec etiam tenebimur ex eodem ordine diligere magis intensiuè nos, quam proximos. Confirmatur, quia generaliter loquendo intensio actus non cadit sub præcepto, quantumuis ergo homo temisse diligat se, proximum vero suum intense non faciet contra Charitatis ordinem.

Secunda

Dico secundo, in rebus spiritualibus, quæ non cadunt sub præcepto, sed so-

lum sub consilio nec etiam tenemur ordine Charitatis diligere nos magis obiectiuè, quam proximos, sed possumus velle maius bonum spirituale proximi, quam nobis. Sic ex Valentia, Lorca, Palao, & Serra. Ratio est, quia eo ipso, quod non est obligatio desiderandi, aut procurandi ista bona sibi, vel aliis, liber manet homo vt ea sibi, vel aliis desideret, & ita si aliis & non sibi desideret ea, non peccabit. Vnde qui alii desiderat statum Religiosum sibi vero matrimonialem, nullo modo peccat contra Charitatem. Nec obstat si dicas, Charitatem magis inclinare hominem ad amorem sui, quam aliorum. Respondeo; in rebus quæ cadunt sub præcepto inclinare cogendo, & obligando; in rebus tamen, quæ cadunt sub consilio, solum alliciendo, & inuitando, non tamen cogendo, & obligando.

Tertia

Vnde dico tertio, in rebus spiritualibus, quę cadunt sub præcepto, homo tenetur plus etiam appretiatiuè diligere se, quam proximos. Ita communiter Doctores, specialiter Scholastici cum Magistro in tertio distinctione 29. & Theologi cum Sanct. Thom. quęst. 26. articulo quarto, ac etiam ex PP. Diuus Ambrosius, & Augustinus, relati ab aliquibus. Vnde apud omnes receptum est illud *Charitas bene ordinata incipit à se ipsa*, quod maximè intelligi debet in his rebus spiritualibus, quæ cadunt sub præcepto. Colligitur etiam, quia Charitas cum sit amicitia hominis ad Deũ, ex sua natura, & primario inclinat ad ea, quę magis placent Deo, vtpotè amico: sed magis placet Deo quod obseruentur eius præcepta, quam quodcunque aliud; ergo & quod in huiusmodi rebus spiritualibus quæ cadunt sub præcepto, homo magis diligat se, quam proximos. Confirmatur, quia, vt diximus supra, Charitas in huiusmodi rebus spiritualibus, quæ cadunt sub præcepto, inclinat cogendo, & obligando; ergo non est in potestate habentis illam, relinquere hanc obligationem ob amorem proximi.

Quarta

Vnde etiam dico quarto, ordine Charitatis tenemur abstinere à quocũque peccato quantumuis veniali, etiam si ex illo sequeretur magna aliqua vtilitas spiritualis in proximo, vel etiam in toto mundo. Ita etiam colligitur ex Diuo Augustino in Psalm. 5. & Diuo Thoma supra. Maximè ex Sacra Scriptura Matth. 16. *Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur*. Et, *Quam commutationem dabit homo pro anima sua*. Ac ad Roman. 3. vbi Apostolus reprehendit eos qui dicebant: *Faciamus mala vt veniant bona: quorum damnatio, inquit, iusta est*. Deinde, quia ad hoc maximè inclinat Charitas, iuxta illud Ioann. 14. *Qui diligit me, mandata mea seruabit*. Ratio etiam veluti à priori est iam adducta, quia scilicet cum Charitas sit amicitia hominis ad Deum primario inclinat ad non peccandum, seu, quod idem est, obseruandum præcepta Dei; nam si peccatum est mortale, omnino tollit hanc amicitiam, &, si veniale, saltem est iniuria, & offensa Dei, quod est etiam est aliquo modo contra talem amicitiam. Videndus Philippus à Sanctissima Trinitate tom. 3. disp. 11. dub. 8.

Ex quo dico quinto, nec etiam ordine Charitatis seruato, potest homo velle priuari gratia, aut gloria, etiam si casus esset, quod id fieri posset sine peccato, propter quamcunque vtilitatem, etiam spiritualem proximorum. Sic ex Diu. Thom. supra, Caietanus, Bañez, Valentia, Aragonio, Tannero, & Serra, quibus fauent Lorca, Turrianus, Malderus, & Coninck, ac generaliter Scholastici antiqui, qui in hoc conspirant, vt salus propria hominis, quæ consistit in gratia huius vitæ, & gloria in futura præferri debeat omnibus bonis aliorũ. Primo quidem, quia cum beatitudo sit vltimus finis ad quem homo conditus à Deo est, & ordinatus; gratia etiam sit medium necessarium ad consecutionem illius, omnino est contra ordinem naturalem, & diuinum, vt homo ea prætermittat propter aliorum vtilitatem. Secundo, quia cum Charitas sit amicitia cum Deo inclinat per se, & primario ad conseruationem gratię, quę est essentialiter amicitia cum Deo; & gloriæ, quæ etiam est consummata, & perfecta amicitia cum ipso. Tertio, quia cum Charitas sit amor habitualis, vel virtualis cum Deo, inclinat etiam ex natura sua ad vnionem cum ipso; amoris enim proprius effectus est vnio amantis cum re amata, prout tota Schola docet: sed hæc vnio est in hac vita per gratiam, & in alia per gloriam: ergo contra ordinem, & inclinationem naturalem Charitatis est velle priuari gratia, aut gloria.

Quinta

Obiecta

Duo tamen obstare videntur contra hanc conclusionem. Primum est, quia esto quod argumenta adducta probent, non posse hominem pro quacunque vtilitate proximorum desiderare carentiã gloriæ

gloriæ in perpetuum ; non tamen probare, quod non possit illam desiderare ad tempus aliquod, quemadmodum feciſſe videtur D. Martinus dum dicebat: *Domine, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem*. Imo, & Apoſtolus ad Philippenſ. 1. dum aiebat: *Coarctor à duobus deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto, multo magis melius: permanere autem in carne neceſſarium propter vos*. Secundum, quia Sanctiſsimi viri Moyſes, & Paulus videntur habuiſſe huiuſmodi deſiderium carendi beatitudine, etiam in perpetuum, propter aliorum ſalutem. Moyſes quidem dum dicebat, *aut dimitte populo tuo noxam hanc, aut dele me de libro vitæ*. Paulus vero ad Roman. 9. dicens: *Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis*.

Soluſio

Reſpondeo tamen ad primum, quod quamuis aliqui velint cum Tannero, nõ poſſe hominem velle carentiam, aut dilationem ſuę beatitudinis, neque etiam ad aliquod tempus; nihilominus cum Turriano, Granado, Caſpenſi, & alijs, oppoſitum eſſe dicendum: tale namque deſiderium eſt bonum, & honeſtum, & conforme Charitati, quę 1. Corinth. 13. *Non quærit quæ ſua ſunt*, & alias poteſt eſſe ſine peccato, ac cedere in magnam Dei gloriam, & vtilitatem proximorum. Solum ergo eſt noſtra concluſio intelligenda de carentia perpetua beatitudinis. An vero id etiam dici poſsit de carentia gratię, & Charitatis, ſaltem ad tempus, imo & de carentia perpetua beatitudinis conſulendus Granadus. Ad ſecundum, omiſsis multis, quæ circa illorum locorum expoſitionem habent Patres, & Expoſitores, ac recentiores, placet mihi expoſitio Diui Auguſtini, & aliorum dicentium illa intelligenda eſſe hyperbolicè, & per quandam exaggerationem, & filialem confidentiam, non ex animo volendi excludi à beatitudine. Vel dicendum cum alijs, non intelligi de excluſione à beatitudine, ſed ab aliquo dono temporali, vita ſcilicet, Principatu, Apoſtolatu, vel ſimili. Addo, locum Apoſtoli intelligi à Diuo Thoma quæſtione 27. articulo octauo ad primum, de excluſione à beatitudine non perpetua, ſed ad tempus, ad hoc *quod honor Dei procuraretur in proximis*. Vide alia infra quæſtione ſeptima.

Quæſtio tertia.

Vtrum, bonum ſpirituale proximi præferendum ſit bono corporali, aut temporali noſtro.

Neceſſitas triplex

QVia hæc quęſtio præcipuè procedit pro tempore quo proximus eſt in neceſsitate ſpirituali, ideo ſupponendum, hanc neceſsitatem triplicem eſſe. Aliam *extremam*, quando ſcilicet niſi adiuuetur eſt periculum, moraliter ſaltem certum, quod ſit perituras, & ęternam damnationem incurſurus. Secundam, *grauem*, quando nempe, etſi non ſit in tanto periculo, eſt tamen difficile illi eam damnationem euadere. Tertiam eſſe *leuem*, ſeu *communem*, quando videlicet, eſt in aliquo periculo, quod tamen facilè ſuperari poteſt. Secundo, ſupponendum, eos, qui poſſunt adiuuare proximum in neceſsitatibus poſitum, eſſe in duplici differentia. Alii enim ſunt, qui tantum ad id obligantur ex lege communi Charitatis, vt ſunt priuatę perſonę; alii vero, qui ex lege ſpeciali iuſtitiæ, vt ſunt Epiſcopi, Prælati, Superiores, Parentes.

His poſitis, dico primo, abſolutè loquendo, ex ordine Charitatis magis appretiatiuè tenemur diligere proximum quoad bona ſpiritualia ſpectantia ad ſalutem animę, quam noſmetipſos quoad corporalia, ſeu temporalia. Hæc concluſio veluti pro generali regula traditur ab Scholaſticis in tertio diſtinct. 23. & Theologis cum Sanct. Thom. hic quæſtione 26. articulo quinto. Colligitur ex Sacra Scriptura Eccleſiaſtic. 17. *Mandauit vnicuique de proximo ſuo*, quod ſaltem in caſu neceſsitatis ſpiritualis proximorum intelligi debet. Et ad Epheſ. 4. *Eſtote inuicem benigni, miſericordes* &c. cuius rationem aſsignauerat Apoſtolus eodem cap. dicens: *Quoniam ſumus inuicem membra*. Ioann. 14. *Hoc eſt præceptum meum vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos*: cum enim Chriſtus nos dilexerit propriam etiam vitam pro ſalute noſtra ſpirituali exponendo, ſic & nos facere debemus. Quę conſequentia clarius denotatur 1. Io. 3. in hoc *cognouimus Charitatem Dei, quia ille*

animam suam posuit pro nobis, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Colligitur secundo ex PP. specialiter Diu. Augustin. lib. 1. de doctrina Christiana cap. 27. & liber de mendacio cap. 6. Tertio, ratione, quia bona spiritualia proximi, conducentia ad salutem animæ, sunt magis amabilia, pretiosiora, & excellentiora, quam bona corporalia, aut temporalia propria; cum sint res altioris ordinis, & in quibus Deus magis glorificatur; ergo præponi debent illa istis. Vide Bachonium in tertio distinctione 31. quæstione vnica articulo secundo.

Secunda. Vnde dico secundo, quilibet etiam priuatus tenetur subuenire proximo extremè indigenti necessitate spirituali, etiam cum detrimento propriæ vitæ. Sic cum Diuo Thoma eo artic. quinto, Caietanus, Bañez, Aragon, Valentia, Suarez, Tannerus, Azor. & alij passim. Et ratio est, quia præceptum exponendi vitam pro salute spirituali proximi, quod denotatur in locis Sacræ Scripturæ superius adductis, & à Diuo Augustino relato debet obligare in aliquo casu, sicut generaliter omnia præcepta affirmatiua aliquando obligant: sed non est alius casus vrgentior, quam iste, in quo agitur de summo periculo æternæ damnationis, quod est maximum detrimentum animæ: ergo in eo obligat. Exempla porro horum casuum extremæ necessitatis spiritualis afferunt Bañez, Valentia, Suarez, ConincK, Lorca, Palaus, & alij. Magis tamen communes sunt quando aliquis siue infans, siue adultus est in periculo mortis, & indigentia baptismi, aut pœnitentiæ: aut simplices aliqui ab hæretico concionatore sunt aliquo falso dogmate imbuti, maximè in ijs quæ sunt contra ea, quæ sunt necessario necessitate medij credenda. In his enim, & similibus casibus subueniendum sic indigentibus etiam cum propriæ vitæ detrimento.

Tertia. Dico tertio, in casu grauis necessitatis spiritualis proximi, illi quibus ex officio incumbit prouidere animarum saluti, tenentur et succurrere, etiam cum vitæ periculo, non vero alii priuati, nisi solum cum leui detrimento. Sic etiam ex Diuo Thoma eo articulo quinto, Valentia, Suarez, ConincK, Tannerus, Bonacina, Malderus, Amicus, Palaus, & alii. Probatur prima pars, nam ij, quibus incumbit ex officio cura salutis aliorum, multo strictius obligantur ad subueniendum illis, quam ij, quibus id non incumbit; cum illi, quasi ex pacto, & conuentione ratione obedientiæ, reuerentiæ, & subiectionis, sint astricti ad id faciendum: sed isti sunt obligati in casu extremæ necessitatis, vt vidimus: ergo illi etiam erunt obligati extra illū, in casu videlicet grauis necessitatis. Confirmatur, quia necesse est, quod aliqui sint obligati ad subueniendum necessitati graui spirituali proximi, etiam cum summo dispendio; alias tales necessitates essent irreparabiles: saltem ergo Prælati, & Superiores erunt ad id astricti. Vnde inferunt rectè recentiores, Pastores animarum, videlicet Episcopos, & Parochos; & idem dico de Prælatis Religionum, teneri inquirere, & inuestigare an subditi sint in huiusmodi necessitate, vt illis succurrant. Et non posse fugere, aut relinquere sua officia, tempore quo esset aliqua grauis necessitas subditorum, qualiter tempore hæresis, pestis, aut belli solet contingere; nisi forte sint aliqui qui sciant, possint, & velint, eorum loco substitui ad similes necessitates. Secunda pars probatur primo, quia oppositum videtur valde durum & occasio cadendi in plura peccata. Secundo, quia eo ipso quod sunt alii, quibus incumbit animarum cura, cessat obligatio aliorum. Tertio, quia alias æqualis esset obligatio non habentium curam animarum, & illam habentium. Tertia vero pars probatur ex dictis in prima conclusione, præsertim, quia grauis necessitas spiritualis proximi est bonum superioris ordinis, & ita præponi debet leui iacturæ boni temporalis.

Quarta. Dico vltimo, quando proximus non est in extrema, aut graui necessitate spirituali, sed solum in communi, leui, aut ordinaria nemo tenetur illi opem ferre cum summo, aut etiam graui detrimento suo, bene tamen cum leui, aut exiguo. Sic ex Valentia, Suarez, Lorca, Tannero, & aliis. Ratio est, quia communes istæ, & ordinariæ necessitates facile vitari possunt ab ijs, qui eas patiuntur: ac proinde non est cur alii ad id obligentur, cum summo, aut graui suo detrimento, sed solum cum leui, vt sit proportio inter necessitatem, & damnum quod aliquis patitur pro ipsius subuentione.

Quia tamen huius quæstionis decisio maximè pendet à variis circumstantijs tam personæ, quæ patitur has necessitates spirituales, præsertim si sit persona communis, aut forsan Communitas aliqua; quam illius, qui in eis subuenire debet; temporis etiam, quo id faciendum,

dum, & quomodo faciendum; ideo pro casibus occurrentibus legendi authores relati.

Quæstio quarta.

Vtrum in bonis temporalibus debeamus nos ipsos proximo præferri.

Certa in hac quæst.

PLura sunt certa in hac quæstione, de quibus Theologi cum S. Thom. Primum, quando cætera sunt paria, posse nos licite in temporalibus proximo præferri. Tum quia eo casu procedit generalis illa regula: *Charitas incipit à seipso*; & illa: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, vbi pro norma dilectionis proximi ponitur dilectio propria. Tum à simili de bonis spiritualibus, in quibus dilectio sui ipsius præfertur dilectioni aliorum. Secundum, quod cum agitur de bono temporali communi illud etiã debere præferri bono temporali priuato. Quia bonum commune est bonum totius, bonum autem particulare est bonum partis; at vero pars exponenda est pro bono totius. Hinc idem dicendum de bono Principis, seu alterius, qui sit caput Reipublicę, vel à quo commune bonum dependet. Ipsius namque conseruatio anteponi debet cuilibet priuato bono, propter eandem rationem. Certum etiam quarto, è contra non licere, quod persona valde vtilis Reipublicæ, vel propriæ familiæ vxoris, filiorum &c. præferat sibi alium, qui vtilis vllo modo non sit; imo peccabit sic faciendo contra Charitatem debitam suis. Quinto, licitum esse aliqua bona temporalia amittere propter proximum titulo amicitiæ. Tũ ex illo Prouerb. 12. *Qui negligit damnum propter amicum, iustus est*. Tum quia bonum virtutis præponibile est cuilibet alij bono temporali, bonum autem amicitiæ, est bonum virtutis. Difficultas ergo huius quæstionis est, an sit licitum in aliquo casu pro conseruanda vita alterius propriam exponere manifesto periculo.

1. sentent.

Prima sententia est negatiua, quam tenent ex antiquioribus Durandus, Ricardus, Gabriel, Paludanus, & ex neothericis Petrus Nauarra, & Caspensis. Probatur primo ex Diuo Augustino in libro de mendacio cap. 6. dicente quod exponere vitam corporalem pro vita corporali alterius, *non est iam diligere sicut seipsum, sed plusquam seipsum, quod sanè doctrinæ regulam excedit*. Secundo, quia Charitas, cæteris paribus, magis obligat ad conseruandum vitam propriam, quam alterius, vt ait Sanct. Thom. quæstione 26. articulo quarto, cum vita propria sit maius bonum vnicuique quam vita alterius: ergo contra Charitatem est exponere illam certo periculo pro alio. Confirmatur quia si proximus, & pater meus essent in extrema necessitate, non possum patrem deserere pro tuenda vita proximi; sed ego sum mihi propinquior quam pater: ergo nec meam possum deserere pro tuenda vita proximi. Tertio, quia alias etiam liceret exponere vitam periculo ob conseruandum honorem, vel diuitias proximi, aut aliquid huiusmodi.

Contraria sententia

Contraria tamen sententia affirmat licitum esse exponere vitam certo, aut manifesto periculo, propter alterius vitam conseruandam, quando videlicet id fit non ex mero beneplacito vitam exponentis, sed ex motiuo alicuius virtutis, amicitiæ videlicet, gratitudinis, fidelitatis &c. Est communis ferè inter Summistas, & Theologos. Illam enim tenuit Sanctus Thomas in tertio distinctione 29. quæstione prima articulo 5. ad 3. & lib. 1. de regimine Princip. Consentiunt Bañez, Victoria, Sotus, Corduba, Lorca, Granadus, Palaus, & Philippus à Sanctissima Trinitate tom. 4. disputatione vndecima dubio nono, Aragonius, Valentia, Suarez, Tannerus, & alii. Et est de mente Aristotelis, Lactantii, Ciceronis, Plutarchi; imo & PP. qui collaudant eos qui id fecerunt. Maximè colligitur ex Ioann. 15. illis verbis Christi; *Maiorem hac dilectionem nemo habet vt animam suam ponat quis pro amicis suis*, & ex Paulo ad Rom. 5. *Vix pro iusto quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori*? vbi hanc sententiam supponere videtur. Fundamentum porro ipsius, ex quo etiam contrariæ sententiæ argumenta corruunt, est, quia licet verum sit, quod spectata secundum se vita propria, & comparata cum vita alterius, maius bonum sit propria quam extranei, ac per consequens, iuxta Charitatis ordinem præponi ipsi debeat; si tamen vita extranei consideretur quatenus ipsa, vel eius conseruatio ordinatur in honestatem alicuius virtutis,

virtutis, amicitiæ videlicet, si est vita intimi amici; gratitudinis, si est benefactoris; fidelitatis, si est heri, vel domini &c. idem dico, si id fiat ex motiuo fortitudinis, vel magnanimitatis, tunc est maius bonum, ac ita præponenda, etiam secundum Charitatis ordinem vitæ propriæ.

Solutio eō rationum

Vnde ad primum in contrarium ex Diuo Augustino dico, ipsum intelligendum pro casu, quo quis exponeret vitā pro alio non propter finem honestum, seu non propter honestatem alicuius virtutis, vt nos loquimur. Etenim in hoc casu non diligit proximum plusquam se, sed potius diligit se plusquam proximū, vt rectè ait Sanctus Thomas quæst. 26. articulo quarto ad 2. & loco relato ex 3. sentent. Quia proximo tantum vult bonum vitę, sibi autem vult bonum virtutis, quod est maius, & anteponendū omnibus bonis naturalibus, & etiam vitæ. Quo etiam modo respondendum ad authoritates Sanct. Thom. quæst. 32. artic. 6 & quæst. 64. artic. 7. quæ contra nostram doctrinam militare videntur. Ad secundum etiam dico, tantum probare, quod non possimus exponere vitam propriam pro conseruanda vita alterius secundum se sumpta, non tamen prout ordinata in honestatem alicuius virtutis, vt dictum est: hoc enim modo est maius bonum, & eligibilius vnicuique quam vita propria. Ad confirmationem concessa maiori, & minori, nego consequentiam, quia quamuis homo sit magis coniunctus sibi ipsi, quam parenti, nihilominus, quia iuri conseruationis vitę patris non potest cedere, bene tamen iuri conseruationis vitæ propriæ, quando id fit propter motiuum alicuius virtutis, ideo potest sub hoc motiuo exponere vitam pro proximo, non tamen relinquere patrem propter ipsum proximum: præsertim cum virtus pietatis, gratitudinis, & amicitiæ magis stent pro parte patris, quam pro alio. Ad tertium concedo sequelam, dummodo bona illa amici sint magni momenti, & id fiat ex motiuo virtutis, seu honestatis, vt dictum manet. Sic Serra.

Quæstio quinta.

Vtrum proximi sint æqualiter ex Charitate diligendi.

Rat. dubit

RAtionem dubitandi faciunt Durandus, & alii antiquiores apud Magistr. in tertio distinctione 29. eo quod tantum bonum est ex Charitate desiderandum proximo, quantum ipse est capax: sed omnes proximi sunt æqualiter capaces beatitudinis æternę, & aliorum bonorum supernaturalium; ergo omnes sunt æqualiter diligendi. Confirmatur ex Diuo Augustino 1. de doctrina Christiana cap. 28 dicente: *Omnes homines æque diligendi*: quod etiam in aliis PP. reperitur.

Veritas certa

Nihilominus veritas certa est, non esse omnes proximos ex Charitate æqualiter diligendos. Ita Sanct. Thomas quæst. 26. articulo sexto, vbi oppositam sententiam vocat irrationabilem. Idem tenent Scholastici in 3. distinctione 29. & alii. Colligitur autem ex Sacra Scriptura, nam Leuit. 20. dicitur: *Qui maledixerit patri, vel matri morte moriatur.* Et 1. ad Timoth. 5. *Si quis autē suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Et ad Galatas 3. *Dum tempus habemus, operemur bene ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.* Nec dicatur ex his locis tantum colligi inæqualitatem quoad affectum. Contra hoc enim est, quod talis effectus est ex natura sua signum affectus, & nascitur ex affectu. Probatur etiam, quia inter proximos vnus est alio diligibilior, vnus alio melior, sanctior, & magis nobis coniunctus; cum ergo ex alia parte Charitas sit ordinata, prout PP. colligunt ex illo Canticor. 2. *Ordinauit in me Charitatem*, rectè sequitur proximos non esse æqualiter diligēdos. Ratio etiam à priori est, quia cum bonitas diuina, quę est obiectum formale Charitatis, magis relucear in vno proximo, quam in alio, & magis ab vno, quam ab alio participetur, manifestè infertur, vnum magis debere diligi ex Charitate, quam alium.

Vnde ad rationem dubitandi respondeo, falsam esse maiorem, vt facet: si enim

enim cuilibet proximo desiderare debemus tãtum bonum quantum est capax; cum quilibet homo sit capax infinitę gratię, saltem si esset possibilis, & ad minus tantæ gratię, & glorię quantam habuit Christus, tantam illi deberemus desiderare; quod est falsum. Si dicatur, saltem tenemur vnicuique desiderare ea in gratiam, & gloriam, ad quam à Deo destinatus est. Respondeo, ita esse: sed cum hæc gratia, & gloria sit inęqualis in hominibus, potius ex eo sequitur nos debere ex Charitate inęqualiter diligere proximos. Ad confirmationem ex D. Augustino bene respondet Sanct. Thom. supra ad primum, omnes homines *æquè* diligendos esse quantum ad *bonum in genere, scilicet beatitudinem æternam*: vel quantum ad hoc, quod nullum excludamus à dilectione.

Quæstio sexta.

Qui proximi sint magis ex Charitate diligendi, quam alij.

Certum. CErtum est, & conueniunt omnes, quoad praxim amoris proximorũ hanc esse vniuersalissimam regulam seruandam, vt scilicet illi magis à nobis diligi debeant, in quibus plures, & graniores tituli, seu rationes diligibilitatis reperiuntur. Hoc enim spectat ad rectam prudentiam, quæ omnes circunstantias considerat, & ad perfectionem virtutis Charitatis, quæ cum sit specialis participatio Dei, debet esse ordinatissima. Secundo etiam certum, quod huiusmodi tituli, aut rationes diligibilitatis, præsertim sumuntur ex duplici capite, scilicet ex maiori coniunctione cum Deo, per sanctitatem; vel cum nobismetipsis, nempe per consanguinitatem; & aliquo modo affinitatem, societatem, amicitiam &c. Hanc enim regulam tradunt etiam Theologi cum S. Tho. quæst. 26 articulo sexto, & septimo. Et merito sanè, quia cum iuxta dicta in præcedentibus, dilectio Dei, & nostra sint veluti norma, & regula dilectionis proximorum, oportet, quod ex maiori, vel minori coniunctione ad Deũ, vel ad nosmetipsos sumatur mensura dilectionis ipsorum. Tertio etiam est certum, quod ex parte ipsorum proximorum attendendum etiam sit ad maiorem etiam, vel minorem vtilitatem eorum in ordine ad alios; insuper ad maiorem, vel minorem necessitatem, quam patiuntur, & cui subuenire ex Charitate debeamus.

His positis, ad magis particularia descendendo, cũ ob varietatem circunstantiarum difficillimum, & valde prolixum sit quæstionem pro omnibus casibus occurrentibus decidere, per principia generalia eam decidendo, dico primo, cæteris paribus magis diligendæ sunt personæ publicæ, vel communes, quarum conseruatio redundat in bonum communitatis, quam personæ priuatæ. Ratio sumitur ex dictis quæstione quarta, quia videlicet bonum totius præferri debet bono priuato. 1. concl.

Secunda. Dico secundo, cæteris etiam paribus proximi existentes in extrema necessitate magis diligendi sunt (etiam effectiuè illis succurrendo) quam existentes in graui, aut communi; & existentes in graui necessitate magis quam si solum sint in communi. Hæc etiam conclusio colligitur ex dictis quæst 3. cum enim extrema necessitas sit, in qua homo est in euidenti periculo damni imminentis, & grauis; ita vt difficile sit illud vitare; leuis autem, in qua facile illud vitari possit, rectè sequitur ordinem Charitatis postulare, vt magis diligamus existentem in extremã, quã in graui, & communi; & existentem in graui, quam in leui necessitate.

Tertia. Difficilius est, comparando inter se duplicem illam coniunctionem, alteram cum Deo ratione Sanctitatis, alteram cum homine ratione consanguinitatis &c. quæ videlicet sit præferenda. Videtur enim coniunctionem cum Deo præferri debere, ita vt magis diligere debeamus sanctiores, quam nobis coniunctiores secundum carnem. Primo, quia illud est magis diligibile ex Charitate, quod est magis bonum, sed sanctiores sunt magis boni: ergo. Secundo, quia Charitas primo respicit Deum, quam nosmetipsos: ergo etiam prius respicit coniunctiores cum Deo, quales sunt sanctiores, quam coniunctiores nobiscum, quales sunt consanguinei. Tertio, quia sanctiores diliguntur à Deo præ alijs: ergo etiam à nobis sunt præ alijs diligendi. Propter hæc aliqui quos referunt Diu. Bonauentura, & Lorca tenent, quod licet dilectione naturali magis debeant à nobis diligi consangui-

guinei, quam sanctiores, nihilominus dilectione supernaturali Charitatis ex opposito magis debeant diligi sanctiores.

Tertia. Nihilominus dico tertio, absolutè loquendo magis debent diligi à nobis etiam ex Charitate consanguinei nostri, quam alij proximi sanctiores. Ita cum Diu. Thom. articulo septimo tenent ferè omnes, specialiter Durandus, Bañez, Valentia, Suarez, Malderus, Turrianus, Lorca, ConinckK, Granadus, Serra, & Palaus, ac ex nostris Ioannes Beeta infra referendus. Colligitur primo ex Sacra Scriptura, locis adductis quæstione præcedenti, vbi nobis commendatur dilectio consanguineorum, & domesticorum nulla facta distinctione an sint, vel non sint Sancti, aut peccatores; cum tamen è contra non habeatur ex ipsa. quod plus diligere debeamus Sanctos, quam consanguineos, Secundo, quia certum est dilectione naturali magis esse diligendos consanguineos, quam bonos, & Sanctos; ergo etiam supernaturali ex Charitate: probatur consequentia, quia Charitas non destruit, sed potius perficit naturam. Tertio, quia certum etiam plus nos debere diligi à nobismetipsis ex Charitate, quam proximos nostros etiam nobis sanctiores; eo quod generaliter loquendo, dilectio sui est mensura, & regula dilectionis aliorum, & ita debet ipsi præponi; sed consanguinei nostri ob vnitatem sanguinis sunt veluti vnum nobiscum, & eiusdem ordinis in politicis, & humanis: ergo, præferendi melioribus alijs. Quarto, quia credi par est, Charitatem, saltem prout est, in via, magis inclinare ad coniunctos coniunctione certa, manifesta, inuariabili, & naturali, qualis est consanguinitas, quam ad coniunctos solum coniunctione per Sanctitatem, quæ in via est incerta, occulta, variabilis, & omnino gratuita: ac per consequens, quod magis diligi debeant, ex Charitate coniuncti priori quam ista posteriori coniunctione.

Ad obiecta. Ad obiecta dũt in contrariũ vno fermè verbo responderi potest per ea solũ probari Charitatem secundũ se, & veluti in abstracto consideratam hunc ordinem postulare, & ad id inclinare, quod magis diligantur coniunctiores Deo per Sanctitatem, & ita continget in patria, prout dicemus quæstione sequenti; at vero ex parte subiecti, scilicet hominis in hac vita, quasi per accidens oppositum petere, & ad id inclinare propter vinculum tam strictæ coniunctionis certæ, manifestæ, inuariabilis, & naturalis, quæ est in homine erga consanguineos, vt dictum est.

Quarta. Consequenter etiam ad dicta dico quarto, coniuncti coniunctione naturali, scilicet parentes, filij, & fratres, &c. cæteris paribus præferri debent coniunctis quacunque alia coniunctione, etiam spirituali, quales sunt Prælati, subditi, Religiosi &c. Sic ex Bañez, Lorca, Suarez, ConinckK, Palao, & alijs. Et ratio est, quia coniunctio naturalis est simpliciter, & absolutè prior, maior, magis intrinseca, & immobilior omni alia coniunctione, & magis secundum ordinem, & inclinationem naturæ: ergo etiam secundum ordinem Charitatis, quæ, vt diximus, non destruit naturam, sed potius perficit illam.

Quinta. Dico quinto, inter coniunctos eadem coniunctione, siue naturali, siue spirituali, siue amicabili, siue politica, aut quacunque alia, semper debent præferri ij, qui sunt magis coniuncti, alijs, qui minus coniuncti erunt. Hanc conclusionem supponunt Sanctus Thomas quæstione 26. relata, & alij Theologi cum ipso: nec indiget probatione, cum ex se sit clara, & euidens, ex illo principio, *sicut se habet simpliciter ad simpliciter ita magis ad magis* &c. Qui porro sint illi, qui in eodem ordine sunt magis coniuncti, tractant ijdem Theologi cum Sancto Thoma ea quæstione 26. & ita consulendi pro casibus occurrentibus, ac ex nostris Ioannes Beetz de præceptis Decalogi præcepto quarto, expositione prima, capitulo quarto. Animaduertendo tamen, non semper hunc ordinem obligare sub mortali, sed aliquando sub veniali, imo aliquando ob aliquam circumstantiam omnino cessare. Alia ad intentum infra, dum de eleemosyna erit sermo, disputatione.

Quæstio septima.

Vtrum ordo istæ Charitatis maneat etiam in Patria.

1. concluſ. CONformiter ad doctrinam Sancti Thomæ dicta quæstione 26. artic. 13. & eius Expositorum dicendum primo, ordinem Charitatis manere in Beatis in patria quantum ad dilectionem Dei super omnia, iuxta dicta supra quæstione prima. Ratio est, quia Beati in patria perfectè vident Deum, & esse summè diligibilem super omnia diligibilia: perfectè ergo diligunt ipsum isto modo. Notandum autem hoc non solum esse intelligendum de dilectione Dei appretiatiuè super omnia, sed etiam obiectiuè, iuxta dicta etiam ea quæstione prima; imo etiam intensiuè. Eo quod cum intensio actus proueniat ex maiori conatu potentiæ, meliori applicatione obiecti, & pauciora impedimenta potentiam retardantia, in patria autem voluntas feratur in Deum toto suo conatu, vtpotè naturaliter, & necessario, & Deus sit optimo modo applicatus, scilicet per visionem non solum quidditatiuam, sed etiam intuitiuam. & clarissimam, nullaque sint talia impedimenta, manifestè sequitur talem amorem esse perfectissimum intensiuè. Confirmatur, quia ex eo voluntas in via non diligit Deum isto modo, quia videlicet in eum fertur actu libero, qui non est secundum totum conatum potentiæ, media applicatione per fidem, quę est imperfecta, & impeditur ab amore creaturarum: cum ergo hæc desint in patria feretur in Deū super omnia etiam intensiuè.

Secunda Dico secundo, manet etiam in Beatis ordo Charitatis quantum ad hoc, quod est plus appretiatiuè diligere se, quam alios quantumuis meliores, & sanctiores: etsi plus obiectiuè diligant sanctiores. Ratio primæ partis est, quia, vt dictum est in præcedentibus, hic modus dilectionis est secundum ordinem Charitatis, quia dilectio sui est norma, seu mensura dilectionis proximorum: ergo manet etiam in patria. Secundo, probat Sanctus Thomas eo articulo 13. quia Charitas primario ordinat hominem illam habentem in Deum, secundario vero alios. Secunda vero pars probatur ex eodem Sanct. Thom, quia *quilibet Beatus volet vnumquemque habere quod sibi debetur secundum diuinam iustitiam propter perfectam conformitatem voluntatis humanæ ad diuinam*. Confirmatur, quia ex eo in via potest homo desiderare sibi maiorem gratiam, & gloriam, quia est in statu proficiendi per merita: sed patria est status firmus, & inuariabilis, vbi non est vlterius progredi, ergo Beatus non desiderabit sibi plura, aut maiora bona, quam alijs, sed potius gaudebit de excessu aliorum.

Notandum tamen, quod cum dicimus, Beatos appretiatiuè diligere se magis, quam proximos, excipi debere Christū, etiam secundum humanitatem, quia licet secundum hanc rationem sit proximus noster, quia tamen hæc humanitas est coniuncta Verbo, & ita infinitę excellentiæ, & dignitatis ratione huius vnionis; & quia iure redemptionis est quasi vniuersale bonum, cui debet homo quidquid est, cum sit vniuersale principium gratiæ, gloriç, & totius esse supernaturalis, ideo diligendus est appretiatiuè tam à Beatis, qaam à viatoribus supra seipsos. Sic fermè Bañez, Valentia, Suarez, Granados, & Amicus post Bonauenturam, Albertum, & alios antiquiores. Idem piè, & satis probabiliter dicunt de B. Virgine Granados, & Amicus post alios; eo quod ipsa propter intimam coniunctionem cum Christo est etiam suo modo mediatum principium vniuersale totius ordinis gratiæ, & gloriæ producendo nobis Christum Dominum, qui fuit immediatum principium huius ordinis. Notabile

3. concl. Dico tertio, ordo Charitatis circa proximos non erit in patria sicut est in via, atque ideo Beati magis diligent meliores, & sanctiores, quam sibi coniunctiores. Ita etiam S. Tho. eo artic. 13. & alij post ipsum. Quod probat, quia totus ordo dilectionis Beatorum in patria erit in ordine ad Deum: ergo magis diligent coniunctiores Deo, quam ipsis Beatis; præsertim cum in patria cesset necessitas adiuuandi coniunctos, quæ erat in via. Non tamen propterea cessabunt in patria honestæ exhibitiones amoris erga coniunctos, prout notat idem S. Thom. & explicant Granadus, & Amicus, Valentia contrarium indicante.

Digitized by Google

DISPVTATIO VI.

De actibus internis Charitatis.

Quæstio prima.

De actibus Charitatis.

Status quæstionis

CVm Charitas,iuxta dicta in præcedentibus, sit virtus voluntatis, quæ est potentia operatiua, ideo necessario est propter aliquos actus ab ipsa procedentes. Cum autem huiusmodi actus, vt patet in alijs virtutibus, fide præsertim alii sint interni, in ipsa potentia, a qua eliciuntur recepti, alii vero externi, qui videlicet in externam materiam transeunt, propterea in Charitate etiam hoc duplex genus actuum à Theologis cum Sanct. Thom. assignantur. De internis ergo in præsenti disputatione agendum, de externis vero,videlicet beneficientia, eleemosyna, & correctione fraterna, in sequentibus.

Actus interni Charitatis

Actus autem interni Charitatis alij sunt circa Deum, alij circa proximum, imo circa ipsum habentem Charitatem; eo quod Charitas ad illos omnes se extendit, vt constat ex dictis in superioribus. Rursus, actus interni alij sunt per modum prosecutionis, alij per modum fugæ. Quos omnes ad Charitatem pertinere constat ex doctrina communi S. Thom. & aliorum, quam etiam adduximus supra Tract.2.disputatione tertia quæstione secunda, videlicet,virtutem, quæ inclinat ad amandum aliquod bonum, inclinare etiam ad fugiendum illi contrarium.

Qui sint ij actus

Igitur, quemadmodum in serie humanorum actuum,iuxta dicta tom.precedenti, distinguuntur tres actus circa finem per modum prosecutionis, scilicet simplex *volitio*, quæ appellari solet *voluntas*, & est voluntas inefficax finis secundum se considerati; *intentio*, seu *desiderium*, quæ est voluntas efficax eiusdem finis, vt consequendi; & *delectatio*, seu *fruitio* circa eundem finem vt possessum: & tres alij per modum fugæ, scilicet *odium*, seu *detestatio* de malo, quod est contrarium tali bono; *fuga*, seu *timor* illius, quando apprehenditur vt futurum; & *tristitia*, seu *dolor*, quando vt præsens. Sic etiam totidem actus Charitati tribuuntur, scilicet per modum prosecutionis simplex *volitio* de bono Dei, nostro,vel proximi secundum se considerato; *intentio*, seu *desiderium* de illo vt futuro; *delectatio*, seu *fruitio* de eo vt præsenti: & per modum fugæ, *odium* peccati, quod est contrarium tali bono, secundum se apprehenso;*timor*, seu *fuga* ipsius vt futuri; & *tristitia*, seu *dolor* vt præsentis.

1. concl.

Dico ergo primus ille actus, qui vocatur simplex *volitio*, est quædam inefficax complacentia de bono Dei, nostro, vel proximi, quam Diu. Thom quæst.27. articulo secundo appellat beneuolentiã, & dicit ex Aristotele in 9.Ethic. esse principium amicitiæ, & similem illi quem habemus cum pugilibus, quando pugnant, vellemus enim, quod alter eorum vinceret; & generaliter ait, quod sit *simplex actus voluntatis,quo volumus alicui bonum*. Secundus actus est,quem in principio huius quæstionis appellat Sanct. Thom *dilectionem*, quam etiam dicit esse principalem actum Charitatis, de quo dicemus quæstione sequenti. Tertius est, quem ipse vocat *gaudium*, de quo etiam dicemus quæst. quinta. Applicantur etiam hæc respectiuè ad amorem proximi, de quo etiam agemus infra quæstione 3.& diximus disputatione præcedenti quæst.2. & ad amorem sui ipsius,de quo etiam diximus ea quæst.3. nam etiam possumus ex Charitate complacere de bonis proximi, & nostris, desiderare etiam illa, & gaudere de ipsis iam habitis, aut possessis.

De actibus fugæ

Quod vero attinet ad actus Charitatis, qui sunt per modum fugę, quomodo *odium* peccati, *tristitia*, & *dolor* de ipso, sint actus Charitatis, commodius dicetur in Tract. de Pœnitentia, præsertim, quia pertinent ad contritionem, quæ est actus à Charitate elicitus, iuxta quamplurium sententiam, de qua in prædicto Tractatu. Præterea quod timor, filialis inquam, sit actus à Charitate elicitus, & in quo consistat,diximus sup.Tract.2. de Spe disput. 3. quæst. 2.

Quęstio secunda.

De natura actus dilectionis Dei.

Dilectio Dei quid sit

SVppono ex dictis quæst. prędcedenti, quod etiam sæpius inculcauimus in hoc Tractatu dilectionem Dei esse actũ internum, & prędcipuum Charitatis. Est enim idem quod *amor*, qui etiam est internus, & prędcipuus actus ipsius. Differt à beneuolentia, non solum in efficacitate, quia beneuolentia est actus inefficax, vt dictum quæstione prędcedenti, dilectio vero efficax; sed quia dilectio, seu amor importat vnionem affectus amantis cum re amata eam æstimantis, vt vnum sibi, vel ad se pertinens; beneuolentia autem solum dicit *velle alicui bonum*. Ita Diu. Thom. quæst. 27. art. 2. Salmanticenses nostri in Arbor. virtut. num. 21. Ex quo etiam sequitur id quod docet S. Tho. art. 1. eius quæst. 27. scilicet Charitatis esse magis proprium amare, quam amari: quia videlicet amor, seu amare est proprius actus Charitatis, ad quem secundum suam essentiam inclinatur; amari vero non competit ipsi secundum suam essentiam, sed quia alius inclinatur in ipsam. Quod etiam colligitur ex Aristotele 8. Ethic. cap. 8. & ex eo, quia amici magis laudantur, quia amant, quam quod amentur; & matres quę maximè amant plus quærũt amare, quam amari. Cum autem Charitas sit habitus voluntatis, iuxta ea, quę sępius diximus, etiam dilectio erit actus voluntatis, ac per consequens vitalis, & voluntarius. Similiter, quia, iuxta dicta disput. prima quæst. prim., Charitas est amicitia, ideo dilectio, seu amor est actus amicitiæ; & supernaturalis etiam quoad substantiam, cum ex parte obiecti formalis, ex quo naturalitas, vel supernaturalitas desumitur, supernaturalis sit.

Conclus.

His suppositis dicendum, quod natura actus dilectionis Dei, de quo in præsenti, in eo consistit, vt per eum diligatur Deus propter se ipsum, id est, non vt est bonum nostrum, sed vt est bonum in se sũmum, & infinitum propter se amabile. Ita ex Diu. Thom. ea quæst. 27. artic. 3. vbi illam dictionem *propter se* explicat per tria genera causarum; ita videlicet, vt Deus ametur propter se, tamquam propter causam formalem, quia eius bonitas est causa formalis dilectionis; propter causam finalem, quia Deus non ordinetur ad alium finem; & propter causam efficientem, quia eius bonitas inest ei à se. Deum autem amari debere propter se per dilectionem, quę est actus Charitatis, etiam probatur, quia talis dilectio est amor amicitię, cuius proprium est, ad differentiam amoris concupiscentię, quod ametur res propter seipsam, iuxta dicta disput. prima quæst. 1.

Secunda.

Dico secundo cum Diu. Thom. articulo quarto, Deum per actum Charitatis quę est dilectio, amari immediatè, etiam in hac vita. Ratio sumitur ex differentia, quæ versatur inter intellectum & voluntatem, quod intellectus fertur in rem prout est in cognoscente, voluntas vero fertur in ipsam prout est in seipsa: quamuis ergo in hac vita non cognoscamus Deum, nisi mediatè, per effectus videlicet, vel species alienas, nihilominus cum ipse per se sit amabilis, & diligibilis, potest voluntas in illum immediate ferri, per dilectionem.

Tertia.

Dico tertio cum eodem Sancto Thoma articulo quinto, per dilectionem amatur à nobis Deus totaliter; primo, totalitate ex parte ipsius Dei, quia omnia quę in ipso sunt, à nobis diliguntur secundo, ex parte nostra, illum amamus ex toto corde, ex tota mente, viribus, appretiatiuè &c. in quantum possumus; non tamen cum amamus totaliter totalitate ex modo diligendi, quo ipse est dignus, & petit amari; quia est infinitè diligibilis, & solum hoc modo à seipso amabilis.

Quarta.

Dico quarto cum eodem S. Thoma articulo sexto, dilectio Dei non habet modum aliquem, seu mensuram, secundum quam conueniat Deum diligere, & non secundum maiorem. Sumitur ex Diu. Bernardo in lib. de diligendo Deo, quem affert Sanctus Thomas in argum° *sed contra*, dicente: *Modus diligendi Deũ est sine modo diligere*. Secundo, quia est summè, & infinitè diligibilis: ergo non potest amore nostro adæquari, ac per consequens non habet dilectio talem modum, aut mensuram.

Difficult.

Est tamen difficultas contra primam conclusionem, nam possumus etiam diligere Deum ex Charitate propter beneficia nobis ab ipso collata, & propter præmia sperata, & ad fugiendas pœnas ab eo comminatas, vt docet idem Sanct. Thom. artic. 3. in corpore: ergo,

non ſolum diligitur Deus ex Charitate propter ſeipſum. Reſpondeo tamen poſſe quidem diligi à nobis propter hæc motiua, etiam ex Charitate, non quidem vt motiuum vltimatum, ſed quatenus illa ſunt ſubordinata ad bonitatem Dei, vt eſt in ſe, tanquam vltimatum motiuum.

Obiectio. Eſt autem obiectio contra hoc, quia ſi poſſumus ex Charitate diligere Deum propter dicta motiua; ergo etiam poterimus ipſum diligere ex motiuo mercedis alicuius temporalis, vtputa propter vitam, ſanitatem, aut ſimilia; hoc autem videtur falſum, quia talis amor eſt mercenarius. & propterea à pluribus Patribus damnatus: & etiam inordinatus quia per illum amaretur bonum illud temporale pluſquam Deus; ſiquidem amor Dei ordinaretur vt medium ad illud bonum conſequendum, tanquam ad finem. Et confirmatur, quia dilectio ex Charitate eſt amor amicitiæ, ergo debet eſſe amor Dei propter ipſum, & non propter commodum noſtrum. Reſpondetur tamen conſequenter ad dicta, dupliciter poſſe aliquem operari bene, ſeu etiam diligere Deum, propter mercedem aliquam, ſiue æternam, ſeu etiam temporalem; primo, taliter, quod talem mercedem non referat in Deum; ſed ſiſtat in illa tanquam in vltimo fine: ſecundo, quod illam in Deum referat. Si primo modo diligat Deum, aut operetur bene, male facit, & talis amor, aut operatio non eſt ex Charitate, ſed eſt actus illicitus, & vitioſus, quem PP. vocant mercenarium, quia eſt propter mercedem præcisè ſumptam non ordinatam in Deum: eſt etiam inordinatum, quia Deum ordinat in creaturam. Si ſecundo modo diligat Deum, aut operetur bene talis actus nec eſt mercenarius, inordinatus, aut vitioſus, ſed licitus, & honeſtus, vtpote commendatus in Sacra Scriptura, maximè in veteri teſtamento vbi operantibus bene promittuntur ſæpius à Deo bona temporalia: vnde pſal. 118. dicitur: *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas propter retributionem*. Imo id videtur definitum in Concil. Tridentin. ſeſſ. ſexta capitulo vndecimo & can. 31. dum dicitur: ſi quis dixerit: *iuſtificatum peccare dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema ſit*. Et eſt conforme vſui Eccleſiæ, quæ ad obtinendum à Deo aliqua bona temporalia, verbi gratia pluuiam, ſanitatem &c. indicit bona opera, ſcilicet ieiunij, orationis &c. Imo etiam rationi Theologicæ, quia talis actus eſt bonus ex obiecto, fine, & alijs circunſtantijs, vt ſuppono, ergo eſt bonus. Vide dicta à ſimili de timore ſeruili contra Lutheri ſectatores Tractat. 2. diſputatione tertia, quæſtione prima. Quare in forma ad obiectionem concedo ſequelam, & ad probationem dico, talem actum nec eſſe mercenarium damnatum à Patribus, nec inordinatum, nec per illum diligi creaturam pluſquam Deum, nec amorem Dei ordinari in creaturam: ſiquidem tam bonum deſideratum, quam amor ipſius ordinatur vltimate in ipſum Deum, veluti in vltimum finem omniũ. Ex quo etiam patet ad confirmationem cum enim talis actus, merces per illum deſiderata, [& homo illam deſiderans ordinentur in Deum vt vltimum finem, verè poteſt eſſe amor amicitiæ, & non concupiſcentiæ, qui ſolum reſpicit bonum amantis.

Quæſtio tertia.

De natura actus dilectionis proximi.

NOn loquimur in præſenti de dilectione naturali proximi, de qua egimus in ſuperioribus, præſertim diſputatione prima quæſtione quarta, ſed de ſupernaturali ex Charitate. Vnde etiã non loquimur de dilectione proximi etiam ſupernaturali; qua diligitur propter bonitatem intrinſecam ſupernaturalem, de qua egimus diſputatione quarta quæſtione ſecunda, quia ea non elicitur à virtute Charitatis, ſed ab alia morali infuſa, vt eo loco diximus. Dilectio proximi.

Loquendo ergo de dilectione proximi ex Charitate, conſequenter ad dicta quæſtione præcedenti de dilectione Dei, etiam ex Charitate, dicendum, eam eſſe actum internum Charitatis, ſupernaturalem ſicut ipſam, ratione obiecti formalis; & diſtinctum à beneuolentia, propter ea, quæ ibi diximus. Ex Charitate.

Maximè dicendum dupliciter poſſe proximum diligi à nobis ex motiuo formali Charitatis, ſcilicet bonitate Dei, vt eſt in ſe; primo; innittendo proximè, & immediatè tali motiuo vt *quo*, & rationi formali amandi proximum; quod contingit quando diligitur propter ſuam bonitatem vt participatam à bonitate Dei, vel conducentem ad gloriam, ſeu bene- Dupliciter contingit.

Art. 1. Von Gerichten.

Art. 2. Von Gerichtsbarkeit.

Art. 3. Von Gerichtsbarkeit.

Art. 4. Von Gerichtsbarkeit.

Art. 5. Von Gerichtsbarkeit.

Art. 6. Von Gerichtsbarkeit.

Art. 7. Von Gerichtsbarkeit.

Art. 8. Von Gerichtsbarkeit.

Art. 9. Von Gerichtsbarkeit.

Art. 10. Von Gerichtsbarkeit.

Art. 11. Von Gerichtsbarkeit.

Art.

Num. 8. A. 2.

Ad Corinthios. 2.

Ad Timotheum.

Ad Titum.

Charitatis; ſed dilectio amici eſt magis ſecundū talem ordinē, quam dilectio inimici; quia ordo Charitatis reſpicit cōiunctiores, amicus autem eſt magis cōiunctus diligenti, quia eſt alter ipſe: ergo ſicut propter hanc rationem eſt melior dilectio patris, aut filii, quam extranei, iuſti, quam peccatoris, propinqui quam alieni, ſic quoque amici, quam inimici.

Solutio cō trariorum

Nec quæ in contrarium adducta ſunt ſuum intentum probant. Etenim illud Matth. 5. intelligitur de ijs, qui diligunt amicos propter amicitiam vtilem, aut delectabilem, non vero honeſtam, prout Guido noſter ſupra adductus exponit. Vel dic, intelligendum eſſe de illis, qui ita diligunt amicos, vt ſimul odio habeant inimicos, illi enim peccant, ac per conſequens, nullam mercedem merentur. Sic ex Diuo Thom. eo articl. 7. ad 1. & aliis. Patres, de quibus in ſecundo argumento dum amorem inimicorū præferūt amori amicorum, intelligendi ſunt de amore inimicorum ex Charitate, & de amore naturali amicorum, hic enim ſine dubio eſt minus perfectus, quā ille. Vel dici poteſt, eſto quod loquātur de amore Charitatis, tā amicorū, quā inimicorum, rectè extollunt amorem inimicorum, tum quia rarus, tum quia difficilis, & vt homines in ipſo exerceantur ad ſatisfaciendum Deo pro ſuis peccatis, & impetrandum ab ipſo veniam illorum. Ad tertium dico, tantum probare dilectionem inimicorum eſſe ſecundum quid meliorem dilectione amicorum, ob maiorem difficultatem, quæ eſt in illa ex parte ſubiecti: quo tamen non obſtante ſtat bene, quod ex parte obiecti ſit ſimpliciter melior dilectio amicorum, vt probatum manet. Vnde rectè Sanctus Thomas articulo octauo ad tertium ait: *Plus facit ad rationem meriti, & virtutis, bonum, quam difficile. Vnde non oportet, quod omne difficilius ſit magis meritorium, ſed quod ſit eſt difficilius, vt etiam ſit melius.* Ad quartum dico, in primis, non eſſe neceſſarium, quod dilectio inimicorum procedat ex dilectione Dei, vt *quod* dilecti, ſed poteſt procedere ex ipſius bonitate ſolum vt *quo* dilecta, iuxta dicta ſupra quæſtione tertia: caſu autem, quod procedat ex dilectione Dei, vt *quod* dilecti, quod talis dilectio ſit fortior, ſolum inde colligitur actum dilectionis inimici ex illa procedentem eſſe perfectiorem ſecundum quid, ſcilicet ex parte principii, dilectione amici, quæ non procedat ex tam forti dilectione Dei; non tamen ſimpliciter, cum alias dilectio amici habeat perfectius obiectum, & perfectio, quæ ſumitur ex parte obiecti ſit veluti ſubſtantialis, & eſſentialis actus.

Quæſtio quinta.

De gaudio, & pace.

De his agit Sanctus Thom. tanquam de actibus internis Charitatis in quæſtione 28. & 29. & ex noſtris Ioannes Beetz de præceptis Decalogi præcepto 1. expoſit. 3. c. 2. & ita de ipſis loquendo.

De gaudio & pace

Dico primo, gaudium eſt actus Charitatis quo lętamur de bono diuino præſenti per ſe amabili, ſiue prout eſt in Deo, ſiue prout in nobis, aut proximis noſtris relucet. Ita ex Sancto Thoma quæſt. 28. articulo primo, & quarto, cōmuniter Theologi, contra Scotum, Gabrielem, Ochamum, & alios dicentes fruitionem, ſeu delectationem, quę coincidit cum gaudio, non eſſe actum voluntatis, conſequenter enim dicere debent neceſſe actum Charitatis, quæ eſt virtus in voluntate reſidens. Colligitur autem ex ad Galatas quinto, vbi Apoſtolus inter fructus Spiritus Sancti poſt Charitatem ponit *gaudium*; ac ex eo, quod cum innittatur motiuo Charitatis, ſcilicet bonitati diuinæ, debet neceſſario eſſe actus illius; ſicut etiam deſiderium talis boni futuri cum ſit ex tali motiuo etiam eſt actus Charitatis.

1. concluſ.

De hoc autem actu inquirit Sanctus Thomas in articulo ſecundo an recipiat admixtionem triſtitiæ, & reſpōdet, quod gaudium de bono Dei ſecundum ſe conſiderato nullam admittit triſtitiam, & ideo Apoſtolum ad Philippenſes quarto dixiſſe: *Gaudete in Domino ſemper*: de gaudio autem boni diuini, ſecundum quod participatur à nobis poſſe eſſe triſtitiam. Ratio autem aſſignari poteſt, quia triſtitia eſt de aliquo malo, bonum autem Dei in ſe nullum includit malum, participatum vero à nobis illud includere poteſt. Addit etiam idem Sanctus Doctor articulo tertio, quaſi conſequenter ad dicta, quod gaudium in hac vita non eſt perfectum, aut completum, bene tamen in patria. Eo quod dum ſumus in hac vita ſemper, nobis reſtat aliquid deſiderandum; non autem in patria de

Quid ſit gaudium.

qua

cum Deo, iuxta illud 1. ad Corinth. 6. *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est*, ideo Sapientia quamuis sit essentialiter in intellectu, nihilominus causam habet in voluntate, id est, in Charitate. Vide Salmanticenses nostros in Arbor. virtut. num. 23. & inter alios Tannerum, & Granadum, qui hanc connaturalitatem, & vnionem vocat *dulcedinem, & saporem rerum cælestium*.

DISPVTATIO VII.

De actibus externis Charitatis.

Quæstio prima.

Quid sit beneficientia.

Conclus. REspondeo primo cum Sancto Thoma quæstione 31. articulo primo, quem alij Theologi sequuntur, beneficientiam esse actum quo bene facimus proximo. Probatur ex nominis ethimologia, quod id significat.

Secunda. Dico secundo, beneficientia est actus externus Charitatis. Ita idem Sanctus Doctor eo articulo primo, & quarto, & alij passim. Probatur primo, quia beneficentia nascitur ex beneuolentia, est enim beneficientia veluti executio beneuolentiæ, sed beneuolentia est Charitas, ergo beneuolentia nascitur ex Charitate: sed non vt actus internus, quia beneficientia transit in proximum; ergo vt actus externus. Secundo, quia beneficientia est actus amicitiæ, prout expressé habet Aristoteles 9. Ethic. 4. capit. 4. vbi inter alios actus amicitiæ ponit *operari bonum ad amicos*, sed Charitas est amicitia, ergo beneficientia est actus Charitatis, externus inquam, vt dixi. Tertio, quia eiusdem virtutis est amare, & benefacere, eo quod amor de se est efficax, præsertim, si necessitas amati id exigat: sed proprium Charitatis est amare, ergo & benefacere.

Difficult. Est tamen difficultas contra hoc, quia hoc quod est benefacere proximo potest oriri ex aliis virtutibus, iustitia videlicet, gratitudine, misericordia &c. ergo non est specialis actus Charitatis. Respondeo negando consequentiam. Etsi enim pluribus aliis virtutibus competere possit hoc, quod est benefacere proximo, prout docet etiam Sanct. Thom. eo articulo primo, & alij Doctores, nam iustitiæ id conuenit sub ratione boni debiti, seu adæquatiui iuris; gratitudini sub ratione boni compensatiui beneficiorum; liberalitati sub ratione boni decentis, & conuenientis personæ largientis; misericordiæ sub ratione boni subleuantis miseriam proximi: quia tamen Charitati id competit pluribus titulis, scilicet quia est beneuolentia, amicitia, & amor, ac præsertim, quia ipsa respicit bonum sub communi ratione boni, quatenus est bonum perficiens amicum, vel proximum, ideo specialiter tribuitur ipsi actus beneficientiæ. Quod sic est intelligendum, quod si id fiat ex motiuo Charitatis supernaturalis, scilicet bonitatis Dei, vt est in se, aut ex complacentia ipsius, sit actus Charitatis supernaturalis; sin autem fiat ex motiuo Charitatis, seu amicitiæ naturalis, aut ex cõplacentia naturali proximi pertineat ad amicitiam, seu Charitatem naturalem.

Dico tertio, actus beneficientiæ exerceri debet quoad omnes, pro loco tamen, & tempore, & alijs circunstantijs, maximè vero quoad magis coniunctos. Ita Diuus Thomas articulo secundo, & tertio eius quæstione 31. & communiter Expositores. Colligitur clare ex illo ad Galatas 6. *Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei*. Et ex dictis disputat. S. ferè per totum. 3. conclus.

Quarta. Dico quarto, beneficientia propriè loquendo non est in ordine ad Deum. Ita idem Sanct. Thom. artic. primo ad 1. cum aliis, etsi Suarez contrarius videatur. Ratio est, quia beneficientia respicit beneficia, quidquid autem in ordine ad Deum facimus non est beneficium, sed obsequium ipsi debitum infinitis titulis, & est magis ipsius, quam nostrum.

Digitized by Google

Quæstio secunda,

Quid sit misericordia.

Misericordia. NOtandum, quod misericordia, quę iuxta nominis ethimologiam est idem quod *miserum*, seu potius *miserans cor*, sumitur dupliciter, primo, pro passione quadam appetitus sensitiui, quæ appellatur *misericordia*, per quam naturaliter compatimur, & condolemus de miseria alterius; secundo, pro habitu, seu virtute moderante, & dirigente huiusmodi passionem, de qua distinctione Theologi in 4. distinctione 46. & Diu. Thom. cum suis Expositoribus hic quæstione 30.

concluſ. Dico ergo primo, misericordia in secúda hac acceptione est virtus quædam moralis, cuius motiuum formale est miseria alterius vt subleuanda. Ita fermè ex Sanct. Thoma quæstione 30. articulo primo, & tertio, qui id desumit ex Cicerone, Diuo Augustino, & Damasceno. Quos etiam sequuntur alii Theologi, specialiter ex nostris Salmanticenses in Arbor. virtut. num. 22. Et probatur, quia hoc, quod est velle subuenire, & subuenire miseriæ alterius, & id actu facere est actus bonus, & honestus; ergo pertinet ad aliquam virtutem, sed non ad Theologicas, quia illæ respiciunt Deũ vt obiectum materiale immediatum, hæc autem virtus habet pro obiecto materiali illud malum, seu miseriam, quam aliquis patitur: ergo spectat ad aliquam virtutem moralem.

Secunda. Vnde dico secundo, hęc virtus moralis, vocata misericordia, est virtus specialis, & distincta à Charitate, & omnibus aliis virtutibus. Ita ex S. Th. artic. 3. ad 4. & articulo quarto ad 2. eius Expositores, recentiores Theologi, Bañez, Lorca, & Coninck exceptis qui eam cũ Charitate confundere videntur. Sed cõtra illos probatur generaliter, quia motiuum illud formale miseriæ alterius subueniendi, ab aliarum virtutum, Charitatis etiam, motiuis, distinctum valde est, & proprium, ac speciale huius virtutis: ea ergo specialis est virtus à cæteris aliis distincta: consequentia videtur clara ex principiis generalibus Theologiæ, quod virtutes ex formalibus motiuis, seu obiectis distinguuntur. Antecedens autem etiam constat ex dict. quæst. præcedenti in difficultate proposita post secundam conclusionem.

Difficult. Contra hanc conclusionem facit difficultatem, quod sæpius tam in Sacra Scriptura Luc. 10, Ioann. 15 & 1. Ioan 3. & Iacob 2. quam in Patribus, etiam D. Thom. & aliis Doctoribus, misericordia confunditur cum Charitate, & operamisericordię, v. g. eleemosyna, & correctio fraterna, dicuntur esse actus Charitatis, quod significare videtur misericordiam non esse diuersam virtutem à Charitate. Respondeo tamen, id esse tum quia opera misericordię sępius in hominibus iustis imperantur à Charitate, imo ipsa misericordia secundum se est valde similis, & affinis Charitati erga proximum, cum vtraque virtus versetur circa illum ipsi beneuolendo, & benefaciendo, etsi ex diuersis motiuis formalibus vt dictum est.

3. conclu. Dico tertio, virtus misericordię est minus perfecta virtutibus Theologicis. Ita colligo ex Sancto Thoma quæstione 23. articulo sexto, vbi generaliter docet, quod virtutes Tęologicę *excellentiores sunt virtutibus moralibus*. Et ratio est, quia virtutes Theologicę, vt inquit idem Sanctus Thomas ibidem, attingunt primam regulam, scilicet Deũ, morales vero attingunt rationem humanam. Deinde ex iis, quę sæpe diximus, quod videlicet virtutes Theologicę habent Deum pro obiecto materiali, & formali, quod non habet misericordia, aut alię virtutes morales. Præterea, quia virtutes Theologicę perfectius vniunt hominem cum Deo, quam alię virtutes morales; ergo sunt digniores illis.

Difficult. Est tamen difficultas contra hoc desumpta ex Diuo Thoma dicta quæstione 30. articulo quarto, vbi etsi dicat, quod Charitas ex parte hominis sit potiorquã misericordia, nihilominus ait, quod misericordia secundum se sit maxima inter virtutes. Respondeo, omissis pluribus, de quibus Caietanus, & aliqui alii, quę videntur magis subtilia, quam vera, misericordiam pręferri aliis virtutibus etiam Charitati, non simpliciter, sed secundum quid in eo quod, cum ipsa subleuet efficaciter miseriam alterius, includit ex se quandam superioritatem, & potentiam, super illam miseriam, & illam habentem, quã nõ includunt Charitas, aut aliæ virtutes, possunt. n. esse etiã circa superiores, & magis potentes. Sic colligo ex eodem Diu. Thom. in fine corporis illis verbis: *Supplere defectum alterius in quantum est huiusmodi est superio-*

Digitized by Google

perioris, & melioris. Et ex quędam Collecta Ecclesię, in qua dicitur, Deum manifestare suam *omnipotentiam miserando.* Vide pro hac solutione Suarez, Turrianum, Tannerum, & Granadum.

Dubium 1 Si quęras an saltem misericordia sit perfectior alijs virtutibus moralibus. Respondeo, non posse id exacte explicari, nisi cognita natura aliarum virtutum, de quo in sequenti tomo maximè dicetur. Interim Sanct. Thom. eo articulo quarto dicit, quod *inter omnes virtutes, quæ ad proximum pertinent potissima est misericordia.* Cui fauet Diuus Augustinus supra relatus. Vnde infert Serra, quod virtutes morales, quę ad Deum aliquo modo spectant, quales sunt Religio, obedientia, & gratitudo, misericordiam excedant: & de Religione id admittit idem Sanct. Thom. quęst. 81. articulo sexto, licet aliquando actus misericordię sit magis necessarius actu Religionis, vt patet ex illo Oseę sexto, & Matth. 12. *Misericordiam volo, & non sacrificium*, quod etiam indicat S. Tho. in solut. ad 1.

Concluſ. 4 Dico quarto, actus misericordię generaliter loquendo, qui etiam actus eleemosynæ vocantur, sunt quatuordecim, septem corporales, & septem spirituales. Illę denotantur illo versiculo.

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Istę vero intelligendo etiam per *Consule* docere, alio.

Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

De quibus Diu. Thomas quæstione 32. articulo secundo, & alij Theologi cum ipso, ac Salmanticenses in Arbor. virtut. numero 16. nosque aliqua in sequentibus.

DISPVTATIO VIII

De Eleemosyna.

Quęstio prima.

Quid, & quotuplex sit Eleemosyna.

Dico primo, Eleemosyna bene definitur *Opus externum, per quod alterius miseria subleuatur.* Sic colligitur ex Diuo Thoma quæstione 32. articulo primo, & alijs Theologis, maximè ex Patribus qui mira, & singularissima encomia de ipsa scribunt, conformiter ad testimonia Sacrę Scripturę, quæ de ipsa etiam præclara multa refert. Est actus virtutis misericordiæ, prout dixi quæst. præced. & colligitur tum ex nominis ethimologia, quæ deriuatur à verbo Græco significante idem quod *miserari*, & ex definitione adducta: siquidem in illa dicitur *alterius miseria subleuatur*, quod est proprium misericordiæ, vt dictum est. Eleemos.

Dico secundo, quemadmodum miseria quam homo pati potest est duplex, scilicet corporalis, & spiritualis, ita eleemosyna per quam ab ipsa subleuatur diuiditur in corporalem, & spiritualem: & vtraque in septem illa opera designata versibus illis adductis quæstione præcedenti: ita vt opera eleemosynæ, seu misericordiæ corporalis sint, *visitare infirmum, potare sitientem, cibare esurientem, redimere captiuum, vestire nudum, recipere peregrinum, sepelire mortuum*: opera vero eleemosynæ, seu misericordiæ spiritualis sint *docere ignorantem, consilium egenti præbere* (quæ duo comprehenduntur verbo illo *consule*) *errantem punire, mœstum consolari, remittere iniurias, patienter supportare onerosos, & graues; & orare pro omnibus, siue viuis, siue mortuis.* Ita ex Sanct. Thom Concluſ. 2

quæstione 32. articulo secundo, communiter Theologi, & Summistæ. Aduertit etiam idem Sanctus Doctor, & alij cum ipso, quod quamuis alia opera misericordiæ, seu eleemosynæ assignari possint, nihilominus solum prædicta 14. numerantur, quia ad illa reduci possunt. Esse autem huiusmodi opera bona, honesta, & laudabilia euidens est apud omnes.

Difficultas. Solum est difficultas, quam mouent hæretici recentiores, circa opus sepeliendi mortuos, quod scilicet non videatur pium, & laudabile: ex eo videlicet, quod cum Christus Dominus Matth. 25. commendasset sex alia opera misericordiæ corporalis nullam fecit mentionem de isto. Deinde quia sepultura nullo modo prodest defunctis, prout indicat Diu. Augustin. lib. 1. de Ciuit. cap. 12. Ac præterea, quia in cap. sacris de sepultur. dicitur, quod non *obsit iustis sepultura nulla, vel vilis*.

Veritas certa. Certa tamen veritas est, pium, laudabile, & opus misericordiæ esse sepelire mortuos. Ita vnanimiter Catholici. Colligitur primo ex Sacra Scriptura, vbi id sæpius denotatur. Primo, dum antiquorum PP. solicitudo circa sepulturam propriam, & etiam alienam refertur; secundo, quia mortuos sepelientes commendantur in illa, Tobias videlicet ab Angelo Raphaele, Tob. 12. & viri Iabes Galaad à Dauide 2. Reg. 2. & Marc. 15. & 16. Ioseph ab Arimathia, & piæ fœminæ sepelientes Christum. Ex oppositio autem illos non sepeliri habetur pro inhumano, 3. Regum 13. & psalm. 78. ibi *Posuerunt morticina seruorum tuorum escas volatilibus Cæli*: & bestiarum proprio, Ieremiæ 22. vbi propterea dicitur de Ioacim Rege: *Sepultura asini sepelietur*. Deinde ex vsu perpetuo Ecclesiæ, & plurium Patrum testimoniis, de quibus Bellarminus, Salmeron, Valentia, & Coninck. Accedit ratio, quia etsi sepultura non prosit defunctis quantum ad corpora, prodest quantum ad animas, non solum quia honestantur ex honore suis corporibus exhibito, sed etiam quia ex hoc, quod in tali, vel tali loco sepeliantur, propter preces, quæ ibi ad Deum fundûtur multum vtilitatis adquirunt. Vt notat Diuus Augustinus in lib. de cura pro mortuis gerendo, cap. 4. Similiter quamuis carentia sepulturæ non obsit iustis, quantum ad gloriam animæ, obest tamen quantum ad preces, & suffragia, quæ fundi solent pro ipsis, quando in locis Sacris sunt sepulti, & honorificam memoriam ipsarum personarum: Vnde propterea Bañez, Valentia, Coninck, Turrianus, Bonacina, & Palaus, peccatum mortale censent relinquere corpus sine sepultura.

Responsio ad hæreticos. Ea etiam, quæ pro hæreticis asseruntur nihil valent. Etenim quod Christus eo loco Matthæi non meminerit huius operis misericordiæ, ideo fuit, quia, vt Bellarminus ex Diuo Chrisostomo asserit, agnoscebat homines esse satis procliues ad illud efficiendum, imo cum superflua pompa. Ad secundum, & tertium iam est responsum.

Conclus. 3. Dico tertio, eleemosyna causat in largiente illam plures spirituales effectus. Primus, quod si fiat ab homine iusto, cum conditionibus aliis ad meritum gratiæ, & gloriæ requisitis, de quibus tomo præcedenti Tractat. 7. disputatione octaua de merito, meretur augmentum illius, etiam de condigno. Colligitur ex dictis eo loco, & ex illo Ecclesiastic. 29. adducto à Diuo Thoma quæstione 32. articulo quarto: *Perde pecuniam propter fratrem, pone thesaurum in præceptis Altissimi, & proderit tibi magis quam aurum*. Secundus est, quod illam recipiens orabit pro largiente ad Deum. Ita Diuus Thomas supra ex eodem capitulo 29. Ecclesiastic. ibi: *Conclude eleemosynã in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo*. Difficultas tamen est, an inter effectus eleemosynę numerari debeat, remissio peccatorum, aut hominis iustificatio. Ratio dubitandi sumitur ex pluribus locis Sacræ Scripturæ, in quibus id denotatur, & pluribus etiam ex Patribus qui ea sic intelligere videntur. Loca autem Sacrę Scripturæ præcipua sunt. Tob. 4. *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras*. Tob. 12. *Eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam, & vitam æternam*. Daniel 4. *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum*. Luc. 11. *Quod superest date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*. Propter quæ aliqui hæretici, quos refert Diuus Augustinus lib. 21. de Ciuit. cap. 22. remissionem peccatorum, & iustificationem solis operibus misericordiæ, vel eleemosynæ tribuebant.

Conel. 4. Dico tamen quarto, nullo modo dici potest, quod per solam eleemosynam homo iustificari possit, aut ipsi remitti peccata

peccata mortalia. Ita ferme D. Auguſtinus eo lib. de Ciuitate cap. 27. Sanct. Thomas in 4. diſtinctione 15. quæſtione ſecunda articulo ſecundo quæſtione prima, & communiter Expoſitores illius ſup. articul. quart. relatum. Colligitur primo, ex Sacra Scriptura Luc. 11. vbi Chriſtus reprehendit Phariſæos, quod cum partem ſuorum bonorum pro eleemoſyna darent, nihilominus alia opera Charitatis erga Deum, & proximum omittebant, illis dicens: *Hæc autem oportuit facere, & illa non omittere.* Et primę Corinthiorum 13. ait Apoſtolus: *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero nihil mihi prodeſt.* Secundo ex aliis locis, in quibus dicitur ſine pœnitentia non poſſe obtineri remiſſionem peccatorum, aut ad ſalutem requiri obſeruantiam mandatorum, quæ in alijs Tractatibus referuntur. Tertio, & maximè ex Concilio Tridentino ſeſſione decimaquarta capitulo quarto, vbi ait: *Fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius*: ergo non ſufficit ſola eleemoſyna. Quarto, ex plurium Patrum teſtimonijs id aſſerentibus, apud Expoſitores Sanct. Thom. Quinto, quia homo non iuſtificatur, neque ipſi remittitur peccatum mortale, niſi ita conuertatur ad Deum vt non maneat in ipſo affectus ad illud peccatum, alias eſt omnino indignus tali remiſſione, & amicitia Dei: ſed eleemoſyna non conuertit hominem ad Deum iſto modo, quia hoc ſolum competit Charitati, vel pœnitentiæ; imo cum ipſa eleemoſynæ elargitione poteſt remanere talis affectus: ergo.

Reſponſio ad contraria.

Ad loca Sacræ Scripturæ, & teſtimonia PP. quæ pro contraria parte afferuntur, omiſſis particularibus expoſitionibus, quæ iuxta illorum contextum dari poſſunt, reſpondeo primo, eleemoſynæ tribui remiſſionem peccatorum, nomine peccatorum intelligendo pœnas temporales relictas poſt peccatum dimiſſum per pœnitentiam: familiare namque eſt etiam Sacræ Scripturæ, vt tales pœnæ peccata appellentur. Secundo etiam intelligendo peccata quoad culpam, dico, quod cum tribuitur ipſorum remiſsio eleemoſynæ, exponenda eſſe de actu eleemoſynæ non ſecundum ſe, ſed prout imperato à Charitate. Tertio & maximè, eleemoſynæ tribui remiſſionem peccatorum, non quia ipſa ſit forma iuſtificans, aut diſpoſitio proxima ad illam, aut habeat hoc priuilegium ſibi à Deo conceſſum, prout dici ſolet de Martyrio, quia non eſt fundamentum aliquod ad id aſſerendum: ſed quia, iuxta dicta Tomo præcedenti Tractat. ſeptim. diſputatione ſexta quæſtione tertia, facienti illam ex auxilio gratiæ, Deus (ſæpius inquam) conferat auxilia alia ad contritionem, vel actum Charitatis, quibus vltimo diſponatur ad iuſtificationem. Hoc enim ſenſu intelligendum illud Matth. 5. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*: & præſertim, quia Deus opera miſericordiæ in proximum facta, quaſi ſibi facta æſtimat, ſecundum illud Matthæi 25. *Quod vni ex minimis meis feciſtis mihi feciſtis.* Vide Expoſitores S. Th.

Quæſtio ſecunda.

De præcepto Eleemoſynæ.

Eleemoſynæ præceptum.

CErta res eſt apud omnes Catholicos contra Manichæos apud Diuum Auguſtinum libro 39. contra Fauſtum cap. 16. & contra Adimantum cap. 17. quod dare eleemoſynam indigenti cadat ſub præcepto, tum naturali, tum diuino. Etenim de naturali id conſtat, cum ipſa ratione dictante proximus ſit amandus, quod fieri non poteſt, ſi in neceſſitate conſtitutus non ſuccurratur; vt patet ex illo 1. Ioann. 3. *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua abeo, quomodo Charitas Dei manet in eo?* Et ex illo principio lumine naturali noto Matth. 7. *Quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Videndus noſter Ioannes Beata de præcept. Decalogi præcept. 5. expoſitione prima capitulo ſexto, & ſeptimo. De præcepto autem diuino id etiam cõſtat ex locis Sacræ Scripturæ quæſtione præcedenti adductis, & aliis infra referendis. Eſſe etiam præceptum de eleemoſynę operibus conſtat manifeſtè ex Matth. 25. vbi propter tranſgreſsionem illius ait Chriſtus reprobos damnandos eſſe in die Iudicij. Cum autem hoc præceptum ſit affirmatiuum, neceſſe eſt, quod obliget tempore aliquo determinato. De quo eſt præſens quæſtio.

Suppoſitio.

Pro quo etiam ſupponendum, triplicem neceſsitatem aſsignari communiter à Doctoribus, in qua poſsit obligare hoc

re hoc præceptum. Prima, est *extrema*, quando videlicet homo est in periculo moraliter certo mortis, vel alicuius mali, quod morti æquiualeat. Secunda est *grauis*, quando est in periculo alicuius graui malis, puta infamiæ, iacturæ bonorum &c. Tertia est *communis*, quam pauperes communiter patiuntur. Supponendum etiam, bona, ex quibus facienda est eleemosyna, esse in duplici differentia; alia sunt superflua, seu non necessaria vitæ, aut statui illam dantis, ea videlicet sine quibus conseruari possunt; alia vero è contrario sunt necessaria, & non superflua, sine quibus videlicet non possunt conseruari.

1. sententia. His præiactis, prima sententia est, solum in casu extremæ necessitatis obligare præceptum eleemosynæ. Ita videntur tenere Alexander, Gabriel, Maior, Durandus, Gerson, Conradus, & Medina Complutensis. Primo, quia non tenetur aliquis magis subuenire proximo, quam sibi ipsi; sed sibi ipsi non tenetur aliquis nisi in extrema necessitate, quia in inferiori necessitate, quantumuis graui potest sibi non subuenire, & eam libenter pati propter Deum: ergo nec proximo. Secundo, quia si homines tenentur grauibus necessitatibus proximorum subuenire, sequitur mortaliter peccare diuites, qui, talibus necessitatibus prætermissis, suas diuitias expendunt in ædificandis Templis, fundādis Monasteriis, etigendis Beneficiis Ecclesiasticis, aut similibus operibus pijs, & bonis, quę tamen solum cadunt sub consilio: consequens autem videtur contra communem sensum fidelium, qui sic facientes non damnant, potius laudant: ergo. Tertio, quia non videtur ex quibus bonis homo teneatur huiusmodi necessitatibus subuenire.

1. concluſ. Nihilominus dico primo, præceptum eleemosinæ ad minus obligat tempore necessitatis extremę proximorum. Ita concorditer omnes, & merito sane, quia extrema necessitas est omnium maxima, & vrgentissima, & ita saltem tempore quo adest, obligare debet hoc præceptum. Legendi Diu. Thom. quæstione 32. articulo quinto, & eius Expositores.

Secunda Dico secundo, falsū est dicere præceptum eleemosynæ solum obligare in extrema necessitate proximi. Hæc est communis omnium Theologorum, specialiter Diu. Thom. in 4. distinctione decimaquinta quæstione secunda articulo primo, & in hac. 2. quæstione 118. articulo quarto ad 3. nec oppositum tenet quæstione 32. articulo quinto, prout quidam male putant, sequuntur Ricardus, Maior, Caietanus, Bañez, Aragon, Nauarrus, Corduba, Azor, Suarez aiens oppositam sententiam *practice esse omnino improbabilem, nec fore tutam in conscientia*, Turrianus dicens, contrarium omnibus videri *alienum a ratione*, Granadus inquiens, non posse quemquā *tuta conscientia contrarium, aut consulere, aut effuere*, Amicus approbans censuram Suarez. Probatur primo generaliter ex locis Sacræ Scripturę & PP. testimoniis, in quibus agitur de præcepto eleemosynæ, nullum enim verbum in illis est, vnde colligatur in eis solum esse sermonem de eleemosyna, pro tempore necessitatis extremę proximorum; potius è contra ex eis infertur loqui de illis necessitatibus citra extremas. Primo, quia loquuntur de necessitatibus, quę non raro, sed sępius, imo quotidie cernuntur: extremę autem necessitates non nisi raro eueniunt. Secundo, quia etiam loquuntur de peccato, propter quod plurimi ex reprobis condemnandi sunt in die Iudicii: cum tamen non succurrere extremis necessitatibus non plurimis hominibus, sed paucioribus contingat: cum è contrario illis subuenire etiam apud Turcas, & alios infideles, sit valde receptum. Tertio, quia Matth. 18 damnatur seruus, qui non misertus est conserui sui, & Luc. 16. *Epulo dic*, *qui non subueniebat Lazaro pauperi*. Qui tamen non erant nisi solum in graui necessitate. Et quia generaliter pro tempore cuiuscunque necessitatis Deus præcepit Exod. 23. *Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti reduc ad eum*. Similia elici possunt ex aliis locis Sacræ Scripturæ.

Vnde infertur, & dico tertio, præceptum eleemosinę obligat tempore grauis necessitatis proximorum. Ita authores relati pro secunda conclusione, & probatur ex fundamentis adductis, & quia grauis necessitas proximi obligat ex Charitate, & amicitia ab subueniendum illi: ergo etiam per eleemosynam, quę, vt dictum est, est actus externus Charitatis. Tertia.

Dico quarto, hęc obligatio eleemosynæ faciendæ tempore extremæ, & grauis necessitatis proximi obligat sub peccato mortali. Ita plurimi ex relatis Authoribus. Et colligitur manifestè ex dictis: si enim propter transgressionem huius præcepti condamnantur reprobi in die Iudicii; diues Epulo damnatus est ad Inferos; & seruus, qui non est misertus Quarta.

fertus conserui sui, grauiter punitur, signum euidens est eam esse sub mortali. Accedit, quod nomen ipsum extremę, & grauis necessitatis, manifestè denotat, hanc transgressionem esse grauissimam, vel saltem grauem.

Quinto

Dico quinto, in communibus, & ordinariis necessitatibus, quamuis etiam obliget præceptum eleemosynę, quia ipsę sunt verę necessitates, & verba præcepti sunt generalia; nihilominus non est tanta obligatio, nisi, quod iuxta prudentis arbitrium subuenire debeāt homines huiusmodi necessitatē patientibus, non quidem singulis, & determinatè, sed aliquibus indeterminatè. Sic ex Diu. Thom. quodlib. 8. articulo duodecimo, Bellarmino, Valentia, Suarez, Turrianus, Lorca, Coninck, Amicus, Siliuius, & Granadus. Et ratio est, quia huiusmodi necessitates eo ipso quod sunt communes, & ordinarię, sunt etiam leues, & facilè, ac à multis sub leuari possunt.

Solutio argumentor.

Ad primum pro prima sententia respondeo, quod in grauibus necessitatibus spectantibus ad bona fortunę, & honoris, quia huiusmodi bonorum homo est dominus, potest sibi non subuenire, sed patienter eas tolerare, ac cedere iuri suo: secus vero in grauibus necessitatibus spectantibus ad bona vitę, & membrorum, quia ex opposito huiusmodi bonorum non est dominus, & ita non potest sibi non subuenire, saltem quando id facere potest facile. Quia ergo homo non est dominus bonorum, siue vitę, siue membrorum, siue fortunę, aut honoris alterius hominis, ideo non potest cedere iuri illius, sed tenetur in huiusmodi bonorum necessitatibus illi subuenire. Sic fermè Suarez, Granadus, Palaus, Bonacina, & Caspensis. Ad secundum dico, tales diuites prętermittentes subuenire proximis in grauibus necessitatibus, & facientes opera illa relata in argumento sæpissimè peccare mortaliter, quia relinquunt opera ex præcepto, propter opera, quę solum sunt ex consilio, & ita non sunt laudandi, sed potius damnandi, tam ipsi quam eorum Confessarii, prout colligitur ex Axorio, Aragonio, Bañez, Suarez, Granado, Palao, Bonacina, Ioanne Sanchez, & Caspensi. Et quia forsan propter illos dictum fuit illud Matth. 19. *Facilius est Camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum Cœlorum*. Est quidem verum, plures illorū excusari posse, primo, si ignorant tales graues necessitates proximorum, vel sciunt eas ab aliis posse subleuari: secūdo, quia aliquando illa opera ex consilio solent esse tantę necessitatis spiritualis, pręsertim Communitatis, vt merito pręferri debeant temporalibus necessitatibus proximorum.

De tertio.

Circa tertium, de bonis, de quibus facienda est eleemosyna, licet in eo maximè attendi debeat ad circunstantias personarum dantis, & recipientis illam, tempore, loco, & occasione, quibus datur, generaliter dicendum primo, dari debere de superfluis, seu non necessariis. Ita enim colligitur ex illo Luc. 11. *Quod superest date eleemosynam*. & quia de illis maximè obligat Charitas ad subueniendum proximo, ac, quia cum hac veluti conditione creditur facta diuisio bonorum, quæ in principio mundi erāt communia; vt scilicet superflua distribuerentur indigentibus, alias non esset prudenter facta. Secundo, specialiter loquendo de extrema proximi necessitate, dico, tunc ex præcepto subueniendum illi esse non solum de superfluis personę, & statui, quia hoc est commune pro omni necessitate; necessitas autem extrema est maxima omnium: sed etiam de aliquo modo necessariis statui; eo quod vita proximi, de qua agitur in extrema necessitate pręponderari debet alicui necessitati statui: non tamen de necessarijs simpliciter personę, aut vitę ipsius, vel suorum, quia in ęquali necessitate quilibet tenetur succurrere sibi, & suis, priusquam extraneo; nisi forte extraneus esset Princeps, aut persona Reipublicę necessaria; eo quod bonum commune præferri debet etiā proprio particulari. Sic ferme communiter Doctores ex Diu. Thom. quæstione 32. articulo sexto. Dixi autem *de aliquo modo necessarijs statui*, quia si loquamur de bonis simpliciter necessariis pro conseruatione status, quamuis Valentia, & Granadus videantur dicere pręferendam esse vitam proximi extremè patentis, conseruationi talis status, nihilominus oppositum est probabilius, prout tenent Coninck, Caspensis, Sa, Palaus, & Amicus. Ratio est, quia nemo tenetur cum tanto incommodo, quale est amissio sui status procurare vitam alterius; cum nec etiam vitam propriam cum tanto dispendio conseruare quis teneatur. Loquendo autem de graui necessitate proximi dico tertio, faciendam esse tunc ex præcepto eleemosynam solum de superfluis personę, & statui. Ita ferè communiter recentiores. Et probatur, quia cum mi-

nor

nor sit obligatio faciendi eleemosynam tempore grauis, quam extremę necessitatis: cum, iuxta dicta, tempore extremę solum sit facienda de aliquo modo necessariis statui, tempore grauis solum fieri debebit de ijs, quę nullo modo sunt necessaria. Addo tamen, quod si hęc necessitas in genere grauis fuerit magna, id est, grauissima, tunc obligabit præceptum eleemosynę, etiam de aliquo modo necessarijs statui. Sic intelligendi Sotus, Canus, Victoria, Bañez, Valentia, Tannerus, Palaus, & alij, qui volunt etiam tempore grauis necessitatis id esse faciendum: nomine enim grauis intelligi debet ea, quæ est proxima extremę, ac per consequens grauissima. Et ratio est, quia quę parum distant nihil distare videntur, grauissima autē necessitas est valde proxima extremæ, & ita de vtraq; eodē modo cēsendū. Demum de necessitatibus communibus, & ordinariis loquendo, omnes videntur conuenire, tunc non obligare præceptum eleemosynę, nisi de superfluis personę, & status. Ratio est, quia huiusmodi communes necessitates sunt minimę in hoc genere, a multis subleuantur, & facile succurri possunt, & ita non debent diuites obligari ad subueniendis illis nisi iuxta dicta in quinta conclusione, & solum de bonis superfluis.

Notanda. Sunt tamen aliqua notanda pro doctrina tradita in hac quęstione. Primū, neminem, nisi sit Princeps, Prælatus, aut Superior, quibus incūbit ex officio curam habere de sibi inferioribus, teneri quętere, aut inuestigare habentes tales necessitates, sed sufficere quod quādo id sciuerint, ipsis subueniant. Colligitur ex illo 1. Ioann. 3. *Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo* &c. Ita communiter recentiores ex D. Th. doctrina. Secundum, omittentem dare eleemosynam indigentibus tempore necessitatis, etiam extremę, non teneri ad resarciendā damna ex illa omissione secuta in sic indigentibus. Ratio est, quia obligatio ista dandi eleemosynam eo tempore non est ex iustitia, sed ex Charitate, prout contra Turrecremaram, Caietanum, Sarmientum, Laymanum, & alios docent communiter Doctores, præsertim recentiores: obligatio autem resarciendi damna solum oritur ex actione iniuriosa, & contra iustitiam. Nec obstat commune dictum, scilicet quod in *extrema necessitate omnia sunt communia*: non enim est sensus, quod eo tempore possidens aliqua bona priuetur dominio illorum; verē enim manet illorum dominus, sicut antea, etsi cum obligatione ex Charitate, quę iuxta Apostolum, *non quærit quæ sua sunt*, dandi illam egenis; ita vt possit a iudice cogi ad illa danda; & egenus illa surripiens tempore necessitatis extremę non peccet. Propter hanc enim causam D. Th. infra quęstione 118. articulo quarto secundum, vocat hanc obligationem debitum legale, & aliqui PP. etsi per exagerationem, & hyperbolem dicant non dantes eleemosynam egenis, esse raptores, seu committere rapinam. Tertiū, quod etsi quando pauper, cui dāda est eleemosyna, habeat alibi bona, quibus satisfacere possit, vel spem illa alio tempore habendi, satis fiat præcepto eleemosynę, mutuando, commodando, vel illi vendendo ea, quibus indiget de præsenti, prout tenent Nauarrus, Toletus, Valentia, Suarez, Coninck, Bonacina, Palaus, imo etiam Diu. Thom. quodlib. quinto articulo 17. quia ille non est simpliciter pauper, sed solum pro determinato illo tempore, vel loco; & ex alia parte dando illi ea, quibus de præsenti indiget, sufficienter subuenitur eius necessitati: nihilominus, si ille, nec de præsenti habet, nec speratur habere bona, quibus satisfaciat, omnino gratis danda est illi eleemosyna, prout ex Reginaldo, Suarez, Turriano, Coninck. Hurtado, Caspensi, Becano, & aliis habetur; quia talis vere, & simpliciter est pauper, & Scriptura, ac Patres cum de eleemosyna loquuntur, donationem absolutam, gratiosam, & sine vllo onere intelligunt; & quia alias omnino tolleretur de medio præceptum eleemosynę, cum semper posset dari aliquo ex modis assignatis.

Quæstio tertia.

Qui possint, aut teneantur facere eleemosynam.

Regula generalis. Regula generalis est, eum solum posse, & teneri facere eleemosynam, qui habet bona propria, in dominium, vel saltem in administrationem. Est certa, & colligitur ex Prouerbiorum 3.

Honora

Gebet
Gebet
Gebet

vxoribus. Regula ergo tenenda est, quam adduximus. Quintus casus est, quando maritus est absens, vel amens; eas enim eleemosynas, quas ipse prudenter faceret, potest facere vxor; quia pro eo tempore competit ipsi bonorum administratio. Nauarrus, Vasquez, Coninck, Palaus. Sextus, quando maritus bona communia dissipat frequenti ludo, comessationibus, compotationibus, luxurijs, & similibus: quia tunc potest vxor compensans damnum sibi illatum, surripere partem eorum bonorum sibi competentem, & pauperibus in eleemosynam dare. Lessius, Tannerus, Coninck, Bonacina, & Palaus. Septimus, quando id est valde necessarium pro auertendo aliquo graui malo, vel obtinendo aliquo notabili bono, valde vtili, vel necessario, marito, sibi, aut familiæ: exemplo Abigail, quæ 1. Regum 25. laudabiliter obtulit dona plura Dauid, ne damnum inferret suo marito; & quia in tali casu maritus debet præbere consensum, &, si non præbet, est irrationabiliter inuitus. Lessius, Vasquez, Turrianus, Cardinalis Lugo, Bonacina, & alii, etsi cum aliquibus limitationibus. Addit Serra, etiam posse vxorem facere eleemosynam, inuito quoque marito, de ijs, quæ lucrata est ex adulterio: quia talia bona etsi peccaminose adquisita, non tamen sunt adquisita contra iustitiam, sed veluti ex industria, & proprio labore.

De filijs familias

De filijs familias eodem modo proportionaliter est dicendum. Quod videlicet de bonis paternis non possint facere eleemosynam, quia hæc sunt sub dominio patris: nec de aduentitijs, eis nempe, quę non proueniunt a patre, sed aliunde, donatione, industria, &c. quãuis enim istorum dominium habeant, dispensatio tamen est patris: nec de profectitijs, eis videlicet, quę ipsis a patre, vel causa ipsius proueniunt; nam istorum dominium directum, & vtile est apud patrem, apud filios autem solum vsus cum consensu patris. De omnibus ergo istis bonis non possunt filij familias eleemosynas facere, nisi vt inquit Sanct. Thom. eo articulo octauo ad 3. *Forte aliquam modicam, de qua potest præsumere quod patri placeat, nisi forte alicuius rei esset sibi à patre dispensatio commissa.* Cæterum de bonis Castrensibus, illis scilicet, quę titulo militiæ adquiruntur; vel quasi Castrensibus, eis nempe, quę ex officio publico, vt sunt Iudicis, Aduocati &c. possunt eleemosynas facere, quia ista bona sunt sub dominio, & administratione filiorum familias, Siluester, Nauarrus, Lessius, Coninck. & Cardin. Lugo.

De seruis

De seruis etiam, seu mancipijs, idem proportione seruata dicendum, vt habet idem Diuus Thom. supra. Non enim illi habent dominium bonorum, sed ipsi, & eorum bona sunt sub dominio eorum quorum sunt serui. Ita enim iura disponunt *Institut. per quas personas §. item nobis, & l. placet, ff. de adquirenda hæredit. l. id vestimentum ff. de peculio, & cap. cum olim de priuileg.* Si autem habent proprium peculium, prout possunt habere in aliquibus casibus, de eo possunt libere eleemosynas facere. Et de alijs etiam, in quibus præsumitur consensus dominorum. Suarez, Turrianus, Granadus, & Amicus.

De pupill

De minoribus autem, seu pupillis, cum non habeant expeditam administrationem suorum bonorum, quia hęc est apud tutores, vel curatores, certum etiam est non posse facere alias eleemosynas, nisi illas, pro quibus habuerint consensum à tutoribus, vel illas, quas alij eiusdem conditionis facere solent. Coninck, & Palaus. Qui etiam idem dicunt de prodigis, quibus datus est Curator. An vero casu quo pupilli dent magnas eleemosynas teneat factum, ita vt recipiens non obligetur ad restitutionem, nisi à Curatore, vel ipsis minoribus repetantur, affirmat Palaus, plures alios referens; sed negat Amicus. De hoc tamen alibi. De bonis vero Castrensibus, seu quasi Castrensibus possunt isti pupilli eleemosynas etiam magnas facere, Coninck.

De Curatoribus

Tandem de Curatoribus, seu Tutoribus dicendum, eos posse facere moderatas eleemosynas, de bonis pupillorum, eo quod eorum administrationem habent, & hoc cedit in bonum spirituale pupillorum. Azor, Lessius, Lorca, Vasquez, Bonacina, & Palaus. Quod tamen Coninck limitandum censet.

Quæſtio quarta,

Quomodo Eccleſiaſtici ſtrictius teneantur eleemoſynam dare.

De Eccleſiaſticis

SVpponit grauis hæc quęſtio id quod apud omnes pro comperto habetur, nempe Eccleſiaſticos ſtrictius obligari ad eleemoſynam faciendã, quã ſæculares. Etenim ratione ſtatus quẽ habent, tenentur ipſis exemplũ bene viuendi prębere, & aliquo ipſorum bona ſunt & dicuntur bona pauperum, & ipſi appellantur patres pauperum. Solum ergo eſt difficultas, in quo conſiſtat maior hæc obligatio.

Bona Clericorum

Pro quo ſupponendum, bona clericorum, ſeu Eccleſiaſticorum ſęcularium, de quibus eſt ſermo in hac quæſtione, eſſe in triplici differentia. Alia enim ſunt, & vocantur *patrimonialia*, ea videlicet, quę ipſis cõpetũt ex ſucceſſione ratione familię, donatione, induſtria, vel labore: alia ſunt *quaſi patrimonalia*, ea nempe quę obtinent tanquam ſtipendia laboris propter miniſteria aliqua Eccleſiaſtica, v. g. celebrandi, concionandi, canendi &c. alia vero ſunt *mere Eccleſiaſtica*, quę ſcilicet poſſident propter beneficia Eccleſiaſtica, vt puta Canonicatum, Curatum, Epiſcopatum &c. De qua diuiſione Corduba, Nauarrus, Vaſquez, Molina, Leſſius, Sanchez, & alii.

Quorum habeant dominium

Suppono etiam prędictos Eccleſiaſticos omnium iſtorum bonorum habere dominium. Nam de bonis primi generis id eſt certiſsimum; eo quod illa cõpetunt ipſis titulo laico, ac ſi laici eſſent: & de bonis ſecundi generis id etiam eſt certum, quia illa ſunt iuſta ſtipendia, & præmia proprij laboris, & illis conceſſa ſine vllo onere: & de bonis tertij generis eſt fere certum, quia etſi Nauarrus, & alij vetuſtiores, inter quos noſter Vvaldenſis tom. 1. lib. 4. cap. 43. & ſequentibus refertur, id negauerint, nihilominus Diu. Thom. quæſt. 185 articulo ſeptimo, & quod lib. 6. articulo duodecimo, quem ſequuntur Caietanus, Sotus, Driedo, Couarrubias, Sanchez, Molina, Leſſius, Vaſquez, Siluius, Lorca, Becanus, & fere omnes recentiores, affirmant eſſe ſub dominio ipſorum Beneficiatorum. Quia Bonifacius Octauus capitulo vnico de Cleric. non reſident. ſtatuit, quod clerici non reſidentes non adquirant *dominium* diſtributionum, nec faciant *eas ſuas*: quod imitatur Concil. Tridentinum ſeſſione 22. de reformat. cap. 3. dum etiam dicit, quod earum *dominium non adquirant*; ſupponunt enim, quod reſidentes, earum *dominium* adquirant, & eam faciant *ſuas*. Similiter idem ſupponit de fructibus beneficiorum adquiſitis à beneficiatis idem Concilium ſeſſione 24. de reformat. cap. 12. dum eos vocat *ſuos*. Præſertim, quia nullum eſt ius in contrarium. Quod enim in aliquibus decretis clerici prophanè expendentes fructus ſuos vocentur fures, & latrones, & dicantur non eſſe dominos, ſed adminiſtratores ipſorum, præterquam quod aliqua verba iſtorum intelliguntur hyperbolicè, & per exaggerationem, ſicut & ſimilia, quæ de auaris dicuntur; aliqua ipſorum intelliguntur de bonis illis immobilibus, prædijs ſcilicet, vel hæreditatibus, ex quibus extrahuntur huiuſmodi redditus; illa enim ſolum ſunt ſub dominio Eccleſiarum, & Beneficiarij ſolum ſunt adminiſtratores, vel vſufructuarij. Sotus, Corduba, Nauarrus, Sanchez, Amicus, & alij: vel de alijs bonis ipſius Eccleſiæ, vel fabricæ, non de fructibus beneficiorum; & caſu quo de iſtis intelligantur id dicitur propter ſtrictam obligationem quam habens ſubueniendi pauperibus de ſuperfluis, vt dicemus, non quia non ſint veri domini ipſorum. Alia tomo ſequenti in Tractatu de dominio.

Concluſio

Hoc ſuppoſito dico, ſtrictior obligatio Eccleſiaſticorum ſupra laicos ad eleemoſynas elargiendas oritur primo, & generaliter in omnibus illis ex natura, & perfectione ſtatus clericalis, quia ipſi ſunt de ſorte Domini, diuinis obſequijs mancipati; & propterea debent eſſe ad imitationem Chriſti, cuius ſunt miniſtri, miſericordia, & pietate fulgentes, & laicis exemplum bonæ vitæ prębere. De quo plura in Sacris Canonibus, Patr. & Doct. Vnde infertur, quod non dando eleemoſynas in caſibus, in quibus laici id tenentur facere, grauius peccant, & ſępius mortaliter. Secundo, ſpecialiter in Beneficiatis, quia ipſi non ſolum ſunt ſicut alij clerici, de ſorte Domini, ipſius obſequij mancipati, miniſtri Chriſti &c. ſed etiam quia ipſi viuunt de bonis Eccleſiaſticis datis à fidelibus pro ipſorum ſuſtentatione; & vt

superfluum erogent pauperibus, vt docet Sanctus Thomas quæstione 87. articulo quarto ad 4 & articulo tertio ad primum, & quodlib. 6. articulo decimonono. Etsi enim hæc voluntas fidelium non fuerit quasi pactum, & iustitiæ obligationem inducens, fuit tamen propter hunc finem, quia id est valde rationabile, & oppositum irrationabile, cum sæpius huiusmodi bona excedant necessitates Beneficiatorum, & sint illis superflua. Tertio, quia specialiter de illis, quibus cura animarum commissa est, ait Concilium Tridentinum sessione 23. de reformatione capitulo primo, quod ex præcepto diuino tenentur *pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere*. Quarto, quia idem Concilium sessione 25. capitulo primo de reformatione de Dominis Cardinalibus, Episcopis, & alijs Beneficiatis loquens: *Omnino eis interdicit, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresve suos augere studeant* &c. *sed si pauperes sint, ijs, vt pauperibus distribuant*. Cum autem donatio facta consanguineis, aut familiaribus, videatur honesta, & rationabilis, & nihilominus à Concilio interdicatur, nisi pauperes fuerint, manifestè denotat solum in pauperes distribui debere Ecclesiasticos redditus. Sumpsit autem Concilium hanc doctrinam ex can. 39. Apostolorum. Idemque præcipitur can. præcipimus 12. q. æstione prima can. quisquis Episcopus 12. quæstione secunda, & aliis canonibus, & docent plures Patres. Quarto, quia, iuxta dicta supra quæstione secunda, esto quod priuatæ personæ non teneantur quærere, aut inuestigare pauperum necessitates, vt ipsis subueniant, ad id tamen tenentur Ecclesiastici, id est Pastores, qui habent curam animarum, verbi gratia, Episcopi, Abbates, Parochi &c. prout tenent communiter recentiores, specialiter Bañez, Valentia, Vasquez, Sanchez, Turrianus, Amicus, Palaus. Quinto, quia quamuis à tempore primitiuæ Ecclesiæ clerici omnes vitam communi degerent, veluti Religiosi, ita vt nullus in particulari bonorum Ecclesiasticorum dominium haberet, sed illis prouideretur de necessarijs ab Episcopo; tamen Simplicius Papa, qui circa ann. 470. Ecclesiam rexit, bona ista in quatuor partes distribuit; vnam Episcopo, alteram Clericis; tertiam Fabricæ, & quartam pauperibus. Sic enim habetur ex can. de redditibus 12. quæstione secunda confirmato à Gelasio Primo in capitulo *vobis enim*, & 4. sequentibus eadem causa, & quæstione, & à Gregorio Magno in capitulo *cognouimus* ibidem, & Vvaldensi nostro tom. prim. doctrin. fidei lib. 4 articulo tertio cap. 46. Postea etiam aliæ diuisiones eorumdem bonorum per temporum, & locorum varietate factæ sunt, de quibus Gratianus in can. *constitutum* 16. quæstione 1. & constat ex can. *antiquos* 10 quæstione prima, & cap. *requisisti de test. stament* Ex qua variatione id factum est, vt vix sit aliqua Ecclesia, in qua pars pauperum designata reperiatur separata, & distincta ab alijs partibus, sed potius prudenter credatur cum illis, in multis saltem Ecclesijs permixta, & confusa. Ex quo formatur alia ratio pro eo, quod dicebamus de strictiori obligatione Ecclesiasticorum, maximè Beneficiariorum, supra laicos ad faciendum eleemosynas pauperibus. Nam, vel huiusmodi quarta pars bonorum Ecclesiasticorum authoritate Pontificia designata pauperibus remanet separata, & distincta ab aliis partibus, vel est confusa, & permixta cum illis: si primum, manifestum est Episcopos, & alios Ecclesiarum Præpositos teneri illam tribuere ipsis pauperibus; si vero secundum, etiam sequitur, eos clericos, qui illarum fructibus potiuntur, teneri illam distribuere in pauperes; quia certum est illud veluti Iuris axioma, quod res transit cum suo onere. Denique clarè conuincitur, Clericos, Beneficiarios maximè, teneri plus quam laicos, ad eleemosynarum elargitionem, ex communi sententia recentiorum, quasi per inspirationem in hoc concordantium, vt beneficiarii teneantur in eleemosynas pauperum erogare omnes illos prouentus, qui ex fructibus beneficiorum suę congruæ sustentationi supersunt; aut sunt superflui, Ita enim docent Azorius, Molina, Valentia, Vasquez, Becanus, Sanchez, Granadus, Tannerus, Coninck, Lessius, Tutrianus, Palaus, Amicus, Caspensis, & alij. Cum tamen laici non teneantur omnia bona sibi superflua distribuere pauperibus, sed possunt ex illis ditare suos consanguineos, dummodo pauperibus subueniant in *ipsorum* necessitatibus, iuxta dicta quæstione secunda.

Hanc autem obligationem distribuēdi præfatos reddicus superfluos in pauperum eleemosynas, non solum esse ex iure Ecclesiastico, sed etiam ex iure diuino, vt diximus ex Concil. Trident sessione 23. capitulo primo de refor-

Quo iure sit hæc obligatio Clericorū

ma-

matione; Imo, & ex iure naturæ, supponunt etiam communiter Doctores; eo quod fundetur in natura status clericalis, & perfectione ipsi debita; ac maxime in Beneficiarijs in institutione Beneficiorum, quæ obtinent; instituta enim sunt vt ex illis commode viuant, & ex ijs, quæ eorum status supersunt pauperibus subueniant: ac denique propter scandalum, quod generaliter est in tota Ecclesia, cum populus videt, quod Ecclesiastici, Beneficiati præsertim, redditus suos suæ sustentationi superfluos, in vsus prophanos aut cum parasitis, venatoribus, aucupibus, canibus &c. expendunt. Corduba, Nauarrus, Sanchez, Vasquez, Palaus.

Extensio doctrinæ

Extenditur etiam hæc strictior obligatio distribuendi eleemosynam ex redditibus superfluis sustentationi cõgruæ, ad habentes pensionem Ecclesiasticam. Talis enim pensio est veluti beneficium quoddam, vel pars ipsius, vel saltem sapit ipsius naturam; & quia hoc onus est annexum redditibus Beneficiorum, & ita debet cum illis transire. cap. *litteris de pignoribus cap. pastoralis de decimis*, Azor, Nauarrus, Turrianus, Palaus, & Sanchez.

Limitatio.

Limitanda tamen primo, prædicta generalis doctrina de obligatione Beneficiariorum ad dandum pauperibus de redditibus suorum Beneficiorum ea, quæ supersunt suæ congruæ sustentationi, ita vt ea etiam applicari possint pijs aliis operibus, verbi gratia institutionibus Capellaniæ, Confraternitatis, Hospitalium &c. Ita enim sentiunt Authores citati pro ea doctrina, eo sanè, quia talis creditur fuisse intentio eorum, qui Beneficia instituerunt; & quia huiusmodi opera pia, vt in plurimũ sunt pauperũ subsidia: & esto quod talia non sint, in ea commutatæ videantur pauperum eleemosynæ.

Secunda.

Limitanda secundo est, quod casu, quo Beneficiarii in suam sustentationem insumant bona sua patrimonialia, reseruando intactos redditus beneficiorum; vel ita parcè viuant, vt non insumant in illã ex præfatis redditibus suorum beneficiorum totum quod licitè poterant ad prædictam congruam sustentationem; possint tantumdem de redditibus sic reseruatis disponere sicut de bonis aliis patrimonialibus. Eo quod integram suam sustentationem accipere possunt ex illis, cum ipsis dentur ad hunc finem propter suum laborem; ac proinde si id non faciunt, poterunt id compensare ex ipsis respectiuè, æqualitate seruata. Sic ex Couarrubia, Nauarro, vtroque Molina, Lessio, Vasquez, Coninck, Sanchez, Palao, & aliis.

Restat difficultas, quid intelligatur nomine congruæ, seu decentis sustentationis, cuius superflua diximus insumi debere in pauperum eleemosynas, vel pia opera. Ad quam dicendum, omissis multis, de quibus recentiores, eam non consistere in indiuisibili, sed habere latitudinem, ita vt vni Beneficiario magis debeatur quam alij pro grauitate Beneficiorum, varietate temporum, locorum, personarum, & mores patriæ, ac consuetudinem inter timoratos, & probos recepta; non inter eos, qui pompatice, & cum luxu, laicorum instar, viuunt. De quo à Deo illuminabitur is, qui rectam intentionem ipsi placendi habuerit, & ab eo humiliter postulauerit. Difficultas

Alia dicemus tomo sequenti in Tractatu de dominio, & diximus to. 1. Summæ quæst. Regular. cap. 17. loquendo de Regularibus ad Beneficia assumptis. Alia remissiue.

Quæstio quinta.

Quibus dari debeant eleemosynæ.

Dico primo, eleemosynæ dandæ sunt omnibus proximis in necessitate existentibus, siue bonis, siue malis, siue amicis, siue inimicis. Ratio est, quia ad hoc obligat præceptum Charitatis erga proximos; nam eo ipso quod sunt proximi nostri debent diligi sicut nos: *Non verbo, neque lingua, sed opere, & veritate*, vt dicitur 1 Ioann. 3. Confirmatur ex Apostolo ad Rom. 12. *Si esurierit inimicus tuus ciba illum, si sitit, potum da illi*. Nec obstat illud Ecclesiastic. 12. *Da misericordi, & ne susceipias peccatorem*. Et infra: *Da bono, & non receperis peccatorem. Benefac humili, & non dederis impio*. Dicendum enim cum Diu. Thom. quæstione 32. articulo nono ad primum, & nostro Vvaldensi tom prim. lib. 4. artic. 1. capitulo decimoseptimo contra Lolhardos, in his locis non prohiberi dari eleemosynam peccatoribus, vt homines sunt, 1. conclus.

Digitized by Google

sunt, & ex pietate, sed quatenus peccatores sunt, id est, fouendo illos per illam in suo peccato. Quæ est etiam doctrina Diu. Augustin. epistola 48. ad Vincentium Donatistam, & sequuntur noster Bononiensis in quarto distinctione vigesima quæstione vnica, Bellarminus, Vasquez, Medina, Coninck, & alii recentiores. Hinc Sotus, idem Vasquez, Coninck, Lorca, & Palaus dicunt, otiosis, & vagamundis, qui regulariter vitijs pleni sunt, non esse dandam eleemosynam, quia sic fouentur in malitia. De quo etiam Medina, & Siluius. In dubio tamen de eorum indignitate, vita, & moribus, admittendos esse ad eleemosynarum receptionem, saltem à priuatis personis, bene probant Peltanus, & Tannerus. An vero publica authoritate aliqui excludi possint, agunt ijdem Peltanus, & Tannerus, Sotus, Laymanus, & Amicus. Alia ad intentum apud nostrum Ioannem Beetz de præceptis Decalogi expositione prima capitulo octauo.

Concl. 2. Dico secundo, in eleemosyna eroganda seruandus est ordo, ita vt magis coniunctis magis prouidere debeamus. Ita Diu. Thom. eo articulo nono. Qui id probat in argumento sed contra ex eo Paul. 1. ad Timoth. 5. *Si quis suorum, & maxime domesticorum, curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Addit autem idem S. Thom. considerãdam esse differentiam *coniunctionis & sanctitatis, & vilitatis*, pro quo vide dicta supra disput. quinta de ordine Charitatis quæstione sexta.

Tertia. Dico tertio, inter pauperes, quibus eleemosyna elargienda est, iure numerantur voluntarij pauperes, quales sunt Religiosi, præsertim Mendicantes. Ita supponunt communiter Doctores in hoc loco, & de eo ex nostris Bachonius in quarto distinctione vigesima quęstione secunda articulo primo, Vvaldensis tom. 1. doctrin. fidei lib. 4. articulo primo capitulo decimo, & nos diximus to. prim. Summæ Quæstionum Regularium capitulo sexto num. 43. & tom. 2. capitulo primo, num. 3. & tom. 5. super Bullam auream num. octauo, & sup. Mare magnum Eremitarum Sancti Augustini num. 150. & super Mare magnum Carmelitarum à numero 404. & Seruitarum num. 138. & 139. Quomodo etiam non comprehendantur sub Quæstoribus, seu Quæstuarijs, prohibitis à Conc. Trid. diximus to. 4. Summæ Quæstionum Regularium verbo Quæstuarij, & tractat nouissimè Palaus hoc loco in disputatione de eleemosyna.

Difficult. Præcipua difficultas, quę hoc loco tractari solet, est, an qui simulata paupertate eleemosynas accipiunt teneantur ad restitutionẽ. Ad quam respondendum affirmatiue cum communi fere sententia, videlicet Alensis, Scoti, Altisiodorensis, Caietani, Nauarri, Medinę, Vasquez, & plurium aliorum, contra Sotum, Lessium, & Coninck. Ratio est, quia recipiens talem eleemosynam non adquisiuit aliquod dominium ipsius: ergo tenetur ad ipsius restitutionem: consequentia patet, quia in tantum aliquis non tenetur ad restitutionem rei acceptę ab alio, in quantum per receptionem adquisiuit ipsius dominiũ. Antecedens vero probatur, quia tunc solum per donationem liberalem adquiritur dominium rei donatę quando donatio est voluntaria, vbi enim deest, ẽt deest substantia talis donationis, sicut & omnis actus humani: sed donatio eleemosynę non indigenti non est voluntaria donanti, quia oritur ex errore, & ignorantia antecedente, quę causat inuoluntarium, iuxta communem doctrinam, de qua tomo præcedenti Tract 2. disp. prima quæstione vndecima: credit enim eum cui donat indigere, & donat ad ipsius miseriç sublcuationem, quod est de essentia eleemosynę: ergo per eam non adquiritur dominium. Confirmatur, quia si Petrus deceptus à Ioanne falso existimaret debere illi dare centum aureos, & de facto ipsi daret, certe Ioannes non poterat adquirere dominium illorum, sed in omni foro teneretur illos restituere: cum ergo qui vere non indiget decipiat dicendo se indigere, tenebitur restituere eleemosynam, quę ipsi datur intentione subueniendi eius indigentię, vt pote quia non potest adquirere dominium illius. Confirmatur vlterius ex communi Iuristarũ axiomate: *fraus & dolus nemini debent patrocinari*, quod desumitur ex *l. itaque fullo, ff. de furtis, ea. dictum 30. quæst. prima, cap. intelleximus de iudic.* & aliis iuribus: si autem fingens paupertatem non teneretur restituere eleemosynam ipsi datam ad subueniendum ipsi, certè fraus, & dolus ipsi patrocinarentur.

Obiectio. Obiicies, recipiens veram eleemosynam non tenetur ipsam restituere, sed eleemosyna data ficto pauperi est vera eleemosyna: siquidem placet Deo, & retribuet præmium pro ipsa: ergo non tenetur eam restituere. Respondeo tamen negando minorem: enim eleemo-

Digitized by Google

mosyna, quia est actus elicitus à virtute misericordiæ, essentialiter petat esse subleuationem necessitatis pauperis eo ipso quod aliquis non est pauper, aut nõ habet necessitatem, eleemosyna illi collata non est vera, aut formaliter eleemosyna, sed solum materialiter, ac proinde restitui debet; vtpote per fraudem, & dolum extorta. Ad probationem autem dico, illam eleemosynam placere Deo, & præmiari ab ipso, propter bonam intentionem elargientis illam, non ex parte recipientis, quia vt sic est dolosa, & fraudulenta, & ita obnoxia restitutioni.

Dubium. Si quæras cui sit facienda restitutio, dico, Caietanum, Henriquez, Nauarrum, Medinam, Villalobos, & alios existimare pauperibus esse faciẽdam, quia hęc videtur fuisse intentio dantis eleemosynam. Probabilius tamen est, vt tenent Molina, Sotus, Turrianus, Granadus, & etiam alii, esse restituenda mei, qui illam donauit, eo quod ãdhuc maneat sub dominio illius, nec illud transtulerit in fictum pauperem; & per consequens, quia ad illum spectat, etiam in casu quo perseueret in voluntate elargiendi illam eleemosynam, eam distribuere cui voluerit. Hoc tamen intelligendum est quando eleemosyna fuerit magna, seu in magna quantitate. Loquendo enim de eleemosynis paruis, seu in parua quantitate, quales sunt illę, quæ regulariter dari solent mendicis, qui ostiatim illam postulant, potius videntur restituendę aliis pauperibus, vel dandæ pro piis operibus. Talis enim creditur prudenter voluntas illas donantium. Azor, Sotus, Molina, Granadus, & alij. Imo etiam iidem Azor, Sotus, & Granadus, quos sequitur Diana quinta par Tractat. 8. resolutione vigesima prima, & Caspensis excusant mendicos illos ementitos pauperes à restitutione harum paruarum eleemosynarum, quia credunt hanc esse mentem illas donantium.

DISPVTATIO IX.

De Correctione fraterna.

Quæstio prima.

Quid sit Correctio fraterna.

SVppono ex Diuo Thoma quæstione 33. arriculo primo, quod correctio est duplex, alia *iuridica*, alia *fraterna*, illa est, quæ adhibet remedium peccato in quantum est in damnum aliorum, propter scandalum, vel nocumentum boni communis: hæc vero, quæ adhibet illud, in quantum est malum ipsius peccantis. Quæ sic definitur à Siluestrano nostro in 4. sentent. lectione 49. *Est secreta admonitio delinquentis ad ipsius emendationem*. Solet etiam vocari *correptio*, quæ licet in rigore differat à correctione, quod correptio non importet emendam, correctio vero importet illam; potest enim aliquis esse *correptus*, sed non *correctus*, si non est emendatus, prout colligitur ex Diuo Augustino 1. *de Ciuitate cap. 9. & serm. 16. de verb. Domini*, nihilominus ex vsu Scholasticorum pro eodem vsurpatur vtrumque nomen.

Dico ergo primo, correctio *iuridica* est actus iustitiæ vindicatiuæ, correctio autem *fraterna* potest esse actus Charitatis, vel misericordiæ. Ita ex Sanctus Thom. fere communiter Doctores. 1. concluſ.

Probatur prima pars, quia correctio iuridica est, vt diximus, in remedium peccati, quatenus est contra bonum publicum, puniendo videlicet, & castigando ipsum, quod proprium est iustitiæ vindicatiuæ; & ita solum est in Iudice, Superiore, vel Prælato. Secunda vero pars probatur, quia si correctio fraterna delinquentis fiat ex motiuo

uo impediendi peccatum, quatenus est malum Dei. & offensa ipsius, pertinet ad Charitatem: sicut enim ad ipsam spectat procurare bonum Dei, sic etiam auertere malum, & offensam ipsius: si vero fiat ex motiuo impediendi peccatum prout est malum peccantis, & quædam miseria ipsius, pertinet ad misericordiam, cuius proprium munus est subleuatio miseriæ proximi, vt etiam iudicatur Psalm. 140. *Corripiet me iustus in misericordia*. Secundo, quia, iuxta dicta supra disputatione octaua quæstione prima, correctio fraterna est quædam eleemosyna spiritualis; quemadmodum ergo eleemosyna corporalis quando fit ex motiuo virtutis Charitatis pertinet ad illam, & est actus ipsius; quando vero est ex motiuo virtutis misericordiæ, spectat ad virtutem misericordiæ, & ab ea elicitur, sic etiam de correctione fraterna dicendum.

3. concluſ. Dico secundo, actus correctionis fraternæ est laudabilis, & honestus. Est conclusio de fide contra quosdam hæreticos, qui tempore Diui Augustini dicebant esse opus invtile, & otiosum, vt propterea Diuus Augustinus libros de correctione, & gratia contra hunc errorem scripserit. Colligitur ex Sacra Scriptura Leuitic. 19. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum*. Psalm. 140. loco relato. Prouerbiorum 27. *Melior est manifesta correptio, quam amor absconditus*. Ecclesiastic. 19. *Corripe amicum* &c. Deinde: *Corripe proximum*. Iterum: *Corripe amicum*. Iterum etiam: *Corripe proximum*. Matth. 18. *Si autem peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum*. Et Luc. 17. *Si peccauerit in te frater tuus increpa illum*. Et primæ Thessalonicens. quinto: *Corripe inquietos*. Et prim. Corinthiorum quinto: *Peccantes coram omnibus argue*. Et ratio est, quia correctio, vt diximus est, actus virtutis, Charitatis videlicet, vel misericordiæ. Deinde, quia illa ordinatur ad bonum proximi, subleuat miseriam peccantis, auertit Dei offensam, & scandalum proximi. Plura etiam PP. testimonia rem corroborant. De quibus alij.

Quæstio secunda.

An cadat sub præcepto correctio fraterna.

Conclusio. CConclusio est affirmatiua, quam docet Diuus Thomas ea quæstione 33. articulo secundo, noster Bachonius in quarto distinctione 19. quæstione prima articulo primo, & alij Theologi. Colligitur ex locis adductis Sacræ Scripturæ, maximè ex Matth. 18. & Luc. 17. locis relatis.

Secunda. Dico secundo, præceptum hoc obligat, generaliter loquendo, omnes idoneos ad corrigendum, siue Prælatos, & Superiores; siue subditos, & inferiores; iustos, siue peccatores; siue fideles, siue infideles: specialius tamen obligat Prælatos, & Superiores. Hæc conclusio colligitur ex Diu. Thom. dicta quæstione 33. articulo tertio, quarto, & quinto, & aliis Theologis cum ipso. Pro qua videndus noster Vrbanus in Theologia morali Tractatu primo capitulo 44. Et prima pars de generali omnium obligatione probatur contra quosdam antiquos dicentes solos Prælatos obligari hoc præcepto, primo, quia præcepta Charitatis, & eleemosynæ corporalis, obligant generaliter omnes; ergo, & præceptum correctionis, quod fundatur in Charitate, & est de eleemosyna spirituali cunctos etiam obligabit. Secundo ex generali illo principio Ecclesiast. 17. *Vnicuique de proximo suo mandauit Deus*, quod magis debet procedere in spiritualibus, quam in temporalibus, cum illa sint potiora, & magis necessaria quam ista.

Pars 2. Secunda autem pars de specialiori obligatione Prælatorum, seu Superiorum, probatur, tum quia ipsi regulariter loquendo, sunt magis idonei, & efficaciores ad corrigendum, quam alii; tum quia non solum obligantur ad hoc sicut priuatæ aliæ personæ ex Charitate, & misericordia, sed etiam ex iustitia, & quasi ex contractu: quia videlicet obligantur ex vi sui officii; officium enim ea conditione, & pacto, saltem implicito datur Prælatis, & Superioribus, vt sicut subditi, & inferiores tenentur illis præstare obedientiam, & reuerentiam

Digitized by Google

tiam, ita ipsi teneantur subditis, & inferioribus exhibere curam, & solicitudinem in ijs, quæ pertinent ad salutem animæ, quod fit media correctione. Vnde id non facientes tenentur in confessione manifestare hanc circunstantiam officii, vtpote, quia est contra iustitiam; vt dixi tom. prim. Quæstionum Regularium capitulo 18. numero 15. & tenent Bañez, Suarez, Turrianus, Palaus, & Amicus. Tenentur quoque inquirere de vita subditorum, vt videant si in eis forte aliqua corrigenda sunt, vt docet Diuus Thomas quæstione 33. articulo secundo ad quartum, & sequuntur Caietanus, Suarez, Valentia, Coninck, Serra, & Amicus. Vide alia quæstione sequenti.

De correctione Prælatorum.

Circa correctionem autem Prælatorum, seu Superiorum, faciendam à subditis, & inferioribus, nota, fieri debere, iuxta dicta tom. prim. Quæstionum Regularium, capitulo quarto numero 36. à grauibus personis, & maioris authoritatis; ac leniter, humiliter, & reuerenter. Diuus Thomas ea quæstione 33. articulo quarto ex illo Pauli ad Timoth. 5. *Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt patrem*, & ex Diuo Dionysio redarguente Demophylum Monachum, eo quod Sacerdotem irreuerenter correxerat. In casu tamen quo ex peccato publico Superioris sequeretur detrimentum fidei, vel scandalum in subditis etiam publicè esse corrigendum colligitur ex Diu. Thom. dicto articulo quarto ad 2. Caietano, Turriano, & aliis. Pro quo videndus *can. sicut inquit* 2. *quæst.* 7.

Dubium.

Si quæras quanta certitudine tenendum sit dari præceptum de correctione fraterna. Respondeo, esse tam certum, vt Valentia, Suarez, Granadus, & Amicus dicant esse de fide, contra Sotum. Ita enim colligi videtur tum ex locis Sacræ Scripturæ adductis quæstione præcedenti; tum ex Anacleto Papa can. *Tam Sacerdotes* 24. *quæstione tertia*, tum ex PP. qui peccati damnant omittentes illam; tum, quia tam Theologi quam Iuristæ hoc præceptum agnoscunt.

Alind dubium.

Si præterea quæratur, quale sit hoc præceptum, dico in primis esse diuinum, vt colligitur ex locis Sacræ Scripturæ adductis: deinde assero esse etiam naturale; quia sicut natura duce tenentur homines se mutuo iuuare in necessitatibus, iuxta illud 1. Corinthior. 12. *Si quid patitur vnum membrum compatiuntur omnia membra*: ita & maximè in necessitatibus spiritualibus, quod fit per correctionem fraternam: sicut in temporalibus fit per eleemosynam corporalem. Sic communiter Theologi, qui etiam docent, vel supponunt hoc præceptum obligare sub mortali; tum à simili de eleemosyna corporali; tum, quia materia ipsius est valde grauis, scilicet sublenatio hominis à miseria peccati mortalis.

Quæstio tertia.

De quibus peccatis facienda est fraterna correctio.

Diuisio peccatorũ.

PEccata vel sunt mortalia, vel solum venialia; rursus, vel præterita, vel futura, deinde vel sunt ex ignorantia, vel ex malitia, aut certa scientia commissa, vel committenda. De quibus omnibus dicendum.

Conclusio.

Dico ergo primo, peccata mortalia sunt propria materia correctionis fraternæ, id est, de quibus necessario facienda est correctio. Est veritas certa apud omnes, solo Origene excepto, qui illam viderur negare. Probatur ex illo Matth. 18. *Si te audierit lucratus es fratrem tuum*. Vt enim D. August. *serm. 16. de verbis Domini* arguit. *Nisi fecisset, perierat*: nemo autem perit, nisi propter peccatum mortale. Deinde, quia subiungitur: *Si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus*; quod non diceretur de peccato veniali. Secundo, quia per solum peccatum mortale homo constituitur in graui miseria, videlicet in periculo damnationis æternæ: ergo illud est maximè materia misericordiæ, & correctionis fraternæ.

Secunda.

Dico secundo, peccata venialia, quæ solent esse dispositio proxima, seu moralis ad mortale, vt sunt v. g. iurare frequenter, verba inhonesta, & similia, sunt materia præcepti correctionis fraternę. Sic colligo ex Siluestro, Turrecremata, Soto, Granado, Caspensi, & aliis, quibus etiam fauet Suarez. Ratio est, quia eo ipso quod talia peccata venialia sunt dispositio proxima, seu moralis ad mortale iudicari debent veluti mortalia, quantum ad præsens.

Rubr.

Text.

Rubr.

Text.

neamur illos corrigere ex vi præcepti correctionis fraternæ, quia ſolum videtur obligare ad corrigendum eos, qui peccant, vt patet ex verbis illis, *ſi peccauerit* &c. iſti autem verè non peccant: nihilominus, iuxta dicta ſupra, tenemur monere illos de tali ignorantia ex præcepto communi Charitatis, tum ob reuerentiam legis, tum ad euitandum tranſgreſſionem ſaltè materialem illius, & ſcandalum, quod poteſt eſſe; tum ad tollendam ipſam ignorantiam, quæ eſt malum graue proximi; tum maximè, ob Dei gloriam, & honorem. Videndi Lorca, Coninck, Bonacina, Palaus, & Amicus.

Quæſtio quarta.

In quibus circunſtantijs obliget præceptum correctionis.

Notatio

CVm præceptum correctionis ſit affirmatiuum, vt per ſe patet, ideo ſolum obligare poteſt tempore determinato, & concurrentibus aliquibus circunſtantijs, ſeu conditionibus, iuxta viri prudentis, & timorati arbitrium. De quibus in præſenti, ſaltem in genere dicendum, cum Siluestrano noſtro in 4. ſentent. lect. 49.

1. conditio

Dico igitur, huiuſmodi circunſtantiæ, ſeu conditiones, vt obliget præceptum correctionis, ſunt; prima, quod moraliter conſtet de peccato proximi. Probatur ex illo Matth. 18. & Luc. 17. *Si peccauerit in te*, id eſt, *coram te*, aut *te ſciente*, iuxta plurium expoſitionem. Deinde, quia correctio quamuis ſecreta continet quandam obiurgationem proximi, eſtque illi odioſa, afferens ipſi verecundiam, & niſi prudenter fiat, aliquo modo contumelioſa: non ergo eſt facienda, niſi cum morali certitudine peccati. Ita ex Siluestrano relato, Abenſi, Gerſone, Soto, Nauarro, Aragonio, Suarez, Tannero, Caſpenſi, & alij. Qui propterea ſupponunt cum S. Thom. articulo ſecundo ad 4. non debere priuatas perſonas explorare, aut inquirere defectus aliorum. Hoc enim ſolum competit Prælatis, & Superioribus, vt dixi ſupra quæſtione ſecunda.

Secunda

Secunda, quod etiam conſtat, non eſſe emendatum, correctum, aut retractatum per pœnitentiam. Quia, ſi id contigit iam ceſſat finis correctionis, quæ eſt emendatio peccatoris; imo tam non eſt illi neceſſaria correctio. Suarez, Becanus, Tannerus, Caſpenſis, Serra. Idem dicito, quando creditur ipſum eſſe timoratæ conſcientiæ, & acturum pœnitentiam, vel ab alio corrigendum. Propter eamdem rationem, Caietanus, Valentia, Turrianus, Coninch, Palaus, Granadus.

Tertia

Tertia, quod poſſimus illum corrigere ſine graui damno noſtro, vitæ, honoris, vel fortunarum. Præcepta enim nõ obligant cum tanto diſpendio, cum lex Chriſti ſit ſuauis. Ita ex Aragonio, Bañez, Valentia, Nauarro, Maldero, Bonacina, & Palao. Notant autem Nauarrus, Coninch, Palaus, & alii, id eſſe intelligendum, niſi proximus ſit in caſu extremæ neceſſitatis, qualis eſſet, ſi moriturus eſſet in peccato mortali ſi non corrigeretur. Propter dicta ſupra diſputatione quinta quæſtione tertia. An vero excuſemur a correctione facienda, ſaltem ſub mortali peccato, propter aliqualem metum, cupiditatem, vel verecundiam; aliqui abſolutè affirmare videntur innixi authoritati Sancti Thom. articulo ſecundo ad 3. nihilominus audiri non debent, ſi generaliter loquantur: ſiquidem in aliis præceptis, & polita grauitate materiæ, nunquam excuſat ſeuis timor, cupiditas, aut verecundia a peccato mortali. Solum ergo admitti debet eorum ſententia in caſu, in quo talis timor &c. (vt inquit Sanctus Thomas) *Tardiorem faciunt hominem ad corrigendum delictum fratris*: tunc enim, quia reddunt illum inefficacem ad faciendam correctionem, ſolum erit peccatum veniale illam omittere. Ita ferè ex Suarez, & Tannero, quibus fauent Caietanus, Bañez, & Valentia. Legendi etiam Coninch, & Palaus.

Quarta

Quarta, & præcipua conditio pro obligatione huius præcepti, eſt, quod ſperetur, ſaltem probabiliter, fructus emendat proximi. Ita Diu. Thomas ea quæſtione 33. articulo ſexto, Siluestranus relatus, & alijs communiter. Ratio eſt, quia alias correctio eſſet otioſa. Non tamen requiritur quod hic fructus ſtatim ſperetur, ſed ſufficit quod ſperetur in progreſſu temporis. Ita Suarez referens D. Th. Adrianum, Sotum, Siluestrum, & Nauarrum. Difficultas autem, & in praxi ſatis frequens eſt, an quando eſt dubium de tali fructu, obliget hoc

præceptum. Et distinguẽdi sunt quatuor casus huius dubij. Primus est, quando dubitatur, tam de profectu, quam de damno. Secundus, quando dubitatur de profectu, sed non de damno, quia certo creditur euenturum: Tertius è contra quando dubitatur de damno, sed non de profectu, quia etiam creditur certo futurus. Quartus vero, quando profectus est dubius, sed est certum nullum sequendum damnum. Et in primo casu dicendum, non obligare: quia in dubio de nocumento, & de fructu, cum maior sit obligatio præcepti negatiui de non nocendo, quam affirmatiui de proficiendo, quia illud obligat pro semper, istud vero non nisi in determinato tempore, cedit obligatio præcepti correctionis, quia est affirmatiuum. Ita tamen quod in casu extremæ necessitatis proximi, quia scilicet est morti vicinus, in dubio de fructu, & nocumento correctionis esse corrigendum, quia nocumentum, quod illi euenire potest ex omissione correctionis est grauissimum, & irreparabile, vt potè damnatio æterna, & superat nocumentum aliud, quod ex correctione sequi posset. In secundo casu, quando dubitatur de profectu, sed damnũ est certum, vtique dicendum non obligare correctionem; quia tunc certitudo damni superat dubium profectus. Et quia vt ex D. Augustino refertur ca. si quis autem de pœnit. distinctione 7. *Tene certum, dimitte incertum*. In tertio autem casu è contra dicendum, cum in illo profectus sit certus, & damnum incertum. Idem dico pro quarto casu; cum enim adsit certitudo, quod non sit sequendum damnum, nihil est quod impediat correctionem. De ijs Adrianus, Caietanus, Aragonius, Bañez, Azorius, Siluestet, Lorca, Suarez, Coninck, Palaus, & alij recentiores. Hæc porro omnia bene probantur à simili de medico corporali, qui cum dubio de vtilitate, & nocumento medicinæ, non potest illam applicare nisi in casu extremæ necessitatis; nec quando est dubium de profectu, & certitudo de damno, bene tamen quando est certitudo de profectu, & dubium de damno; aut dubium de profectu cum certitudine, quod non sequetur damnum vllum.

1. Cõditio

Quinta conditio est, vt in correctione facienda spectentur prudenter circunstantiæ temporis, loci, qualitatis personæ corrigentis, & corrigendæ, & alię, quæ necessariò sunt ad hoc, quod fructuosè fiat, & sequatur finis illius, qui est emendatio proximi. Sic enim vel docent, vel supponunt authores relati. Videndi etiã ex nostris Guido apud Bachonium in 4 dist. 22. quæstione 2. ipse Bachonius ibid. & Siluestranus relatus.

Qæstione quinta.

An correctio fieri debeat ordine assignato à Christo. Matthæi 18.

Ordo correctionis.

ORdo, seu modus correctionis peccatoris eo loco assignatus à Christo inquinque actibus consistit. Primus est correctio secreta illius: *Corripe eum inter te, & ipsum solum*. Secundus, si hoc nõ profit, quod fiat coram testibus: *Adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum, vel trium stet omne verbum*. Tertius, quod si neque hoc profuerit, deferatur ad Prælatum Ecclesiæ: *Quod si non audierit eos dic Ecclesiæ*. Quartus, qui supponitur, quod Prælatus eum corrigat. Denique quintus, quod si adhuc hæc correctio non profuerit habeatur pro contumaci &c. *Si autem Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus, & publicanus*.

1. concl.

De hoc ergo ordine correctionis loquendo, dicendum est, primo, illum cadere sub præcepto diuino, & non solum sub consilio; ita vt per se loquendo isti actus, & eo ordine, quo assignati sunt, exercendi sint in correctione fraterna, positis conditionibus designatis quæstione præcedenti. Conclusio est certa, & Theologorum omnium cum Magistro in 4. dist. 19. & D. Th. quæstione 33. ar. 7. & 8. Præsertim videndi Bañez, Valentia, Suarez, Turrianus, Tannerus, Lorca, & de Expositoribus huius loci Cornelius. Quare Bernardinus de Arenalo, & Salmeron, qui solum sub consilio hunc ordinem esse vt probabile defendunt, non sunt audiendi, cum eorum sententia sit singularis. Probatur primo quia videtur definitiũ ab Innocen. 3. *cap. nouit de iudic.* vbi de hoc ordine correctionis loquens eum vocat *Regulam Euangelicam*, & *mandatum diuinum*, & *cap. licet Heli de Simon*, & *cap. cum ex iniuncta de hæretic.* vbi etiam eum appellat

pellat *Regulam Euangelicam*. Et quia idem Pontifex in *cap. cum dilectus de accuſat.* dicit repellendum eſſe à denuntiatione illum, qui non præmonuit eum, quem denunciauit. Secundo, ex pluribus PP apud relatos Authores. Tertio, quia ſi correctio fraterna occulta deſignata in illis verbis: *Corripe eum inter te & ipſum ſolum* cadit ſub præcepto diuino, vt eſt certiſſimum, & ſecundum plures de fide diuina, vt diximus quæſtione ſecunda, cum totus iſte ordo correctionis ſit traditus à Chriſto ſicut ipſa correctio, & eodem contextu, & loco, & ſub verbis etiam imperatiuis, totus ille erit ſub præcepto diuino. Tertio, quia aliquis modus obſeruandus eſt in correctione proximi, ergo credendum eſt fuiſſe præſcriptum à Chriſto in eo loco, vbi clarius, & expreſsius de correctione egit.

Concl. 2. Dico ſecundo, modus iſte correctionis eſt valde conformis iuri naturæ, & ita poteſt dici, quod etiam cadit ſub præcepto naturali. Ita etiam docent, vel ſupponunt communiter Doctores. Ratio eſt clara, quia ſicut natura ipſa dictat ex virtute miſericordiæ, quod adiuuetur proximus, quando eſt in miſeria peccati, vt reſurgat, & ſubleuetur ab ipſa, ſic etiam dictat ex iuſtitia, quod hoc fiat cum minori damno, & detrimento famæ, & honoris ipſius, quod fieri poteſt: ſed hoc totum aſſequimur corrigendo ipſum ſecreto; deinde, ſi hoc non prodeſt, coram vno, vel duobus teſtibus; ac ſi nec hoc profit deferendo ipſum ad Iudicem; qui eſt modus in præſenti à Chriſto præſcriptus: is ergo eſt de iure naturæ. Id explicat optimè Sanctus Thom. articulo ſeptimo exemplo medici, qui prius confert ægroto ſanitatem ſine alicuius membri abſciſſione, ſi poteſt; ſi autem non poteſt, abſcindit ab illo membrum aliquod minus neceſſarium.

Corollariũ Vnde infertur, quod cum dicitur hũc modum correctionis eſſe de iure diuino non ſic eſt intelligendum, quod Chriſtus nouum aliquod præceptum de illo poſuerit, quod alioquin de lege naturæ non eſſet: hoc enim verum non eſt, cum ex communi doctrina Theologorum Chriſtus præter præcepta Sacramentorum nullum aliud nouum præceptum poſuerit. Solum ergo id eſt intelligendum, quia illud, quod alias de lege naturæ erat magis explicauit, & ſua authoritate confirmauit. Sic fermè Banez, Turrianus, Caſpenſis, Palaus, Amicus, & alij.

Obiici tamen poſſunt contra dicta multa, quæ afferunt Arenalus, & Salmeron relati, quibus probari videtur talem ordinem nullo modo eſſe de præcepto ſiue diuino, ſiue naturali. Sed illa ſolum probant, quod cum hoc præceptum ſit affirmatiuum, de cuius ratione eſt, quod non obliget ſemper, aut pro ſemper, ideo non ſemper obligare, ſed ſolum pro aliquibus caſibus, debitis temporibus, & circunſtantijs. **Obiectio**

Maior difficultas eſt, quia videtur verba Chriſti eo loco relata non eſſe intelligenda generaliter de omnibus peccatis, ſed ſolũ de illis, quæ committuntur cõtranos, ſiue cũ noſtra iniuria. Nam eo loco Math. dicitur: *Si peccauerit in te frater tuus*, id eſt, *contra te*, prout nõnulli PP. exponunt, & ipſe contextus cap. 18. manifeſtat, quia poſt illa verba Chriſti Petrus eum interrogauit; *Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vſque ſepties.* & Chriſtus ei reſpondit; *non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties?* Et ad hoc propoſitũ propoſuit illam parabolam ſerui, cui cum dominus magnam ſummam pecuniæ remiſiſſet, & ipſe noluiſſet alij conſeruo remittere paruam ſummam, tortoribus à domino ſuo redditus eſt. Imo cap. 17. Lucæ, quod correſpondet huic cap. 18. Matthæi, clarius manifeſtat loqui Chriſtum de peccato in nos commiſſo: dicit enim ibi. *Si peccauerit in te frater tuus increpa illum, & ſi pœnitentiam egerit dimitte illi. Et ſi ſepties in die peccauerit in te, & ſepties in die conuerſus fuerit ad te dicens: pœnitet me, dimitte illi.* Reſpondeo tamen, quod quamuis verum ſit quod expreſſe & directe Chriſtus ſolum locutus fuerit de illo peccato quod contra nos committitur, nihilominus implicite, & indirecte id intelligi voluiſſe de quocunque peccato graui, ita vt illud *in te* debeat etiam exponi *coram te*, ſeu *te ſciente*. Sic enim videtur communis ſenſus Eccleſiæ, ſiquidem omnes Theologi, & aliqui Patres, & inter eos Diuus Auguſtinus in ſua Regula, & ſermone decimoſexto de verbo Domini, & Diu. Thom. quodlib. 11. articulo 12. & ex Expoſitoribus Lyranus, Abulenſis, Maldonatus, Ianſenius, & Cornelius, illum tradunt. Vt propterea Suarez oppoſitum videatur appellare *errorem*. Et colligitur ex Summis Pontificibus Anacleto, & Innocentio tertio in ſuperioribus adductis. Ac ex eo, quod ſi Chriſtus præcipit correctionem peccati, quod contra nos committitur: ergo etiam cuiuslibet alterius commiſſi contra. **Difficultas**

contra Deum. Probatur hæc consequẽtia non solum à simili, sed quia magis debemus detestari offensam Deo quam nobis illatam: & quia finis, quem intendit Christus in correctione, scilicet lucrari fratrem, magis procedit quando offendit Deum, quam quando nos offendit. Posuit autem Christus exemplum in correctione culpæ contra nos commissæ, quia in illa vindicanda solent esse homines rigidi, & acerbi; & vt inde cognoscerent multo magis obligari ad corrigendum alios peccatores, contra quos non solent homines esse tam acerbi, & rigidi. Videndi recentiores.

Notanda. His positis, circa istum ordinem correctionis fraternæ aliqua notanda, de quinque illis actibus, qui iuxta præscriptum Christi in ea interuenire debent. Primo quidem, quod primus ille de secreta correctione, & secundus de testibus, omitti possunt, & debent quando delictum est publicum. Ratio est, quia illi solum sunt necessari; vt consulatur famæ proximi; quando autem peccatum est publicum, iam peccator est diffamatus, Vnde tunc potius publice corrigendus est, iuxta illud Pauli 1. ad Timoth 5. *Peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant*: eo quod correctio publici peccatoris non tam est propter bonum ipsius, quam propter bonum commune. D. Thomas, & alii Theologi in 4 dist. 19 Suarez, Becanus, Valentia, Tannerus, & Siluestranus noster in 4. sent. lect. 49. Secundo, nec etiã adhiberi debere quando aliquã ratio boni communis id exigat. Ratio est, quia bonum commune præferendum est bono particulari. Hoc autem contingit in peccato hæresis, proditionis patriæ, & similium Diu. Thom. quodlib. 11. articulo 13. ad fin. & artic. 7. huius quæst. noster Bachonius in 4. distinct. 18. quæst. 2. articulo primo, Caietanus, Adrianus, Castrus, Nauarrus, Sotus, Suarez, Becanus, Coninch, Valentia, Tannerus, Granadus. Tertio, quod quando quis prudenter iudicat, se nihil facturum per correctionem secretam, aut testium inductionem, potest immediatè procedere deferendo peccatum ad Superiorem. Quia tunc etiam cessat finis correctionis secretæ, & inductionis testium. Diu. Thomas artic. octauo ad 1. Becanus, Coninch, Tannerus, Granadus. Quarto, quãdo adest cessio iuris proprii prout contingit in Illustrissima Patrum Iesuitarum Religione. Ita omnes Patres Iesuitæ contra Philiarum, & Lotẽ. Et merito sanè, quia cum huiusmodi ordo correctionis institutus sit à Christo in fauorem famæ proximorum, & famę, iuxta plurimorum Doctorum sententiam, sit dominus homo, validè potest huic iuri renuntiare, imo & licitè, si id fiat propter maiorem sui mortificationem, aut profectum in spiritu, prout fit in præfata Religione. Præsertim cum Institutum Societatis, in quo hoc habetur approbatum sit à plurimis Pontificibus, & talis delatio criminis fiat ad Superiorem, non vt Iudicem, sed vt Patrem. Imo generaliter loquendo idem fieri posse in aliis Relielonibus, per Constitutiones ipsarum, vt fuisse videtur in Religionibus Prædicatorum, & Minorum, tuentur Coninch, Turrianus, Amicus, latè Oniedo, & alij. Quinto, quod tertius ille actus deferendi crimẽ ad Superiorem fiat ad ipsum, vt dixi, vt ad Patrẽ, non vt Iudicem. Ratio est, quia isto modo obtinetur finis correctionis fraternę, scilicet emendatio proximi, & cum nulla, aut parua iactura famę ipsius; quę duo attendi debent in correctione. Diu. Thom. eo artic. 8. ad 4. Adrianus, Sotus, Siluester, Caspensis. Vide Bachonium nostrum in 4. dist. 18. quæst. 2. art 3. & dist. 15. quæst. 1.

De quarto actu

Circa quartum autem actum de correctione facienda ad Prælatũ, notandum, quod quando illi delatum est tamquam Patri delictum inferioris non posse procedere ad punitionem per pœnas à iure præscriptas, sed solum debere priuata correctione eum emendare. Ita Bañez, Valentia, Tannerus, Palaus, & Caspensis. Ratio est, quia forum istud paternum correctionis fraternæ debet fieri secretò, & sine infamia, aut publicatione delinquentis, & solum in ipso debet procurari correctio, & emendatio ipsius. De modo autem sic procedendi agit Siluestranus supra, ex Bachonio. Quomodo autem procedere debeat quando delictum illi delatum est tamquam Iudici, & iuridica denunciatione diximus in nostra Summa Quæstionum Regularium to. 1. cap 27. & to 3. verbo accusare, & accusatio, verbo denunciatio, verbo hæresis, & hæret. verbo Iudex Regularis, & 4 tom. verbo testis Regularis, & verbo Tortura. Et latè, ac doctè tractat noster Petrus ab Angelis in tractatu de ordine iudiciali.

DISPV-

DISPVTATIO X.

De vitijs oppositis Charitati, scilicet, Odio, Schismate, Bello, & Scandalo.

Ordo S. Thomæ

DIu. Thom. à quæstione 3. vsque ad 43. agit de vitiis oppositis Charitati. Scilicet primum de Odio, quod opponitur ipsi ratione primarii actus ipsius, qui est Amor. Secundò, de Accedia, & Inuidia, quæ opponuntur Charitati ratione actus ipsius, qui vocatur Gaudium. Tertiò, de discordia, contentione, schismate, bello, rixa, & discordia, quæ opponuntur etiam Charitati, ratione actus ipsius, qui vocatur *Pax*. Quartò, de Scandalo, quod etiam opponitur Charitati ratione actus ipsius, qui vocatur Beneficientia. De singulis igitur agendum in hac disputatione.

Quæstio prima.

De odio Dei, & proximi.

De odio

DE Odio, prout est prima passio appetitus concupiscibilis nonnulla diximus tom. 2. præced. Tract. 3. disputatione secunda quæstione prima. Præsertim de diuisione illa odij in odium abominationis, & odium inimicitiæ: de qua etiam ex nostris Cornexus to. 1. in 1. 2. tract. 5. disp. 1. dub. 1. & Salmantic. in arbor. virtutum num. 4. Est autem, prout ad præsens attinet, odium abominationis, fuga, seu auersio, alicuius rei, vel personæ, quatenus est nobis contraria, vel infesta; odium vero inimicitiæ, voluntas, qua volumus alicui malum, prout malum ipsius est. Quæ cum sint contra Charitatem, ideo de ipsis agendum. Solet autem hoc posterius odium ex illo priori oriri, iuxta illud Sapient. 2. *Circumueniamus iustum, quia contrarius est operibus nostris.* Iuxta ordinem ergo Diu. Thom. quæstione 34. primo quærimus, vtrum quis possit Deum odio habere. Secundo, an odium Dei sit maximum peccatorum; Tertio, vtrum odium proximi sit etiam maximum peccatum erga proximum. Quarto, an oriatur ex inuidia.

Et ad primum dicendum, quod licet Beatus, aut videns Deum sicuti est, non possit illum odio habere, viator tamen id potest facere. Prima pars constat ex dictis tom. præcedenti tract. 1. disput. 5. quæstione prima. Secunda vero prob. à Sancto Thom. articulo primo dictæ quæst. 34. quia viator potest apprehendere Deum, vt malum sibi, quatenus videlicet; est, *peccatorum prohibitor, & pœnarum inflictor*. Ergo vt sic potest illum odisse, odio quidem abominationis, quatenus illum apprehendit vt sibi contrarium, vel infestum; odio vero inimicitiæ, volendo illi aliquod malum, verbi gratia non esse &c. De odio Dei

Ad secundum dico, odium Dei est maximum omnium peccatorum, Ita Sanctus Thomas articulo secundo dictæ quæstion. 34. & communiter Theologi. Quod etiam nos diximus supra disputatione prima quæstione quinta. Colligitur aliquo modo ex eo quod dixit Moyses Numer. 10. *Dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te.* Ratio est, quia non solum opponitur virtuti perfectissimæ, scilicet Charitati, & perfectissimo actui ipsius, scilicet amori Dei; sed etiam includit expresse, & directè auersionem à Deo, quam alia peccata mortalia solum indirecte includunt, quatenus important conuersionem ad bonum commutabile, ad quam sequitur. Vide D. Th. supra, eius Expositores, & Valentiam. Addit S. Th. ar. 2. ad 1. odium Dei posse dici peccatum in Spiritum Sanctum, quod intellige, quatenus includit talem malitiam, quæ directe opponitur bonitati Dei, quæ appropriatur Spiritui Sancto. Vide Conincknium. Quomodo autem desperatio aliquo modo sit grauius peccatum quam odium Dei, diximus tract. 2. disp. 4. q. 4. Quale peccatum

Ad tertium dicendum, odium proximi non solum esse peccatum, prout clare colligitur ex Leuit. 19. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo*, & 1. Ioann. 2. *Qui odit fratrem suum in tenebris est, & in tenebris ambulat*. Sed etiam esse grauissimum omnium peccatorum, quæ sunt contra proximum. Ita D. Th. ar. 4. Suarez, Tannerus, Lorca, Turrianus, & alij. Ratio est, quia opponitur perfectis- De odio proximi

fectissimæ virtuti, scilicet Charitati; & auertit directe voluntatē à proximo, cū tamen alia peccata contra ipsum non id habeant directe, sed solum indirecte: & quia est radix, & origo aliorum peccatorum contra proximum. Vnde noster Ioannes Beetz de præcept. decalog. præc. 5. exposit. 1. cap. primo, odium comparat homicidio, iuxta illud 1. Ioann. 3. *Omnis, qui odit fratrem suum homicida est.*

Notatio

Aduertendum tamen primo cum eodem D. Th. & alijs, quod cum dicitur odium proximi esse grauissimum omnium peccatorum contra illum, intelligi id debere, quantum ad deordinationem eius qui peccat, quia scilicet vt diximus, per odium proximi directe auertitur homo ab ipso, per alia autem peccata non nisi indirecte: non vero quantum ad nocumentum quod illi infert, quia vt sic peiora sunt furtum, homicidium &c. Secundo, id maxime intelligi debere de odio inimicitiæ, quo scilicet aliquis vult malum aliquod proximo vt malum ipsius est; quemadmodum amor amicitiæ est velle bonum amico prout bonum illius est: non vero de odio abominationis, quod solum importat auersionem, & fugam ab ipso proximo quatenus est contrarius nobis. Ratio est, quia hoc odium abominationis est indifferens ex parte sui obiecti; & sæpe est bonum, vt si quis auersetur peccatores, pront tales sunt, iuxta illud iniquos *odio habui, & legem tuam dilexi*: vel fugiat cōsortium illorum, quatenus illi sunt occasio peccati, vel scandalum: & quandoque solum peccatum veniale, vt si illorum commercium fugiat, propter discrepantiam morum, ingenij diuersitatem &c. Vide Coninc. Kium, Laimanum, Baldellum, & Bonacinam. Ac vero cum odium inimicitiæ sit velle malum proximo quatenus malum ipsius est, ideo est valde contrarium naturæ rationali; malum ex parte obiecti; imo propterea intrinsice malum: ac ita habet prædictam grauitatem. si tamen aliquis velit malum proximo non quia malum ipsius est, sed propter aliquem bonum finem spiritualem, talis actus non erit odium, aut peccatum, sed erit bonus. Vt patet in actibus modo referendis.

Actus boni

Primus est, desiderare punitionem, & mortem malefactorum à publica potestate infligendam. Secundus, desiderare mortem peccatoris scandalosi, ne alijs sit occasio ruinæ. Tertius, desiderare illi infirmitatem, seu pecuniarum amissionem, vt à peccatis desistat. Quartus, desiderare peccatoribus, maximè illis, qui sunt inimici Ecclesiæ, interitum, & ruinam temporalem, si non sint conuertendi. In his enim, & similibus casibus non desideratur illis malum prout malum ipsorum est, sed prout est conducens ad finem Charitatis, iustitiæ, vel alterius virtutis. De illis Nauarrus, Ledesma, Lessius, Toletus, Tannerus, Laymanus, Ioannes Sancius, Bonacina, Castrus Palaus, & alij.

Explicatio

Dixi autem propter aliquem bonum finem spiritualem; quia desiderare malum alicui propter bonum temporale inferioris ordinis, quam sit illud quo priuatur per illud malum, vt est desiderare illi mortem, propter hæreditatem ipsius habendam, est actus valde inordinatus cum per illud anteponatur minus bonum maiori; & ita est contra Charitatem. Ho etiam, quod si semel admittatur posse nos desiderare malum alicui propter bonum temporale inferioris ordinis, quod nobis eueniet, nullus actus malevolentiæ esset odium proximi, sed esset excusabilis, quia diceretur esse propter aliquam commoditatem nostram, quod esset aperire viam in numeris peccatis contra Charitatem. Et ita hanc sententiam tenent Nauarrus, & Tannerus dicentes esse commu. nem. Esto Castrus Palaus, cui alij fauere videntur teneat oppositum. Immerito tamen.

Dubium

Si quæras, an odium sit peccatum vnius speciei, an vero sub se contineat plures species. Respondeo, quod si loquamur de vitio odij, vnus habitus secundum speciem sufficiet ad eliciendum actus odij Dei, & proximorum; sicut è contra vnus habitus Charitatis ad actus amoris Dei, & aliorum. Sic ex Suarez, & Turriano, Loquendo autem de actibus odij Dei, & proximi; odium Dei, & odium proximi sunt diuersæ speciei. Ratio est, quia licet vtrumque opponere Charitati, nihilominus odiū Dei offendit ipsum directè, & auertit hominem ab ipso etiam directè; odium vero proximi solum habet hæc indirectè. Vnde in confessione debent distingui. Banez, Valentia, Coninch, Torres, & Palaus. Loquendo vero de odio proximi, Caietanus, Valentia, & Turrianus, negant in illo reperiri plures species, quia omne odium proximi habet idem motiuum formale: at vero Suarez, Coninch, & Palaus tenent oppositum. Vtrumque probabile speculatiuè

loquen-

loquendo: ſi tamen dicamus, quoad praxim, & confeſsionem ſacramentalem, deberi manifeſtare differentiam odij, quando malum volitum proximo eſt valde graue: vt ſi quis illi velit damnationem æternam, vel quid ſimile.

Quæſtio ſecunda,

De Acedia.

1. concluſ. Dico primo. *Acedia*, quæ ab aliis *Acidia*; ab Alijs vero *Accidia* vocatur, eſt triſtitia de bono ſpirituali diuino, quod ex fine creationis noſtræ tenemur in nobis conſeruare. Ita colligo ex Diuo Thoma quæſtione 35. articulo ſecundo in corpore adiuncto eo, quod dicit articulo tertio ad ſecundum, Nauarro, Caietano, Bañez, Coninchio, Reginaldo, & Palao; ac noſtro Siluestrano in ſecund. ſentent. lectione 72. Pro quo notandum, hominem ex vi creationis, qua à Deo conditus eſt, cum ſit ordinatus ad finem ſupernaturalem Beatitudinis, iuxta vulgare illud Diu. Auguſtin. *Creaſti nos Domine ad te*, teneri curare ſe eſſe amicum Dei, & filium ipſius adoptiuum; vt poſſit conſequi hæreditatem vitæ æternæ: ac per conſequens etiam obſeruare ea, quæ ſunt neceſſaria ad talem amicitiam Dei tenendam, & conſeruandam, & Beatitudinem conſequendam, ſcilicet adimpletionem præceptorum, quæ obligant ſub mortali. Quia ergo hæc præceptorum adimpletio habet ſibi annexa laborem, & moleſtiam, ideo homines ex humana fragilitate dolere poſſunt de tali Dei bono ipſis per Creatorem conceſſo, quod eſt *acedia*, ſeu triſtitia, de qua in præſenti agitur.

Secunda Dico ſecundo, huiuſmodi acedia, ſeu triſtitia eſt ſpeciale peccatum. Ita Sanct. Thom. articulo ſecundo, & alij Theologi. Ratio eſt, quia licet triſtari de bono ſpirituali, ſeu diuino, generaliter loquendo non ſit peccatum ſpeciale, ſed generale contra alias virtutes, quæ ſicut inclinãt ad actum gaudij circa proprium obiectum, ita etiam vitia eis oppoſita inclinant ad triſtitiam de ipſis: ſi quis enim doleat de ieiunio, talis triſtitia oritur ex vitio intemperantiæ, & opponitur virtuti temperantiæ, & ſi quis doleat de obligatione reſtituendi pecuniam, quam ſurripuit, talis dolor, ſeu triſtitia elicitur à vitio iniuſtitiæ, & opponitur virtuti iuſtitiæ. Sed dolere, ſeu triſtari de hoc, quod eſt eſſe creatum cum obligatione procurandi Dei amicitiam, & præceptorum ad illam neceſſariam, eſt ſpeciale motiuum malum, & vitioſum: ergo conſtituet ſpeciale peccatum. Valentia, Suarez, Bonacina, & alij.

Tertia. Dico tertio, hoc ſpeciale peccatum acediæ eſt contra Charitatem. Ita communiter Theologi. Et ratio eſt, quia proprium eſt Charitatis gaudere de amicitia Dei, & ipſius fruitione: ergo è contra triſtari de tali amicitia, ſeu fruitione, occaſione accepta ex moleſtia, ſeu labore, quæ ſunt in adimpletione præceptorum, quæ pro illis eſt neceſſaria, erit etiam peccatum contra Charitatem. Confirmatur, quia in humanis, ſiquis triſtetur de amicitia Regis, aut Principis propter fugienda onera, quæ ipſis tenetur exhibere, vt amicus illorum; proculdubio peccaret contra amicitiam ipſorum: ergo ſimiliter in propoſito dolor, ſeu triſtitia de amicitia Dei erit contra Charitatem, quæ, vt diximus in ſuperioribus, eſt amicitia inter Deum, & homines. Si dicas ex hoc ſequi acediam eſſe idem, acodium Dei, quod etiam opponitur Charitati. Contra hoc eſt, quia odium Dei eſt de bono intrinſeco Dei, vel ad ipſum ſpectante, at vero acedia ſpecialis eſt de bono Dei, prout hominibus communicato. Diu. Thomas articulo tertio ad ſecundum; Caietanus, Suarez, & Palaus.

Quarta. Dico quarto, hoc peccatum ex genere ſuo eſt mortale, Sanctus Thomas articulo tertio, & alij cum ipſo, ſpecialiter noſter Siluestranus ſupra. Ratio eſt, quia directè repugnat amicitiæ Dei, & eſt virtualis contemptus ipſius, & ita graue ipſius iniuria. Quo tamen non obſtante, vel propter indeliberationem, vel propter ſimilem cauſam ſæpius non erit peccatum mortale, ſed tantum veniale, vt obſeruant Siluester, Tannerus, & alij.

Quinta. Dico quinto, Acedia eſt vnũ ex ſeptem peccatis, ſeu vitiis capitalibus. Ita Sanctus Thomas articulo quarto, quem Siluestranus noſter ſup. & alii Theologi ſequuntur. Quia vitium capitale eſt illud, ex quo alia vitia oriuntur: ſed ex Diu. Gregor. 31. moral. cap. 31. talis eſt acedia, cuius filiæ ſunt *malitia, rancor, puſillanimitas, deſperatio, torpor circa præcepta, & euagatio mentis circa illicita*: quas etiam enumeratut idem

Diu. Thom. in solutione ad 2. Et sic explicantur; per *malitiam* intelligitur odium, & detestatio bonorum spiritualium. Per *rancorem* ira contra eos, qui spiritualia mouent, seu hortantur. Per *pusillanimitatem*, eam, quæ est circa bona spiritualia, quatenus sunt ardua, & difficilia. Per *desperationem*, fuga, seu recessus à consecutione beatitudinis. Per *torporem*, eum, qui est circa obseruationem præceptorum. Per *euagationem mentis*, conuersio hominis ad res illicitas, quę delectare possunt. Cuius rationem optime assignat idem S. Doctor ex Arist. 8. Ethic. cap. 6. dicente: *nemo diu permanere potest in tristitia sine delectatione*. De his idem Diu. Th. in solut. ad 2. Valentia, Toletus, Reginaldus, & Paulus, ac maximè idem, qui vt supra, Siluestranus noster.

Quæstio tertia.

De Inuidia.

1. conclus. Dico primo, Inuidia est dolor, seu tristitia de bono alterius, quatenus est diminutiuum boni proprij. Ita Diu. Thomas quæstione 36. articulo primo, & alij Theologi cum ipso, specialiter noster Ioannes Beetz in præcept. Decalogi præcept. 5. expositione prima capitulo primo, conformiter ad doctrinam Aristotelis, & D. Damasceni.

Notandum. Pro cuius explicatione notandum, multipliciter posse aliquem dolere, seu tristari de bono alterius; quandoque licite, & honestè, quandoque verò illicitè, & peccaminosè. Primo enim, si quis doleat de bono alterius, quia inde sequitur sibi aliquod damnum iniustè incutiendum ab illo, vt si quis doleat de exaltatione sui inimici quia timet illi incussurum aliquod damnum iniustè, licitè tacit, quia licite potest refugere malum illud iniustè sibi illatum. Deinde si quis doleat de bono alterius non præcisè, quia illud habet, aut quod vellit quod careat ipso, sed quia dolens caret ipso, talis dolor est bonus, &, si est circa res spirituales, vocatur zelus, seu æmulatio, quæ commendatur ab Apostolo 1. Corinth. 14. dum inquit: *Æmulamini spiritualia*. Præterea si quis doleat de bono alterius, quia illo est indignus, vt cum quis videns dignitatem conferri indignis de eo tristatur, talis actus vocatur ab Aristotele 2. Rethoric. cap. 11. *Nemesis*, seu indignatio, & potest esse bonus, quia est de indigna possessione talis bonorum. Etsi etiam possit esse malus, si referatur in Dei prouidentiam conferentis, vel permittentis conferri hæc dona indignis, prout ex Diuo Thoma articulo secundo huius quæstionis elicitur. Potest etiam esse malus talis dolor, si habeatur de bono alterius, quatenus bonum illius est, aut ex displicentia ipsius. Talis enim dolor est odium, de quo dix. quæstione prima. Similiter, si quis doleat de bono alterius ex vindicta, sicut ipsa vindicta est mala, ita & talis dolor. Si denique quis doleat, aut tristetur de bono alterius, quatenus est diminutiuum boni proprii, est malus, & propria inuidia, de qua in præsenti. Propterea enim Aristoteles 2 Rethoric. & Diu. Thom. articulo primo inquiunt, inuidiam non esse inter multum dispares, sed fundari in quadam æqualitate, quia videlicet, quando personæ sunt multum dispares, excellentia vnius non æstimatur vt deprimens, aut diminuens excellentiam alterius; quod secus contingit, quando sunt personæ aliquo modo æquales. De his Diu. Thom. articulo primo, & secundo, Caietanus, Lessius, Suarez, Coninch, Toletus, & ex nostris Beetz relatus, & Salmanticenses in arbore virtutum numero 27.

2. conclus. Dico secundo, inuidia prout in præsenti est peccaminosa, & ex genere suo peccatum mortale. Ita Diu. Thom. articulo secundo, & tertio, Nauarrus, Valentia, Reginaldus, Bonacina, Salmanticenses supra, & alij. Colligitur ex Apostol. ad Roman. 1. vbi Ethnicos vocat *plenos inuidia*, & traditos à Deo in *reprobum sensum*; & infra; *digni sunt morte*. Deinde, ratione; quia hoc vitium est contrarium Charitati, quæ inclinat ad amorem proximi, & gaudium de bonis ipsius. Hoc tamen non obstante inuidia poterit tantum esse peccatum veniale, tum ob imperfectionem consensus, seu deliberationis; tum ob leuitatem materiæ, prout contingit in pueris. Ita etiam communiter Doctores.

Tert. Dico tertio, inuidia est vitium capitale. Ita Diu. Th. art. 4. iuxta doctr. Diu. Greg. Et ratio est, quia, vt ipsi inquiunt, ex inuidia oriuntur plura peccata contra proximum, scilicet, odium, susurratio, detractio, gaudium in aduersis, & tristitia in prosperis. Legantur Caietanus, & alij Expositores, ac Beetz relatus.

Digitized by Google

Quæstio quarta.

De Discordia.

Notandū. NOta cum Salmanticensibus nostris in arbore prædicamentali virtutū num. 27. quod paci, quæ est vnus ex actibus internis Charitatis, iuxta dicta supra disputatione sexta quæstione 5. quatenus importat tranquillitatem in corde, opponitur discordia; vt vero dicit conformitatem in verbis opponitur contentio: vt significat tranquillitatem in factis, & operibus opponitur schisma; præterea, prout significat vnionem inter Rempublic. & Rempublicam opponitur bellum, & prout denotat conformitatem inter personas particulares opponitur rixa, quę est paucorum contra paucos: denique, quatenus significat vnionem inter partes eiusdem Reipublicę vocatur seditio, quę est multitudinis contra multitudinem in eadem Republica. Sic fermè ex nostris Doctoribus Ioannes Beetz de præcept. Decalogi præcepto octauo expositione secunda capitulo septimo, & Salmanticenses in arbore prædicam. virtut. numero 27. Quo posito

1. conclus. Dico primo, Discordia, prout in præsenti, est dissensio voluntatis à voluntate proximi circa bonum, quod velle ex Caritate tenemur. Ita Theologi passim conformiter ad doctrinam Sanct. Tho. quæstione 29. articulo tertio, & quæstione 37. articulo primo. Dixi, esse dissensionem voluntatis & voluntate proximi, quia non est dissensio intellectus; hæc enim, vel non est peccatum, vt patet in opinionibus, & iudicijs humanis, vel casu, quo fit in rebus fidei erit infidelitas contrà ipsam fidem. Dixi etiam circa bonum, quod velle tenemur; nam si non tenemur velle id, quod proximus vult, nullum erit peccatum ab eius voluntate discordare. Præsertim etiam, quia sæpius tenemur discordare à voluntate proximi, quando videlicet ipse vult aliquod peccatū. Dixi quoq; ex Charitate, quia non omnis dissensio à voluntate alterius est discordia, sed vel est inobedientia, vt quando subditus discordat à voluntate Superioris, vel iniustitia, aut aliud vitium, quando discordat ab ipso in ijs, ad quæ tenetur ex iustitia, vel ex alijs virtutibus. Solùm ergo erit discordia, quando fuerit dissensio in ijs quæ pertinēt ad vinculum Charitatis: sicut è contra concordia proprie solum est consensio voluntatum in ijs, quę spectant ad Charitatem.

Secunda Dico 2. Discordia ex suo genere esse mortale peccatum. Ita S. Thom. eo articulo primo, & eius expositores. Colligitur primo ex ad Galatas 5. vbi inter peccata, quæ à Regno Dei excludunt ponitur dissensio, seu discordia; & ex Proueb. 6. vbi dicitur, Deum detestari *eum, qui seminat inter fratres discordias*. Dixi autem ex suo genere, quia, vt notant dicti DD. per accidens, scil. ob defectū pleni consensus, seu deliberationis, vel ex leuitate materiæ, potest discordia esse solum peccatum veniale.

Addit. Addit Sanct. Thom. ar. 2. ex doctrina D. Gregor. discordiam esse filiam inanis gloriæ, ex eo videlicet quod frequenter ex illa oriatur. Superbi enim, & inanis glorię cupidi cum se ipsos alijs præferant facile ab ipsorum voluntate se separant, quod est discordia.

Qæstione quinta.

De Contentione.

Contēdo. COntentio prout in præsenti est concertatio verborum cū proximo ad impugnandā veritatem. Sic enim communiter eam definiunt Theologi ex S. Th. quæstione 38. articulo primo & 2. Dicitur *verborum* vt distinguatur à discordia, quæ est voluntatum, vt dictum est quæstione præcedenti, vnde ex illa oriri solet sicut ipsius effectus. Dicitur etiam ad *impugnandam veritatem*, quia si fiat ad illam defendendam, vel gratia disputationis, ad illam magis elucidandam, prout contingit in disputationibus, quæ fiunt in scholis, non est contentio vitiosa, de qua est sermo in præsenti, quia potest esse bona, & laudabilis, nisi forte ex aliquo accidenti extrinseco reddatur mala.

1. conclus. Dico primo, Contentio est vitium, seù peccatum quandoque contra alias virtutes, quandoque autem specialiter cōtra Charitatem. Sic Theologi relati. Et quidem, quod sit peccatum, colligitur primo ex illo ad Rom. primo, *plenos inuidia, homicidio, contentione*. Et infra, *Deo odibiles*. Et ad Galat. 5. numeratur inter

opera carnis. Ac 2. ad Timoth ait Apostolus *noli contendere verbis*. Secundo, quia, vt dictum est quęstione præcedenti, sicut discordia opponitur paci, & concordiæ voluntatum, sic contentio opponitur paci, & concordiæ verborum. Quod possit esse contra alias virtutes constat, quia si sit in rebus speculabilibus, erit contra virtutem studiositatis, & si sit in rebus practicis & moralibus erit contra prudentiam; imo si sit decipiendo proximum erit cõtra iustitiam. Quod vero specialiter sit contra Charitatem, etiam probatur, quia specialiter opponitur paci, quę est actus Charitatis, & diuidit, ac separat animos, quos Charitas vnit, & coniungit. Imo, specialiori modo erit cõtra charitatem quando aliquis directè intendat contradicere alicui illum separando à cõmuni, & vero sensu aliorum. De illa plura, & erudita noster Ioannes Beetz in 8. præcept. Decal. expos. 2. cap. 5. per totum.

Addit S. Th. articulo secundo, contentionem esse filiam inanis gloriæ, tum propter authoritatem D. Gregorij, tum simili propter dicta de discordia. Idem sequitur Beetz relatus vocans eam filiam superbię. An autem sit peccatum mortale, vel veniale, dicendum videtur ex genere suo esse mortale, sicut dixi de discordia. Et quia Apostolus ad Rom. 1. eam coniungit cum homicidio, & inuidia. Et ad Galatas 5. eam ponit inter peccata, quę à Regno Dei excludunt. Et 2. ad Timoth. 2. dicit causare subuersionem audientium. Per accidens tamen, vt dixi de discordia, solum erit peccatum veniale, vel ex parte materię, vel defectu consensus, seu deliberationis. Vide Beetz relatum.

Quęstio sexta.

De Schismate.

Schisma

EX dictis tom. 3. Summæ Quæstionum Regularium verbo *Bulla Cœnæ num. 9.* constat, Schisma esse voluntariam separationem ab obedientia, id est, vnitate vniuersalis Ecclesiæ, vel Summi Pontificis. Sic enim tenet Sanctus Thomas hic quæstione 39. articulo primo, & ibi Caietanus, & alii eius Expositores, ac ex nostris Siluestranus in 4. sentent. lect. 35. Et colligitur ex ethimologia nominis, Schisma namque deriuatur à verbo Græco, quod significat *scissionem*. Constat etiam ex dictis eo numero nono, Schismaticum non esse illum, qui se separat ab obedientia illius, quem putat probabiliter non esse Papam, quando videlicet sub dubio est, quisnam sit, vel non sit Papa. Similiter, quod quamuis numquam detur hæresis sine schismate, nihilominus è contra posse schisma cum hæresi, & sine hæresi reperiri. Item schismaticorum pœnas esse priuationem Ecclesiasticæ potestatis, seu iurisdictionis Ecclesiasticæ; inhabilitatem ad beneficia in futurum consequenda, & excommunicationem latam in Bulla Cœnæ. Quomodo etiam schismatici, qui non sunt verè hæretici, sunt membra Ecclesiæ, dixi supra Tractat. 1. disputatione octaua, quæstione quarta. An Concilium generale possit deponere Papam tempore schismatis, quando esset dubium an Papa esset, indicaui ea disput. octaua quæstione sexta. De quibus, & aliis cõcernentibus Azor, Valentia, Suarez, Sanchez, Naldus, & Bonacina eo loco relati. Quibus etiam iunguntur alii Authoris infra referendi.

Quale peccatum sit

Specialiter de schismate, prout ad præsens intentum attinet, dicendum, esse peccatum, seu vitium contra Charitatem. Ratio est, quia quantum est de se scindit vnitatem Ecclesię, quam Charitas intendit. Vnde est grauissimum peccatum, quia infert grauissimum dãnum Ecclesiæ, scilicet scissionem in illa. Quod non solum est verum, quando talis scissio est directè volita, sed etiam quando solum indirectè intenditur, faciendo videlicet aliquid, per quod quis separetur à tali vnitate; prout contingit in Anglia, & aliis Regionibus schismaticis, in quibus subiectio, & reuerentia debita Papæ tribuitur alicui Principi sæculari. Est tamen ex suo genere leuius infidelitate, licet per accidens ratione scandali, & damni, sæpe soleat esse grauius. Sanctus Thomas quæstione 39. articulo secundo, Caietanus, Valentia, Suarez, Tannerus, Bonacina, Palaus, & alij.

Dubium.

Si quæras, an Summus Pontifex possit esse schismaticus. Respondeo, quod quemadmodum dicitur de hæresi, quod esto, quod sit pium, & probabile, ex parte diuinæ prouidentiæ, quod nunquã ita continget, quamuis metaphysicè loquendo id non repugnet; sic etiam de schismate dicendum. Ratio est non solum, quia hoc modo loquendo potest

esse

eſſe hæreticus; omnis autem hæreticus, iuxta dicta loco relato eſt ſchiſmaticus: ſed etiam, quia poteſt ſeparare ſe ab vnitate Eccleſiæ in Sacramentorũ, & cultus diuini exercitio, & aliis cæremoniis diuina, vel Apoſtolica traditione receptis. Turrecremata, Caietanus, Coninck, Valentia, & alij.

Corollarij. Ex dictis autem infertur primo, non eſſe ſchiſmaticum eum, qui ſe ſeparat à ſuo Epiſcopo, vel Prælato regulari, ſi non ſe ſeparet à Papa, vel Eccleſia. Secundò, nec eſſe ſchiſmaticum eum qui Pontificis mandatum non implet ex odio, vel paſſione, vel propter aliam ſuam commoditatem, dummodò ipſum recognoſcat vt Eccleſiæ Superiorem. Similiter neque erit ſchiſmaticus, qui dominum temporale Papæ in aliqua ciuitate non recognoſcat. Quia hoc non eſt ſeparare ſe ab Eccleſia, aut eius capite, quatenus caput illius, eſt D. Th. quæſtione 39. articulo primo, Caietanus, Bañez, Lorca, Valentia, Sanchez, & alij, qui de ſimilibus aliis caſibus idem dicunt.

Quæſtio ſeptima.

De Bello.

Bellum. 1. DE bello plura dixi to. 3. meæ Sũ mç quæſtionũ regular. verb. *Bellum*, quorum aliqua hoc loco repeti debent pro materiæ cõplemẽto, & quatenus bellum eſt peccatum, ſeu vitium contra Charitatem: plura etiam remittendo ad tomũ ſequentem, dum agetur de virtute iuſtitiç, quatenus videlicet bellum eſt contra illam.

Ethimologia. Igitur ex dictis eo verb. *Bellum*, ſuppono quoad nominis ethimologiam deriuari à bellua, vt voluit Feſtus, quia proprius belluarum, quam hominum videtur bella gerere. vel à *bello*, id eſt pulchro per antiphraſim, quia nihil pulchri habet. Quomodo etiam diſtinguatur à rixa, & ſeditione, dixi eo loco, & etiam ſupr. quæſtione 4. De diuiſionibus belli in offenſiuum, & diſenſiuum, iuſtum, & iniuſtum, & de conditionibus ad bellum iuſtum requiſitis, quæ ſunt legitima authoritas, cauſa iuſta, & recta intentio, etiam dixi eo verb. *Bellum*, num. 3. præſertim ex noſtris Authoribus Bacconio, Michaele de Bononia, & Ioanne Beetz.

Belli conditiones. Nunc verò ſpecialiter circa tres iſtas conditiones pro bello iuſto neceſſarias notandum, quod licet aliqui DD. moderni loco tertiç illius conditionis pro bello iuſto requiſitç, ſcilicet rectæ intentionis aliam conſtituant, ſcilicet debitum modum, nihilominus modus iſte potius eſt ipſa belli ſubſtantia, vel circumſtantia ipſius; non conditio, aut aliquid ſe tenens ex parte principij, quod per conditionem denotatur. Melius ergo Sanct. Thom. quæſtione 40. articulo primo iuxta mentem D. Auguſt. quem ſequitur, quibus adhærent ipſius Expoſitores, & cum illis Bellarminus, Becanus, Tannerus, Granadus, & alij, tres tantum illas conditiones aſſignant.

Hoc poſito dico primo, defectus tertiæ conditionis, ſcilicet rectæ intentionis, facit quod bellum ſit contra Charitatem; defectus autem primæ, ſcilicet legitimæ authoritatis indicentis illud & defectus ſecundæ, ſcilicet cauſæ iuſtæ, faciunt quod ſit contra iuſtitiam: itaut habeat annexum onus reſtituendi damna per illud illata. Ita enim ex cõmuni doctrina tenent Caietanus, Bañez Valentia, Molina, Tannerus, & alij. Et probatur à ſimili de iudicio forenſi, qui enim in illo procedit ſine legitima authoritate, per quam ſit legitimus iudex, vel ſine cauſa iuſta, peccat contra iuſtitiam, & tenetur reſtituere damna illata; qui vero ſolum deficit in recta intentione, ſcilicet, quando etſi habeat legitimam authoritatem, & cauſam iuſtam, nihilominus procedit in tali iudicio ex mala voluntate, odio, vindicta, &c. ſolum peccat contra Charitatem. 1. concluſ.

Dico ſecundo, poſitis iſtis conditionibus, bellum tam defenſiuum, quam offenſiuum eſt licitum, & honeſtum. Eſt concluſio certa de fide. Colligitur enim primo ex Sacra Scriptura in veteri Teſtamento, vbi talia bella facta à Viris Sanctiſſimis, Abraham videlicet, Moyſe, Ioſue, & Dauid, referuntur, & cõmendantur. Idem dico de bellis Gedeonis, Sanſonis, & Machabæorum. Et in nouo Teſtamento Luc. 3. militia approbari videtur, dum militibus dixit Ioannes: *Contenti eſtote ſtipendijs veſtris*, & Matthæi 8. dum commendatur fides Centurionis, & Act. 10. Cornelius Centurio, qui tamen militiam exercebant. Secũdo, ex Iure Canonico, præſertim cauſa 23 quæſtione prima & 2. vbi plura etiam ex PP. Ratio etiam id conuincit; quia, ſi bellum eſt defenſiuum, iure naturali eſt licitum, quia ſe ipſum defendere natura dictat. Vnde etiam aliquando non ſolum licitum, ſed ſub præcepto eſt, Secunda.

Gu-

Gubernatoribus Republicæ, seu Ciuitatis, quando alio modo nequeunt bono publico consulere. Si verò fuerit offensiuum, etiam eodem iure naturali dictante licitum erit, quando necessarium fuerit Reipublicæ, vt se incolumem seruet, & iniurias imminentes propulset. Ita cum authoribus relatis, Suarez, Palaus, & alij moderni.

Bellum quando prohibitum

Quia tamen Manichæi olim, & postea Vviclephi, vt colligitur ex nostro Valdens. tit. vlt. c. penultimo de sacramentalib to 3. & nostris temporibus Erasmus, Lutherus, & aliqui hæretici, bella Christianis esse illicita dixerunt, ex varijs fundamentis, tum ex Sacra Scriptura, tum Sacris Canonibus, & PP. pro eorum solutione generaliter aduertendũ, quod quamuis bellum, etiã inter Christianos sit licitum, imò aliquando sub præcepto, quia tamen est ex illis rebus, quæ solum sunt bona, occasione aliquorum malorum, & quæ vocantur *malè sonantes*, vt sunt *cambia, negotiationes* &c. & quia vt in plurium ex eo sequuntur, saltem per accidens, plura peccata, & quia videntur esse contraria benignitati, & lenitati Christi, de quo dicitur Isaiæ 42. & Matth. 12. *Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet*. & præsertim, quia tres illæ conditiones pro bello requisitæ non ita facilè concurrunt, ideo bella aliquando prohiberi videntur. Addo absolute prohiberi respectu priuatarum personarum, & ad vlciscendum priuatas iniurias. Vide Becanum.

Tertia conclusio.

Dico tertio, bella gerere, seu militare etiam in bello iusto specialiter est prohibitum Ecclesiasticis personis. Prout latè dixi eo verbo *Bellum num.* 9. ex varijs iuribus, & D. Th. hic q. 40. ar. 2. vbi etiam ipsius Expositores. Addo quia in ipsis propter perfectionem status ipsorum, & quia dedicati sunt cultui diuino maxime procedunt ea, quæ adduxi. Prohibitio autem ista videtur esse sub mortali. Quia grauitas materiæ id expostulat, & pœnę, quę illis imponuntur in Iure canonico, scilicet priuatio Ordinum, reclusio in Monasterio, & similes sunt valde graues. D. Th. supra, Siluester, Caietanus, Couarrubias, Valentia, Molina, Suarez, Bonacina, Palaus, & alij. Quamuis autem nomine Clericorum, quibus interdicitur pugnare etiam in bello iusto, intelligãtur Clerici in Sacris constituti, non vero ij qui tantum sunt in minoribus, quia saltem ex cõsuetudine ita habetur, iuxta dicta eo loco num. 19. ex Valentia, & Suarez, quibus adhærent Molina, Coninck, & Palaus: quod maxime procedit quando isti non gaudent priuilegio fori, quia tales cẽsentur vt Laici. Molina, Malderus, Becanus, & Granadus. Nihilominus quoad Religiosos attinet, sub hac prohibitione continentur etiamsi non sint in Sacris constituti, sed solùm sint Conuersi, quia ratione status, & vitæ perfectioris, quam profitentur, omnino alieni esse debent ab ijs actibus. Sic dixi eo loco num. 20. ex Molina, & adhærent Couarrubias, Valentia, & Granadus.

Casus licitũ.

Sunt tamen plures casus, in quibus licitum est Clericis, & Religiosis in bello iusto militare, etiam occidendo, vel mutilando. Primus, quando ad id adest Papæ licentia: Secundus, si Respublica esset in extrema, vel grauissima necessitate. Tertius, in bello etiam offensiuo, quando esset casus magnæ necessitatis Ecclesiæ ad consequendam victoriam redundantem in commodum Reipublicę Christianæ. Quartus, quando id esset necessarium pro conseruatione propriæ vitæ, non excedendo moderamen inculpatę tutelæ. De quibus dixi eo verbo *Bellum num.* 11. 12. 13. & 14. Videndi etiam Caietanus, Tannerus, Becanus, & Palaus. Quomodo etiam Principes Ecclesiastici habentes supremam iurisdictionem temporalem, quales sunt Episcopi Electores Imperij in Germania, possint bella indicere, exercitum conscribere &c. dixi eo loco num. 6. Et qualiter tam clerici quam Religiosi *pol* sint bella iusta suadere, & illis assistere, vt pugnantibus spiritualia ministrent, num. 7. & 8. Pro casibus autem, in quibus ratione belli incurrant, vel non incurrant irregularitatem, legenda dicta eo loco num. 3. & sequentibus vsque ad num. 15. Præterea quomodo se gerere possint Religiosi in nauibus existentes, quando ab hostibus inuaduntur, vel in terra quando banniti veniunt ad occidendum, vel deprędandum, dixi numero 16. maxim. iuxta impressionem Lugdunensem anni 1655.

Prima cõditio.

Loquendo de prima conditione pro iustitia belli requisita, scilicet legitima authoritate indicentis illud, iam dixi eo verbo *Bellum num.* 3. & nunc dico quarto, per eam denotari, quod persona priuata Superiorem aliquem recognoscens non possit bellum indicere, seu, quod idem est, solum id facere posse Principem, vel Rempublicam in temporalibus non habentem Superiorem, quales sunt Imperator, Reges, Respublicę Venetę, & Ianuensis, ac Principes

aliqui

Septima. Dico septimo, adhuc tamen positis, & perseuerantibus præfatis belli conditionibus, si ille contra quem motum est bellum condignam satisfactionem pro iniuria ab ipso illata offert, tenetur belli motor ab eo desistere. Sic Siluester, Molina, Valentia, Suarez, Becanus, Turrianus, Caspensis, & alij, contra alios, qui solum id admittunt quando satisfactio est oblata ante belli inchoationem. Sed contra illos probatus, quia cum causa iusta belli solum sit iniuria, solum potest inchoari, aut continuari bellum, dum iniuria perseuerat; & illa sublata cessat iustitia belli: cum ergo per condignam satisfactionem tollatur iniuria, non poterit bellum inchoari, aut continuari. Præsertim, quia vt colligunt Doctores communiter ex Diuo Augustino ea epistola 207. ad Bonifacium bellum non est *voluntatis*, sed *necessitatis*, propulsandæ videlicet iniuriæ.

Octaua. Dico octauo, etiam positis dictis belli conditionibus, potest reddi illicitum in aliquibus casibus. Primus, quando adest parua spes victoriæ; quia tunc temeritas est, & imprudentia illud mouere. Secundo, quando damna, quæ ex bello sequuntur Reipublicæ, sunt maioris momenti quam vtilitas, quę sequi potest ex victoria, quia Princeps tenetur magis prouidere bono communi Reipublicæ, quam propriæ vtilitati, alias euadet tyrannus. Tertius, quando ex bello sequatur damnum Reipublicæ Christianæ, quod videlicet ipsius vires dimjnuantur, & Ecclesiæ hostes fiant potentiores: quia bonum commune Religionis præponderare debet cuicunque temporali commodo Principum. Sic ferme ex Victoria, Molina, Palao, & alijs. Quæ vtinam attenderent *Gentes, quæ bella volunt*, de quibus Psalmo 67.

Nona. Imo dico nono, quando ex Christianorum Principum bello sequitur magnum, aut notabile damnum Ecclesiæ vniuersali, quale est, vt diximus, quod ipsius hostes potentiores fiant, & Catholicorum terras occupent, aut inuadant; tunc posse Summum Pontificem balli causam ad se iudicialiter auocare; sententiam circa iustitiam ferre; & ius suum parti læsæ tribuere: vel etiam si in hoc non consenserint, bellum illud interdicere, & ad pacem, ac concordiam dissidentes, medijs congruis, cogere, & compellere. Pro hac assertione est Angelus Maria Verricelli in Tractatu de missionibus Apostolicis titulo 13. quæstione 182. sect. 17. §. 11. conclus. secunda, & tertia, & titulo quarto quæstione 98. dub 13. num. 157. referens Suarez, Hurtadum, Dunalium, Dicastillum, Bossium, Bordonum, Vvigers, Freitam, Villalobos, Valentiam, Merollam, Dianam, Anguianum, & Barbosam, & dicens, quod hæc *sit communissima omnium Doctorum sententia, nemine dissentiente*. Refero specialiter inter illos nostrum Bachonium in 4. sentent. prolog. quæstione vndecima articulo quarto, Victoriam, Sotum, Tannerum, Lorcam, Coninch, Ouiedum, & Castrum Palaum, omittens ex Iuristis quamplures.

Probationes. Probatur primo ex generalibus Sacræ Scripturæ testimonijs. Ex veteri quidem Testamento, ex illo Deuteronom. 17. *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, inter sanguinem, & sanguinem; causam, & causam; lepram, & lepram; & Iudicum intra portas tuas videris verba variari: surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore: quæreſque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quæcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerit te iuxta legem eius, sequeriſque sententiam eorum. Nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Quis autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Iudicis, morietur homo ille, & auferes malum de Israel.* Et Hierem. 1. *Ecce constitui te hodie super gentes, & super Regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & edifices, & plantes.* Et ex nouo Testamento Matth. 16 *Tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram erit ligatum & in Cœlis, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in Cœlis.* Et Ioann. 21. *Pasce agnos meos, pasce agnos meos, pasce oues meas.* Secundo, ex Sacris Canonibus, præsertim *can. omnes, dist. 22. can. placuit, & can. discordantes dist. 90. can. cum ad verum. can. si Imperator dist. 96. cap. per venerabilem qui filij sint legitimi, cap. nouit de iudic. Extrauag. vnam sanctam de maiorit. & obed.* Tertio, de summa spirituali Potestate, & etiam indirecta temporali supra Principes cunctos, & omnia etiam temporalia, quatenus necessaria est ad finem spiritualis. De qua supra Tract. 1. disputat. 9. quæst. 6. & de qua alibi latius.

Tractant

De duello

Tractant hoc loco plures Doctores de duello, eo quod ſit veluti quoddam bellum, ac proinde contrarium Charitati: ſed quia de hac materia ſufficienter dixi tom. 3. Quęſtionum Regularium, verbo *Duellum* per totum, ideo ad alia procedendum. De duello autem pręter Authores eo loco relatos, agunt etiam Suarez, Becanus, Coninch, Tanſerus, Caſpenſis, Caſtrus Palaus, Serra, eruditiſſimus Caramuel, & alij.

Quæſtio octaua.

De Scandalo.

Scandalū

PRo deciſione huius grauiſsimę quęſtionis, & valde neceſſarię pro conſcientijs notandum, quod quemadmodum in naturalibus ſcandalum, iuxta Græcam ethimologiam, vocatur offendiculum illud, quod in via obijcitur, & eſt occaſio, vt pręteriens in illud impingens cadat; ita in moralibus, ſcandalum, vocatur illud, quod eſt cauſa, vel occaſio, vt homo in via ſpirituali cadat. Eſt autem duplex alterum *actiuum*, alterum *paſſiuum*: actiuū, quod eſt proprie ſcandalum, iuxta doctrinam Sanct. Tho. hic quæſtione 43. articulo primo deſumptam ex D Hieronymo, eſt *dictum, vel factum minus rectum prębens alteri occaſionem peccandi*. Dicitur *dictum, vel factum*, quia non ſufficit ad ſcandalum actus mere internus, quia cū alteri notus non ſit, nō poteſt ei prębere occaſionem peccandi. Per *dictum* etiam *vel factum* intelliguntur eorum omiſſiones, ſi proximo prębeant occaſionem ruinæ. Quemadmodum to. præced. Tract. 5. diſp. 1. quęſtione prima diximus per definitionem illam peccati traditam à D. Auguſtino: eſt *dictum, factum, vel concupitum* &c. intelligi etiam omiſſiones illis oppoſitas. Dicitur *minus rectum*, quia ad ſcandalum actiuum requiritur, quod opus ſit malum, vel habeat ſpeciem mali. Vnde Apoſtolus 1. ad Theſſalonic. 5. dicebat: *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos*. Denique dicitur prębens alteri occaſionem peccandi, quia per hoc diſtinguitur à dicto, vel facto ſimpliciter bono. Scandalum autem *paſſiuum* eſt lapſus, ſeu peccatum illius, qui ſcandalizatur ex dicto, vel facto alterius bono, vel non habente ſpeciem mali. Vnde vocatur ſcandalum *Phaariſæorum*, quia eſt ex malitia, qualis erat in Phariſæis, qui ſcandalizabantur de Chriſti operibus: vel *puſillorum*, quia eſt ex ignorantia, qua laborant puſilli. Vaſquez, Becanus, & alij.

His poſitis: Dico primo: omne ſcandalum tam actiuum, quam paſſiuum, eſt peccatum. Ita Diu. Thom. articulo ſecundo quæſtione 43. & alij Theologi cum ipſo, & colligitur ex dictis. Si enim ſcandalum actiuum, vt dixi, eſt dictum, vel factum &c, prębens alteri occaſionem peccati, & ſcandalum paſſiuum eſt lapſus, ſeu caſus illius, qui ſcandalizatur, rectè ſequitur vtrumque ſcandalum eſſe peccatum. Si dicas, peccatum debet eſſe liberum, ſcandalum autem eſt neceſſarium, iuxta illud Matth. 18. *Neceſſe eſt, vt veniant ſcandala*: ergo ſcandalum non eſt peccatum. Reſpondeo cum Sanct. Thom. articulo ſecundo ad 1. quod cum dicitur: Neceſſe eſſe venire ſcandala, non eſſe intelligendum de neceſsitate abſoluta, quæ eſt contraria libertati, alioquin non diceret Chriſtus ibi: *væ homini illi, per quem ſcandalum venit*: ſed de neceſsitate quadam ſecundum quid, & moraliter, ſpectata videlicet hominum fragilitate, & infallibilitate ſcientię diuinæ illam cognoſcentis. 1. concluſ.

Dico ſecundo, vtrumque ſcandalum tam actiuum, quam paſsiuum poteſt eſſe peccatum mortale, & veniale. Ita Diu. Thom. articulo quinto, & alij cum ipſo Ratio eſt, quia poteſt aliquis alios ſcandalizare tum per peccatum mortale, furti verbi gratia, vel fornicationis; tum per veniale, mendacium videlicet, ſeu verba otioſa: ſimiliter poteſt aliquis ſcandalizari committendo, verbi gratia, tum furtum, vel fornicationem, quæ ſunt peccata mortalia; tum mentiendo ſine damno proximi, aut verba otioſa proferendo, quæ ſunt venialia: ergo vtrumque ſcandalum poteſt eſſe peccatum mortale, & veniale. Secunda.

Dico tertio, quamuis ſcandalum paſſiuum nunquam ſit ſpeciale peccatum, ſcandalum autem actiuum aliquando eſt ſpeciale peccatum, ſæpius tamen ſolum generale. Ita ex Diu. Thom. articulo tertio, alij Theologi. Probatur, quia ſpeciale peccatum illud dicitur in præſenti, quod opponitur ſpeciali virtuti: ſed ſcandalum paſsiuum non opponitur ſpeciali virtuti, ſed per omnia virtia vagatur; aliquando enim eſt actus Tertia.

quid, quod sine peccato nullo modo fieri potest, est peccatum scandali, saltem generalis. In hac regula conueniunt omnes, specialiter Caietanus, Suarez, & Tannerus. Ratio est, quia id est intrinsicè malum, & contra Charitatem, beneficientiam, seu misericordiam erga proximum: ergo. Huiusmodi autem peccatum præter malitiam scandali (quæ, si fuerit solum indirectè volita aggrauat malitiam ipsius, & si est directè volita, dat nouam speciem malitiæ, iuxta dicta superius) habet etiam malitiam illius peccati, ad quod inducit proximum, quia cooperatur ad illud. Azor, Vasquez, Bonacina, Sanchez, Palaus.

Sententia contraria

Contra hanc tamen regulam obstare videtur plurium Doctorum sententia dicentium non peccare peccato scandali, quinimò rectè facere, eum, qui parato committere grauius peccatum cõsulit committere leuius, prout tenent Sotus, Sanchez plures referens, Lessius, Tannerus, Becanus, Rebellus, Molina, Vasquez, Bonacina, Basilius Legionensis, Turrianus, Siluius, & alij. In hoc enim casu induceretur homo ad peccatum, etsi leuius. Respondetur tamen primo, oppositam sententiam docere Gabrielem, Caietanum, Siluestrum, Couarruuiam, Azor, Saa, Valentiam, Conradum, & alios, esseque probabilem tenet Diana. Et sine dubio talis est, eo quod, iuxta doctrinam Apostoli, *non sunt facienda mala, vt inde eueniant bona*; & quia quantumcunque metaphysicè distinguere velimus prout faciunt authores contrarij minus malum in ratione mali, & in ratione minoris, certe qui consulit, hic, & nunc minus, seu leuius peccatum, consulit verum peccatum; quia comparatiuum supponit positiuum. Respondeo secundo, admissa probabilitate illius sententiæ, eo præsertim, quia à plurimis docetur, nihilominus, vt ad praxim reduci possit, aliqua animaduertenda. Primo, tunc solum sustineri posse, cum non est alia honesta via qua diuerti possit proximus à grauiori peccato, Molina, Sanchez, Lessius, Palaus. Secundo, quod adhuc quando non esset alia honesta via non esset absolutè consulendus eligere illam, in qua est peccatum leuius, sed solum illi proponenda, & repræsentanda alia, per quem grauius peccatum euitare possit, Couarruuias, Caietanus, Valentia, Sanchez, Lessius, Hurtadus, & alij. Tertio, & vt credo magis ad intentum, quia tunc securè practicari posset, in materia videlicet iustitiæ, & respectu eiusdem personæ. Quod sic explico, si aliquis est omnino determinatus interficere Petrum, potest alius illi consulere, vt solum sit contentus illum vulnerare, vel si est determinatus furari ab ipso centum, vt solum furetur decem, quia in his casibus, & aliis similibus præsumitur esse talis voluntas illius, qui pati debebat hanc iniuriam. Ita Medina, Sotus, & Turrianus. Tandem quarto, quod hæc sententia consulendi minus malum parato committere grauius, solùm sit intentione veluti hipothetica, & conditionata, scilicet posito quod is, qui habet voluntatem committendi illud maius malum, nullo alio modo ab ea diuerti possit. Ita Tannerus ex Caietano, Nauarro, Suarez, & alijs, quos refert. Ex quibus patet ad obiectionem propositam supra, quod videlicet illa sententia non est admittenda, & casu, quo practicari possit debeat esse cum limitationibus propositis. Quomodo autem intelligendum sit id, quod habetur in Sacra Scriptura Genes. 19. de Lotho, qui nefarijs hominibus suadere visus est concubitum cum suis filiabus vt euitarent sodomiam spectat ad Expositores huius loci, & alterius fere similis Iudic. 19.

Secunda regula est, inducere proximum ad aliquod opus ex natura sua, bonum, vel saltem indifferens; itaut possit illud bene vel male facere, non est vllo modo scandalum, etiam generale. Sic communiter DD. Et ratio est, quia quod ille vtatur malè, huiusmodi opere bono, vel indifferenti, per accidens est, & ex malitia ipsius, & ita nullũ peccatum ex parte inducentis ad tale opus. Confirmatur ex factis Christi, ex quibus Pharisæi scandalizabantur, ipsa autem optima, & Sanctissima erant. Vnde infertur id quoque esse verum pro casu, quo quis aliquo modo præuideat ex tali opere suo bono, vel indifferenti alterium sumpturum occasionem peccandi. Quia adhuc posita ista præscientia peccatum sequetur per accidens ex malitia, vel fragilitate ipsius peccantis, non autem ex opere alterius bono, seù indifferenti. Idque patet in eodem exemplo operum Christi, qui non obstante euidenti scientia casus Pharisæorum, eius opera, vt dixi, optima erant, & Sanctissima. Maior difficultas est pro casu, in quo quis moraliter certus est, quod

Secunda.

Proximus ex suo opere bono, vel indifferenti sumpturus est occasionem peccandi, an videlicet tunc opus illud efficiedo peccet peccato scandali. Ad quã sub distinctione respondẽdum est, ferè cum communi Doctorum. Vel enim opus illud bonum, vel indifferens, est notabiliter conueniẽs, vel vtile spiritualiter, aut temporaliter operanti illud, vel non. Si primum, potest illud efficere sine aliqua malitia scandali: si secundum non ita. Prima pars prob. tum exemplo Christi, qui adhuc posita euidentia de peccato Pharisæorum futuro sumpta occasione ex ipsis, non omittebat suam prædicationem, quia ipsa valde vtilis, & conueniens erat pro hominum instructione. Tum etiam, quia lex Charitatis, cui opponitur scandalum, non obligat ad vitandum peccatum proximi, cum notabili detrimento proprio; nec æquum est, aut rationabile, vt cum damno nostro notabili occurramus puræ malitiæ alterius. Secunda verò pars colligitur ex illo Pauli primæ Corinthiorum octauo: *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum.* Et ex eo, quod rationi consonum est, & Charitati erga proximos conforme, vt ad euitandum ipsorum peccatum, relinquat homo, saltem ea, quæ sibi notabiliter conuenientia, aut vtilia non sunt. Ex qua doctrina facile soluuntur plures quæstiones, quas DD. disputant. An videlicet peccet fœmina ornans se, vt placeat suo viro, vel quia id est secundum consuetudinem patriæ, teneatur ab hoc ornatu abstinere, eo quod præuideat iuuenes ipsam concupituros; & an liceat petere mutuum ab eo, quem homo scit illud non daturum sine vsura; & an liceat petere iuramentum ab idolatra, qui putatur non iuraturum, nisi per idola; & similia, de quibus in Tractatibus specialibus dicetur. Generaliter enim dicendum est, hæc omnia licita esse, si adsit notabilis necessitas, vel vtilitas ad illa efficienda: illicita verò, si sine illa fiant propter fundamenta relata.

Tertia regula. Tertia regula est, nullum præceptum, siue naturale, siue positiuum, omitti debet ob vitandum scandalum passiuum alterius. Ita Diu. Thomas ea quæstione 43. articulo septimo, quem sequuntur D. Antoninus, Nauarrus, Vasquez, Basilius Legionensis, Granadus, Turrianus, Caspensis, & alij contra Couarrubiam, Suarez, Valentiam, Lorcam, & aliquos alios. Colligitur primo ex cap. *Qui scandalizauerit de Regulis iuris. Vtilius scandalum nasci permittitur quam veritas relinquatur.* Secundo, ex cap. cum ex iniuncto de nou oper. nunciat. Vbi Innoc. Tertius ait: *Neque ea debent pro vitando scandalo committi, quæ sine mortali committi non possunt.* Tertiò, quia vnusquisque magis tenetur habere curam de propria salute, quam de aliena, ac per consequens potius adimplere præcepta sibi imposita, quam curare de alijs. Quarto, quia, vt dictum est superius, peccatum scandali opponitur correctioni fraternæ, sed correctio fraterna non obligat cum dispendio alterius præcepti; ergo neque præceptum scandali euitandi.

Quarta. Quarta regula, ad vitandum scandalum alterius passiuum proueniens ex malitia ipsius, non tenemur omittere opus bonum, etiam sub consilio. Ad vitandum tamen scandalum alterius passiuum proueniens ex infirmitate, vel ignorantia, tenemur omittere tale opus, vel saltem differre donec cessat scandalum, aut proximus moneatur, ne scandalizetur. Ita Diu. Thom. supra articulo septimo, & octauo, Vasquez, Suarez, Lorca, Reçanus, Palaus, & plures Expositores Sanct. Thom. Ratio primæ partis est, quia nullus tenetur cum suo damno, vel detrimento præsertim spirituali consulere alterius malitiæ: alias quilibet posset per suam malitiam impedire nos ne faciamus opera bona. Ratio vero secundæ partis est, quia tenemur aliquid condonare infirmitati, vel ignorantiæ proximi, in his maximè, quæ non sunt sub præcepto, sed sub consilio.

Quinta. Quinta regula, licitum est, & sine peccato scandali etiam generalis fieri potest, dare, offerre, ministrare, seu subministrare, vendere, &c. res bonas, seu indifferentes alicui, quem scimus male illis vsurum, dum tamen possit illis bene vti, & sit nobis notabiliter conueniens, vel vtile id facere: secus autem, si absit huiusmodi notabilis conuenientia, vel vtilitas. Hæc regula probari potest ex dictis circa secundam: & colligitur ex doctrina præsertim Diu. Thom. infra quæstione 78. articulo quarto, & quæstione 69 articulo secundo, quem plures alij sequuntur

quuntur, præſertim ex noſtris Vrbanus ab Aſcenſione in *Theologia morali Tract.* 1. *cap.* 15.

Corpllar. Ex regulis autem adductis colligi poteſt deciſio plurium caſuum moralium pertinentium ad hanc quæſtionem de ſcandalo, quos omittimus, quia ſunt ferè innumeri, & de illis in propriis Tractatibus commodius alia dicemus.

L A V S D E O.

Digitized by Google

APPENDIX.

DE CHARITATE.

IN calce huius Tractatus congruum exiſtimaui, appendicis inſtar, adiungere quæ de Charitate Dei, modoque diligendi ipſum, ac de modo quo præceptum dilectionis tranſgrediuntur homines, antiquus Doctor Ordinis noſtri Ioannes Beetz ſcripſit; ſanè, & ad morum inſtructionē valde vtilia. Eo etiam quod Codex rarus eſt, nec facilè inuenitur, etſi Venetijs Typis datus anno 1486. Ergo in præcepto primo Decalogi expoſit. 3 cap. 1. ſic habet hic auctor.

De dilectione Dei

POnam primo, cauſas dilectionis Dei. Secundò, declarabo modum illius dilectionis. De primò notandum, quod charitas ab Apoſtolo *prima ad Timoth. primo* definitur, quod eſt *finis præcepti de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta*. Et ſumitur hic finis conſummationis, quia charitas eſt conſummatio, ſiue perfectio præcepti: *De corde puro*, ideſt de intellectu puro, vt dicit Gloſs. & ſumitur intellectus pro actu intelligendi, ſecundum quem cauſatur motus charitatis: quanto enim quis Deum magis intelligit, tanto eum magis diligit, niſi aliter impediatur: *Et conſcientia bona*, ideſt ſpe, quia, qui puram habet conſcientiam ſecurè ſperat. *Et fide non ficta*, ideſt, non ſimulata, vel non fragili, ſed inter aduerſa forti. Sunt autem multæ cauſæ propter quas Deus ſummè diligendus eſt. Vna eſt diuinum præceptum, nam inquit Saluator Matth. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*. Summum autem mandatum, & maximum in lege eſt: *Diliges Dominum Deum &c.* De hac cauſa dilectionis, inquit Auguſtinus: *Quid tibi ſum bone Ieſu, vt amari te iubeas, & præcipias, & niſi faciam iraſceris mihi, & minaris mihi ingentes miſerias*.

Alia

Alia cauſa eſt meritum, quia nulla opera ſine charitate ſunt meritoria (quo ſenſu hæc accipienda, diximus Tomo præcedenti, *Tractat. ſeptimo, diſputatione octaua*) prout declarat Apoſtolus, de omni genere exercitiorum primæ Corinthiorum 13. Propter quod Charitas nomine auri deſignatur Apocalipſ. 3. cũ ibi dicitur: *Suadeo tibi emere aurum vt locuples ſias*, quia ſicut aurum ſuperductione ſui, omnia metalla quantumcunque ignobilia nobilitat, ſic Charitas opera noſtra quantumcunque vilia, facit nobilia, & pretioſa. Tertia cauſa eſt cumulatio beneficiorum Dei, Tot enim, & tanta beneficia contulit nobis Deus, vt merito eum diligere debeamus. Vnde multis beneficijs enumeratis dicit Moyſes ad populum in Deuteronomio: *Nunc audi quid à te requirat Deus, niſi vt diligas eum*. Et in Ioſue: *Diligenter præcauete vt diligatis Dominum Deum veſtrum*. Vnde Auguſtinus: *Dilige Dominum Deum tuum, qui ſeruire fecit peccatis tuis Vnigenitum ſuum, qui dedit tibi Angelos in miniſterium tuum, Cælum cum Syderibus, aerem cum volatilibus, terram cum graminibus, aquam cum piſcibus*. Bernard. *Et quid pro his omnibus requiret Deus niſi quod facillimum eſt vt diligamus eum, & per ignem Charitatis nos Domino ſanctificemus*. ipſo hoc dicente, atque petente in Leuitico: *Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum*. Inter cætera autem beneficia Dei incitant nos ad amorem Dei beneficia Redemptionis noſtræ. Vnde Eccleſ. 29. *Gratiam fideiuſſoris tui ne obliuiſcaris, dedit enim pro te animam ſuam*: Bern. *in lib. de diligendo Deum. Infidelis, ſi totum ei debere non ignorat, quem ſui totius non ignorat authorem. Quid ergo ego qui Deum meũ teneo vitæ meæ gratuitum non ſolum largitorem, largiſſimum adminiſtratorem, pium conſolatorem, ſollicitum gubernatorem, ſed inſuper etiam copioſiſſimum Redemptorem, in æternum conſeruatorem, ditatorem, glorificatorem*. Idem Bernardus in eodem: *Si totum me debeo pro me facto, quid addam pro me refecto, & refecto hoc modo? Non enim tam facilè refectus ſum, quam factus, ſi quidem non ſolum de me, ſed de omni quoque quod factum eſt ſcriptum eſt: dixit, & facta ſunt; at vero qui me tantum & ſemel fecit dicendo, in reficiendo profectò, & dixit multa, & geſſit multa; tulit dura, nec tantum dura, ſed indigna; quid ergo retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? In primo opere me mihi dedit; in ſecundo ſe, & vbi ſe dedit, me mihi reddidit: datus ergo, & redditus pro me me debeo, & bis me debeo. Quid ergo retribuam pro ſe, nam etſi me millies rependere poſſem, quid ſum ego ad Dominum?* Idem ſuper Cantic. *Super omnia reddit te amabilem mihi bone Ieſu calix quem bibiſti opus redemptionis noſtræ*. Quarta cauſa eſt, gloria amantibus Deũ ſpecialiter promiſſa, & præparata 1. Corinth. 2. *Oculus non vidit*,

dit, nec auris &c. Iac. *Accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Mirum est, quod amor noster in Deum non tenderet, quia si venalis est nemo Deo carius, emet eum: dabit enim pro illo Regnum æternum, si venalis non est, sed eum dare volumus, nullus dignior est quã Deus cum ipse sit summè bonus. Vnde nulli potius quam ei debet dari. Si vero violentiam requirit nullus maiorem violentiam pro eo facit quam Deus, petit enim eum quasi gladio euaginato, aut enim eum amabis, aut æterna morte interficieris. Vnde Dauid: *Nisi conuersi fueritis* ab amore, id est, mũdi, ad amorem Dei *gladium suum vibrabit.*

De modo diligendi Deum.

De secundo, scilicet de modo diligendi Deum. Notandum, quod *modus diligendi Deum, est sine modo diligere*, vt ait Bernardus *in lib. de diligendo Deo*. Idem ad fratres de monte Dei. *In dilectione Dei non alia ratio, alia discretio est, nisi vt sicut ille cum dilexisset nos in finem dilexit nos; sic si fieri potest nos in infinitum diligamus eum, sicut beatus vir, qui in mandatis eius cupit nimis.* Idem etiam ostendit modum amandi Deum esse vt amemus eum quantum possumus, dicens sic: *Deus meus, adiutor meus, diligam te pro dono tuo, & modo meo; minus quidem iusto, sed planè non minus posse meo, qui etsi quantum debeo non possum, tamẽ vltra quam possum, potero vero plus, cum plus donare dignaberis, nunquam tamen prout dignus haberis.* Modus autem dilectionis Dei videtur poni Matth. 22. cum dicitur. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* Pro cuius auctoritatis intellectu notandum, quod Deus in dilectione sui totam animam requirit, sic quod non sit diuisa in amore. In anima autem tria sunt, scilicet intellectus, affectus, & memoria. Et sic sumitur expositio. Augustinus: *Ex toto corde, id est ex toto intellectu, ex tota anima, id est ex toto affectu; ex tota mente, id est ex tota memoria.* Et sic memoria refertur ad Patrem, intellectus ad Filium, & affectus ad Spiritum Sanctum. Item, tria sunt quę retrahunt nos à dilectione Dei, scilicet diabolus per suggestiones, caro per oblectationes, & mundus per tribulationes. Contra quæ tripliciter debemus diligere Deum, & sic sumitur expositio Bernardi, *sapienter, fortiter, & dulciter.* Sapienter, contra suggestiones diaboli ne seducamur; *dulciter* contra oblectationes carnis ne alliciamur; *fortiter* contra præssuras mundi ne opprimamur. Et sic sapientia refertur ad intellectum; dulcedo ad affectum; fortitudo ad memoriam. Vel aliter: *ex toto corde*, siue intellectu, Deum amat qui intellectum suum in obsequium Christi captiuat. Nam Christo studium suum dat qui ea quibus adiuuamur in Deum, ab his quibus impedimur sagaciter secernit: quod

eſt prudentiæ, vt dicit Auguſtinus. Item, qui doctrinam Chriſtum neſcientem faſtidit. Bernardus. *Si diſputes, aut inferas non ſapit mihi, niſi ſonuerit Chriſtus Ieſus.* Item, qui in creaturis Deum intelligit. Auguſtinus *Væ illis, qui diligunt nutus ſuos præ te: nutus tui ſunt omne creaturarum decus.* Et qui ſtudium ſuum Chriſto dat, & ad cognitionem Dei toto deſiderio anhelat; tota anima, ſiue voluntate Deum amat, qui perfectè obedit, quem nec timor mali tranſitorij terret, nec amor boni tranſitorij ab obedientia retrahit: tota mente, ſeu memoria Deum diligit, qui ea quæ Deo diſplicent, & ab amore eius impediunt, obliuioni tradit, vt ſunt iniuriæ nobis illatæ, quæ dum recogitantur ſunt quaſi ferrum in vulnere, quod vulneris ſanationem impedit. Item qui ea, quæ ad Dei honorem pertinent, & ſalutem animarum memoriæ infigit, & quem magnus amor Dei de alio quam de Deo diu cogitare non ſinit, ſicut ſolet accidere fatuè amantibus, qui non poſſunt obliuiſci id quod amant. Vnde Bernard. ſuper Cantic. *O amor impetuose, qui præter Deum aliud cogitare non ſinis.* Nam Deus vult habere amorem cordis noſtri integrum. Prouerbiorum 24. *Præbe fili mi cor tuum mihi.* Leuitic. 3. *Omnis adeps Domini erit iure perpetuo.* Auguſtinus in ſermonibus: *Totum exigit te qui fecit te.* Item, amor Dei habet quaſdam conditiones. Debet enim eſſe rectus, ſtrenuus, lætus, & deſiderijs plenus. Rectus vt Deus propter ſe ametur, non propter temporalia; talis enim, qui propter temporalia eſt, dicitur meretricius. Nam meretrix amatorem ſuum depauperatum abijcit. Et dicitur caninus, canis enim os nudatum carne deſerit.

(Hæc intellige, quando Deus ita amatur propter temporalia, vt illis demedio ſublatis, non amaretur)

Strenuus debet eſſe. Vnde Poeta. *Amor odit inertes.* Alibi, *militiæ ſpecies amor eſt, diſcedite ſegnes, non ſunt hæc timidis ſigna ferenda viris.* Lætus debet eſſe, dum etiam tollerat dura pro eo quem amat. Actuum 5. *Ibant Apoſtoli gandentes* &c. Deſiderijs plenus eſt, cum enim amor ignis ſit, ſcintillæ deſideriorum ex ipſo emicant. Pſalm. *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum.* Bernardus ſuper Cantic. *Anima amans fertur votis, trahitur deſiderijs.* Vlterius notandum, quod ſunt quædam ſigna diuini amoris. Primum eſt cum quis libenter de Deo cogitat. Vnde ſuper illud Ioannis 20. *Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum dicito mihi vbi poſuiſti eum.* Non nominat eum dicit Gloſs. *quia hoc in animo ſolet agere vis amoris, vt quem ſemper cogitat nullum alium ignorare credat.* Sap. 6. *Cogitare de illa ſenſus eſt conſummatus.* Loquitur de ſapientia increata. Secundum ſignum eſt cum aliquis libenter eſt in domo Dei ſicut Anna. Luc. 2. *Quæ non diſcedebat de templo*

plo, quæ meruit interesse præsentationi Domini. Et Iesus cum esset annorum duodecim inuentus est in Templo. Chrisostomus: *Proprium erat boni filij, vt veniens prima ad domum curreret patris: tu autem imitator Christi factus*, &c. Tertium est, cum quis libenter de Deo loquitur. Chrisostomus. *Hic amantium mos est vt amorem suum silentio tegere nequeant, sed earis suis efferunt, & produnt & flammas suas infra pectus suum cohibere non possunt; enarrant frequentius, vt ipsa assiduitate narrandi solatium sui amoris capiant; & refrigeria immensi ardoris assumant, ita etiam facit amator Christi.* Quartum est, cum quis libenter Deum, & de Deo audit, & audita retinet. Lucæ 2. *Maria autem conseruabat* &c. Et de Maria Magdalena. Lucæ 10. *Sedens secus pedes Domini* &c. Ioan. 14. *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me.* Quintum est, cum quis libenter dat pro Deo. Ioann. 3. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Sextum est, cum aliquis libenter pro Deo patitur. Gregorius in moral. *Pœna quippe interrogat si quietus quis veraciter amat.* Septimum est, cum quis mandatis Dei obedit. Ioannis 14. *Si quis diligit me sermonem meum seruabit.* Et præcipuè si seruet illud mandatum, *hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem* &c. primæ Ioann. 4. *Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* Et maximè amor pauperum signum est diuini amoris. Illi enim non amantur propter se, sed propter Deum. Octauum est, cùm quis amat quæ Deo placent, & odit quæ Deo displicent. De primo Matth. 12. *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis est, ille meus frater, soror, & mater est.* De secundo Psalm. *Iniquos odio habui*, &c. Nonum est, cum quis frigescit à sollicitudine, & amore mundi. Gregorius: *Tanto frigescit quis à curis sæculi, quanto surgit ardentius in amorem Dei.* Decimum est, cum quis maximum honorem exhibet ministris Dei, sicut qui eos spernit Deum spernit. Matth. 10. Sic qui eos honorat, Deum honorat. Eccles. 7. *In omni virtute tua dilige eum qui te fecit, & ministros eius non derelinquas.* Vlterius notandum, quod sunt duo principales effectus dilectionis Dei. Primus est, gaudium mentis. Secundus est, pax interior cordis. Sed videtur, quod gaudium non sit effectus charitatis: ex absentia enim rei amatæ magis sequitur tristitia, quam gaudium, sed Deus, qui diligitur, est absens in hac vita, quamdiù enim sumus in corpore peregrinamur à Domino, 2. Corinth. 5. ergo charitas in nobis magis videtur causare tristitiam, quã gaudium. Sed contra quia dicitur ad Roman. 5. *Charitas Dei diffu-*

ſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis; ſed gaudium in nobis cauſatur ex Spiritu Sancto ſecundum illud ad Romanos: *Non eſt Regnum Dei eſca, & potus, ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto*, ergo charitas eſt cauſa gaudij. Reſpondetur ſecundum Thom. 2. 2. quæſtione 28. articulo primo, quod ex amore procedit & gaudium, & triſtitia, ſed contrario modo, gaudium enim ex amore cauſatur, vel propter præſentiam boni amati, vel etiam propter hoc, quod ipſi bono amato proprium bonum ineſt, & conſeruatur, ſicut aliquis gaudet de amico proſperè ſe habente, etiam ſi ſit abſens. E contrario autem ex amore ſequitur triſtitia, vel propter abſentiam amati, vel propter hoc quod amatum, cui volumus bonum ſuo bono priuatur, aut aliquo malo deprimitur. Charitas autem eſt amor Dei, cuius bonum immutabile eſt, quia ipſe eſt ſua bonitas, & eo ipſo quod amatur, ipſe eſt in amante per nobiliſsimum ſuum effectum, ſecundum illud primæ Ioannis 4. *Qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo*; & ideo ſpirituale gaudium, quod de Deo habetur ex charitate cauſatur. Ad argumentum in contrarium dicitur, quod quamdiu ſumus in corpore dicimur *peregrinare a Domino* in comparatione ad illam præſentiam, quæ eſt præſens quibuſdam per ſpeciei viſionem; quia hic eſt præſens per gratiæ infuſionem & inhabitationem. Quod autem pax ſit effectus charitatis patet per illud pſalm. *Pax multa diligentibus legem tuam*. Vnde notandum, quod ſecundum Thomã ſecunda ſecundæ quæſt. 29. duplex vnio eſt de ratione pacis; quarum vna eſt ſecundum ordinationem propriorum appetitiuum in vnum; alia vero eſt ſecundum vnionem appetitus proprij cum appetitu alterius: & vtramque vnionem efficit Charitas. Primam quidem vnionem ſecundum quod Deus diligitur ex toto corde, vt ſcilicet omnia referamus in ipſum, & ſic omnis appetitus noſtri in vnum referuntur. Aliam vero prout diligimus proximum, ſicut noſmetipſos; ex quo contingit quod vult implere voluntatem proximi ſicut & ſui ipſius. Et propter hoc inter amicabilia ponitur identitas electionis, vt patet in 9. Ethicorum; & Tullius in libro de amicitia dicit, quod *amicorum eſt idem velle, & nolle*. Ex his igitur patet, qualiter in vera Charitate Deum adorare debemus, iuxta tertiam expoſitionem iſtius præcepti.

Sed notandum, quod multi tranſgrediuntur iſtud præceptũ, ſecundum iſtum intellectum. Et hoc dupliciter, ſcilicet generaliter, & ſpecialiter; Generaliter quidem tranſgrediuntur ipſum omnes peccantes mortaliter, etiam quocunque peccato mortali, eo quod illi præponunt

dile-

Hellenen, Name der Griechen, s. Griechen.

Hellenen, Verein deutscher, s. Deutsche Vereine.

Hellenismus, Bezeichnung für die Kultur der Griechen seit Alexander d. Gr. bis zur Eroberung durch die Römer, die sich durch Mischung griechischer und orientalischer Elemente auszeichnet.

Hellenistische Sprache, s. Griechische Sprache.

Heller, Hugo, Schriftsteller, geb. 1. Juli 1871 in Wien, gest. 1. Juli 1921 in Wien, studierte Philologie, war Lehrer in Wien, dann Redakteur der Zeitschrift „Der Kunstwart“ in Dresden, 1902 Leiter der Literaturabteilung der Wiener Volksbildungsstätte, 1904 Redakteur der Zeitschrift „Der Merker“ in Wien, 1905 Leiter der Literaturabteilung der Urania in Wien, 1907 Redakteur der Zeitschrift „Der Strom“ in München, 1908 Leiter der Literaturabteilung der Urania in Berlin, 1909 Redakteur der Zeitschrift „Die Schaubühne“ in Berlin, 1910 Leiter der Literaturabteilung der Urania in Wien, 1911 Redakteur der Zeitschrift „Der Zeitgeist“ in Berlin, 1912 Leiter der Literaturabteilung der Urania in Wien, 1913 Redakteur der Zeitschrift „Der Merker“ in Wien, 1914 Leiter der Literaturabteilung der Urania in Wien, 1915 Redakteur der Zeitschrift „Der Merker“ in Wien, 1916 Leiter der Literaturabteilung der Urania in Wien, 1917 Redakteur der Zeitschrift „Der Merker“ in Wien,

omnibus amabile, & diligibile est primum bonum, & pulchrum; sed Deus est ipsa bonitas, & pulchritudo, ergo à nullo odio haberi possit. Sed contra est quod dicitur in Psalm. *Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper*; & Ioann. 15. *Nunc autem & viderunt, & oderunt me, & Patrem meum*. Respondetur secundum Thom. secunda 2. *quæstione 34. art. 1.* quod odium est quidam motus appetitiuæ potentiæ, quæ non mouetur, nisi ab aliquo apprehenso. Deus autem dupliciter ab homine apprehendi potest: vno modo secundum se ipsum, puta cum per essentiam videtur. Alio modo per effectus suos, cum scilicet *inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*, Deus autem per essentiam suam est ipsa bonitas, quam nullus odio habere potest, quia de ratione boni est vt ametur, & ideo impossibile est, quod aliquis videns Deum per essentiam eum odio habeat. Sed effectuum eius aliqui sunt, qui nullo modo possunt esse contrarii voluntati humanæ, quia esse, viuere, & intelligere est appetibile, & amabile omnibus quæ sunt quidam effectus Dei; & ideo secundum quod Deus apprehenditur, vt auctor horum effectuum, non potest odio haberi. Sunt autem quidam alii effectus Dei, qui repugnant inordinatæ voluntati, sicut inflictio pœnæ, & etiam cohibitio peccatorum per legem diuinam, quæ repugnãt voluntati deprauatæ per peccatum, & secundum consideratione talium effectuum ab aliquibus Deus odio haberi potest in quantum scilicet apprehenditur peccatorum prohibitor, & pœnarum inflictor. Et per hoc patet responsio ad argumentum, quia illud intelligitur de illis, qui vident Dei essentiam, quæ est ipsa essentia bonitatis, quæ secundum se est à talibus diligibilis. Secũdò, dubitatur an odium Dei sit maximum, & grauissimum omnium peccatorum. Videtur, quod non, quia tale est peccatum in Spiritum Sanctum, quod est irremissibile, Matth. 12. Sed odium Dei non cõputatur inter species peccati in Spiritũ Sanctũ, ergo non est grauissimũ. Præterea peccatum consistit in elongatione à Deo: sed magis videtur elõgatus à Deo infidelis, qui nec Dei cogitationem habet, quam fidelis habens Deum odio; ergo videtur, quod grauius sit peccatum infidelitatis, quam peccatum odii in Deum. Præterea Deus habetur odio secundum rationem suorum effectuum, qui repugnant voluntati deprauatæ, inter quos præcipuum est pœna; sed odire pœnam non est maximum peccatorum, ergo &c. Sed contra est, quod optimo opponitur pessimum, vt patet per Philosophum 8. Ethic. Sed odiũ Dei opponitur dilectioni Dei, in qua consistit optimum hominis, ergo odiũ Dei est pessimũ peccatum hominis. Respon-

gui. Aut enim prouenit ex infirmitate, puta si dolet alium meliorem sibi præferri, tunc si dolet propter suam insufficientiam non peccat, quia secundum Bernardum, dolor ille *bonus est*. Si autem dolet propter eminentiam alterius, & talis motus sit indeliberatus, est peccatum veniale. Si autem sit motus deliberatus tunc videtur prouenire ex malitia, & deprauatione affectus, ex qua aliquis, nec amat bonum in seipso, nec etiam videre potest in alio: ita, quod illa inuidia magis refertur ad gratiam, vel donum Dei quam ad personam fratris, & tunc est peccatum in Spiritum Sanctum, & per ipsum transgreditur quis istud præceptum.

IESVS MARIA.

Digitized by Google

IESVS MARIA.

TRACTATVS IV. DE PRVDENTIA, FORTITVDINE, TEMPERANTIA, & GRATIIS GRATIS DATIS.

AGit Sanctus Thomas in hac 2. 2. de ijs omnibus ſimul cum Tractatu de Iuſtitia, & Iure: ſed illum vtpote copioſiorem, ad Tomum ſpecialem, qui erit, Deo dante, Quartus ſequens, relinquentes de huiuſmodi virtutibus, & gratiis in hoc Tractatu per diuerſas Diſputationes agemus, vel ad complementum Sacræ Theologiæ, ad mentem ſanè, etſi non ſemper ad methodum, eiuſdem Sacri Doctoris.

DISPVTATIO I.

De Prudentia.

Quęſtio prima.

Quid, & quotuplex ſit Prudentia.

PRVDENTIA, quoad nominis ethimologiam, prout deducitur ex D. Tho. *quæſt. 47. art. 1. in ſolut. ad 2.* eſt idem quod *procul videtia*, & prudens pro ut deducitur ex Diuo Iſidoro *lib. 10* Prudentiæ definitio.

Etimolog. cap. 15. idem quod *porro videns*, seu, *procul videns*. Quoad quidditatem verò rectè definitur, iuxta dicta *tom.* 2. *tract.* 4 *disput.* 4 *quæstione quinta*. *Habitus veram rationem agibilium circa ea, quæ bona, & mala homini sunt*. Quæ definitio sumitur ex. Aristot. 6. *ethic. cap.* 5. & cohæret cum alijs desumptis ex Diuo Augustino *lib.* 1. *de libero arbitrio cap.* 13. & *lib.* 83. *quæstion.* Quomodo autem sit intelligenda eo loco diximus, & tractant ex nostris Dominicus ibi relatus, Siluestranus in *tertio sententiar. lectione* 105. *in princip.* & alij recentiores, & constabit ex dicendis.

Diuisio

Quoad diuisionem prudentiæ, omissa illa, quæ est communissima omnibus virtutibus moralibus, scilicet in naturalem, seu adquisitam, ac supernaturalem, seu infusam, de qua diximus loco relato ex secundo tomo disputatione tertia quæstione tertia, loquendo de specialibus diuisionibus prudentiæ, diximus loco relato disputatione quarta quæstione quinta, triplicem esse, scilicet in partes *subiectiuas*, *integrales*, & *potentiales*. Diuisio in partes subiectiuas, est, qua diuiditur in suas species, quemadmodum animal in hominem, & brutum: sunt autem huiusmodi species prudentiæ, quatuor, videlicet, *monastica*, siue *personalis*, *politica*, *regnatiua*, siue *ciuilis*, *œconomica*, & *militaris*. Diuisio in partes integrales est, qua diuiditur in octo illa, quæ sunt *memoria*, *intellectus*, vel *intelligentia*, *docilitas*, *solertia*, siue *eustodia*, *ratio*, *prouidentia*, *circumspectio*, & *cautio*. Diuisio in partes potestatiuas est qua diuiditur in tria illa, quæ sunt *Eubulia*, *Synesis*, & *Gnomen*. De his omnibus post Aristotelem 6. *Ethicorum cap.* 8. Diuus Thomas *quæst.* 47. *art.* 11. *quæst.* 48. *artic. vnico*, *quæst.* 50. per totam, & *quæstione* 51. *art.* 1. 2. 3. & 4. & ibi Caietanus, & alij Expositores, ac ex nostris Guido, quod *lib* 3. *quæst.* 10. Bachonius *in* 3. *distinct.* 36. *quæstione vnica articulo primo*, Siluestranus *supra*, & Salmanticenses *in Arbor. prædicament virtut. à numero* 40.

De prima diuisione.

Circa primam autem diuisionem prudentiæ animaduertendum primum membrum illius, scilicet *monasticã*, idest *solitariam*, & *personalem* esse, per quã homo regit se ipsum in ordine ad bonum proprium, & propriam virtutem; & ita pro ea stat nomen prudentiæ, quoties absolutè, & fine addito profertur: Secundum autem, scilicet *politicam*, quæ etiam *gubernatiua* dicitur, quamuis generaliter loquendo, per eam intelligi possit quæcumque prudentia, quæ est in ordine ad alios gubernandos, quo sensu locuti sumus de ipsa loco relato ex secundo tomo; nihilominus, iuxta mentem Sanct. Thom. quæst. 50. articulo secundo in corpor. & ad 3. per eam in hac diuisione intelligitur illa, per quam homo se regit ciuiliter in ordine ad bonum commune suæ Reipublicæ, sicut per *monasticam*, qua se regit in ordine ad bonum proprium. Per *regnatiuam* vero, seu *ciuilem*, eam, quæ est in Rectoribus Regnorum, Principatuum, Vrbium, &c. & per quam regunt alios in ordine ad bonum commune. Quæ postea diuiditur in *monarchiam*, quando regimen est vnius: *aristocratiam*, quando est plurium optimatum, seu nobilium: & *democratiam*, quando est plurium popularium. *Oeconomica* autem prudentia est, per quam quis regit propriam domum, & familiam. *Militaris* tandem, per quam regitur exercitus ad Patriam ab hostibus tuendam. Sic ex Diu. Thom. Doctores relati. Addunt aliqui his speciebus prudentiæ, aliam, scilicet *legislatiuam*, seu *legis positiuam*. Sed vt bene Salmanticenses supra num. 41. in fine ex Diu. Thom. quæst. 50. artic. 1. ad 3. ea reducitur ad *regnatiuam*.

Circa secundam diuisionem prudentiæ in partes integrales notandum, per illas non intelligi aliquas partes, quæ sint proprie tales, quemadmodum in substantia, & quantitate reperiuntur; cum illa sit omnino spiritualis, & incomposita, sed intelligi actiones, seu functiones ad perfectionem prudentiæ requisitas, quæ propterea partes ipsius dicuntur. Sunt autem prædictæ octo assignatæ. *Memoria* quidem, quia sine illa quia est cognitio præteritorum, homo non potest prudenter operari. *Intellectus*, seu *intelligentia*, quia illa cum sit præsentium notitia, valde quoque est necessaria ad prudentiam, quę respicit circumstantias rei. *Docilitas* etiam, cum per ipsam homo sit bene susceptiuus disciplinæ. *Solertia* quoque, à qua dicitur *solicitudo*, vt citius assequatur rei æstimationem. *Sagacitas* pariter, quatenus importat acutam cognitionem rei. *Ratio* vero, quia significat aptitudinem ratiocinandi. Insuper *Prouidentia*, quia importat prospectum futurorum. Ad hæc *Circumspectio*, nam

Circa secundam,

dicit

dicit attentionem ad ea quæ occurrunt: ac denique *Cautio*, quatenus denotat attentionem ad præcauenda mala, quæ euenire poſſunt. De his Expoſitores Sanct. Thomæ cum ipſo quæſtione 49 per totam, item Leſſius, Tannerus, Palaus, & Salmanticenſes ſupra numero 40. Videndus etiam Silueſtranus relatus.

De tertia diuiſione. De tertia diuiſione prudentiæ in *Eubuliam*, *Syneſim*, & *Gnomen*, veluti partes poteſtatiuas ipſius dixi eo loco ex ſecũdo tomo, & dicam quæſt. 3. ac tractant Expoſitores Diu. Thom. cum ipſo quæſtione 51. per totam, & Salmanticenſes ſupra num. 43.

Quęſtio ſecunda,

Quæ, & qualis virtus ſit prudentia.

Prudentia eſt virtus. SVpponit quæſtio prudentiam eſſe virtutem, prout colligitur ex dictis tom. 2. præſertim Tract. 4 diſput. tertia quæſtione prima, vbi de definitione virtutis egimus, & diſputatione quarta, præſertim quæſtione prima, & quinta, vbi etiam prudentiam inter virtutes intellectuales computari diximus. Vtrumque etiam colligitur ex eo, quod eſt menſura, & regula virtutum, quæ ſunt in voluntate, ex hoc enim rectè ſequitur ipſam eſſe virtutem, & virtutem intellectualem. Quomodo autem ſemper prudentia attingat verum, prout eſt de ratione virtutis intellectualis, ſufficienter diximus ea quęſtione quinta in ſolut. diffic. quæ contra hoc ſolet opponi, & ſupra Tract. 1. diſput. 3. quæſtione ſecunda.

Specialis. Dicendum igitur primo, prudentiam eſſe ſpecialem virtutem. prout non ſolum docet Sanct. Thom. quæſt. 47. articulo quinto, ſed etiam plures ex Patribus, & Philoſophis antiquis, & alij Theologi cõformiter etiam ad S. Script. *Sap.* 8. *Prouer.* 3. & 4. Matth. 10. & 1. Petri 4 quibus in locis prudentia commẽdatur, veluti ſpecialis virtus ab aliis diſtincta. Et ratio eſt, quia habet ſpeciale motiuum, quod eſt dirigere, & ordinare actiones humanas in ordine ad finem humanæ vitæ, præſcribendo illis mediocritatem ad virtutem requiſitam, quod non habent aliæ virtutes. Vlterius, quia differt à Theologalibus in hoc, quod illæ immediatè tangunt Deum, prudentia autem non niſi prędictas actiones humanas. A virtutibus autem moralibus differt, non ſolum quia illa reſidet in intellectu, virtutes autẽ morales in voluntate, ſeu appetitu, ſed quia prudentia reſpicit honeſtum ſub ratione veri, virtutes autem morales ſub ratione boni. Quomodo etiam diſtinguatur prudentia ab aliis virtutibus intellectualibus; conſtat etiam ex dictis tota ea diſputatione quarta: difficultas ergo præſens eſt, an prudentia ſit vna virtus ſpecie atoma, ſeu infima, an vero veluti ſpecies ſubalterna cõtinens ſub ſe plures ſpecies infimas: nec procedit de prudentia, prout eſt quid commune ad prudentiam infuſam, & acquiſitam, quia vt ſic certum eſt non poſſe eſſe vnam in ſpecie infima, quia ſpecies infima non continet ſub ſe alias ſpecies, at vero prudentia iſto modo ſumpta continet illas, nam prudentia infuſa, & acquiſita cum ill a ſit ſupernaturalis, hæc vero naturalis, neceſſario differunt ad minus ſpecie, imo etiam genere: cum ſupernaturale, & naturale diuerſi generis, & ordinis ſint. Similiter nec procedit de prudentia, prout eſt quid commune ad *monaſticam*, *politicam*, *regnatiuam*, *œconomicam*, & *militarem*, de quibus diximus quæſtione prędcedenti: cum enim iſtę ſint partes ſubiectiuę, id eſt, ſpecies prudentię, oportet, quod prudentia illis communis non ſit vna ſpecie atoma. Solum ergo procedit difficultas de prudentia naturali, monaſtica, politica, & regnatiua, de quibus etiam quęſt. prędcedenti diximus.

2. concluſ. Et dico ſecundo, prudentia monaſtica, de qua diximus, eſſe illam, per quam homo ſe regit in ordine ad bonum proprium, & propriam virtutem, eſt vna in ſpecie infima. Ita loco relato ex ſecundo tomo quęſt. illa quinta cum Sancto Thoma, & aliis: quibus etiam adhęrẽt Durandus, Buridanus, Valentia, Vaſquez, Tannerus, Turrianus, Salmanticenſes noſtri *in Arbore prædicament. virtut. num.* 42. contra Scotum, Gabrielem, Ochamum, & alios dicentes non eſſe vnam ſpecie, ſed eſſe tot ſpecies prudentię, quot ſunt virtutes morales per eam directę, & ordinatę. Ratio autem eſt, quia licet prudentia iſto modo ſumpta verſetur circa materias diuerſarum virtutum moralium, v.g. temperantię, fortitudinis &c. verſatur tamen circa illas non vt diuerſas, ſed ſub vna ratione in qua conueniunt, ſcilicet,

vt ordinabiles, & dirigibiles ad finem humanę vitę, pręscribendo illis mediocritatem necessariam ad virtutem moralem; ergo est vna secundum speciem infim. Confirmatur exemplo potentię intellectus, seu voluntatis, quę quamuis versentur circa obiecta diuersissima, quia tamen in illa tendunt sub vnica ratione, scilicet veri, vel boni, ideo habẽt vnitatem specificam. Clarius confirmatur exemplo sensus communis, qui quãuis tendat in obiecta quinque sensuum externorum, quę etiam sunt diuersa, quia tamen tendit in illa, non vt diuersa, sed vt conuenientia in vna ratione illis communi, ideo est vnus specie infima.

Tertia. Dico tertio, loquendo de prudentia appellata *politica*, de qua etiam quęstione prędcedenti diximus, quatenus per eam intelligitur illa, per quam homo se regit ciuiliter in ordine ad bonum commune Reipub. etiam est species infima, seu atoma prudentię; quatenus verò per illam denotatur prudentia communis regnatiuæ, œconomicę, & militari, vt sic; non est species infima, sed subalterna prudentiæ continens sub se species alias infimas eo loco assignatas. Ratio est, quia priori modo sumpta non est diuisa, aut diuisibilis in plures alias inferiores, benè tamen posteriori modo sumpta. Esse autem huiusmodi species non solùm accidentaliter, sed etiam essentialiter diuersas, colligitur ex diuersitate illorum regiminum, modorum, mediorum, & finium ipsorum, atque ex diuersitate personarũ, in quibus reperiuntur, vt discurrenti per singula patebit. Sic colligo ex D. Th. quæstione 47. ar. 11. & ipsius discipulis, Valentia etiam, Lessio, Turriano, & Palao, licet Bachonius noster *in* 3. *dist.* 36. *q. vnic. articulo primo*, oppositum tueri videatur.

Alia. Deinde *Magnificentia* ſecundum exceſſum opponitur *pecuniarum profuſio*, vt ſi maiores expenſas faciat quis in aliquo opere, quàm ratio dictet. Et per defectum *Paruificientia*, quæ è contra facit vt homo certo magno operi non pares, ſeù decentes ſumptus exhibet. D.Th. q. 135. art. 1. Leſsius, Valentia Tannerus, Laymanus, Palaus, & Salmanticenſes ſupr. num. 102.

Alia. Præterea *Patientia* per exceſſum opponitur *Impatientia*,& per defectum *Duritiei*. Eſt autem impatientia vitium, quo quis plus iuſto de malis quæ illi contingunt, dolet. Durities verò vitium, quo ob quendam animi ſtuporem, ſeu ſoliditatem pro nihilo illa facit. Leſsius, Laymanus, Palaus, & Salmanticenſes num. 103.

Alia. Demum *Perſeuerantia*, ſeù *Conſtantia* ſecundùm exceſſum opponitur *Pertinacia*, quæ tunc accidit, cum aliquis inhæret proprio ſenſui, vel iudicio pluſquam par eſt. Et per defectum *Mollities*, ſeù *Inconſtantia*, quæ etiam contingit cum quis leuiter à bono propoſito deſiſtit. D.Th. q. 138. art. 1. & 2 Caietanus Valentia, Leſſius, Tannerus, Laymanus Palaus,& Salmanticenſes num 104. Nota autem generaliter circa huiuſmodi vitia oppoſita quattuor iſtis virtutibus ea etſi vt in plurimum peccata *venialia* ſolùm ſint, nihilominus quandoque ex parte materiæ, ſcandali, vel circumſtantiarum mortalia eſſe poſſe. De quo Authores relati.

Quæſtio quinta.

De præceptis Fortitudinis.

Præcepta negatiua. LOquendo de præceptis negatiuis fortitudinis, aliqua dantur in Sacra Scriptura circa fortitudinem bellicam. Deuteron. 20. illis verbis; *Non pertimeſcat cor veſtrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos, quia Dominus Deus veſter in medio veſtri eſt*. Et infra: *Quis eſt homo formidoloſus, & corde pauidus? Redeat, & reuertatur in domum ſuam, ne pauere faciat corda fratrum ſuorum*. In nouo etiam teſtamento circa fortitudinem ad ſuſtinenda mala pro Chriſto dicitur Matth. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere*. Loquendo autem de Præceptis affirmatiuis etiam colligi poſſunt

Digitized by Google

possunt ex Sac. Scriptura. Circa fortitudinem bellicam ex loco illo Deuter. 20. adducto. Circa tolerantiã malorum pro Christo Matt. 11. *Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Ad resistendum Diabolo 1. Petri 5. *Cui resistite fortes in fide.* Et Iacobi. 4. *Resistite Diabolo, & fugiet à vobis.* Circa tolerantiam malorum pro proximis 1. Ioann. 3. dum dicitur: *Nos debemus pro fratribus animas ponere* De iis S. Thom. quæst. 140. Tannerus, & Thomas Hurtadus.

De Martyrio. Præcipua tamen difficultas huius quæstionis est de Martyrio, quod, vt diximus quæst. 3. est præcipuus actus fortitudinis, an scilicet, de illo detur aliquod præceptum. Et dicendum, aliquando illicitum esse, & peccaminosum seipsum sponte ad Martyrium offerre; quando videlicet non adest causa rationabilis ad id faciendum: aliquando verò id esse opus consilii, seu supererogationis: aliquando tamen id esse sub præcepto. Hæc est communis sententia.

Probatio primæ partis. Prima pars probatur ex illo Christi Matth. 10. *Cum autem persequentur vos in Ciuitate ista, fugite in aliam.* Et ex eo quod D. Paulus ad Heb. 11. commendare videatur illos, qui Martyrii occasionem fugerant, se in latebris abscondẽtes: *In solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & cauernis terræ.* Secundò, ex plurium Patrum testimoniis, quæ affert Verricelli *in Tract. de Apostol. missionib. quæst. 9. sect. 1.* Tertiò, ex rationibus. Prima, quia hoc facere sine aliqua causa est agere contra Charitatem propriã. Secunda, quia est dare occasionem Tyranno ad peccandum. Tertia, quia est tentare Deum. D. Tho. 2. 2. quæst. 3. artic. 2. ad 3. & quæst 124. artic. 1. ad 3. Siluester, Angelus, Armilla, & alii Summistæ, Caietanus, Suarez, Sanchez, Laymanus, Rainaudus, Baldellus, & alii relati à Verricello.

Secundò. Secunda pars probatur exemplo plurium Sanctorum, qui id fecerunt; quorum plures refert idem Verricelli *supr. sect.* 2. & quia plures causæ vtiles, & honestæ possunt occurrere ad id faciendum, propter Dei gloriam, & fidei exaltationem, quos refert idem Author sect. 3. & sæpius occurrunt Missionariis, & Prædicatoribus Euangelii apud infideles. D. Th. locis relatis, & dicta quæstion. 124. art 3. ad 1. & in 4. dist. 49. quæst. 5. artic. 3. quæstione. 2. ad 1. plures ex Authoribus relatis, Thomas de Iesu *de conuers. omn. infidel lib. 5. par 3. dub. 3.* Tannerus & alii, præsertim Thomas Hurtadus afferens & exponẽs Canonem Concilii Iliiberitani de non euertendis idolis, qui contrarius videtur huic sententiæ. Vide & quę dixi 3. *to. meæ Summæ Quæst. Regul. verb. homicidium num.* 5.

Tertiò. Tertia etiam pars probatur, quia quã martyrium est necessarium ad fidem, vel salutem spiritualem multarum conseruanda blasphemias vitandas, confessionem externam faciendam, vel quid simile, sine dubio obligatur homo exponere vitam suam pro Christo. D. Th. locis relatis, Sanchez, Amicus, Rainaudus, & alij apud Verricelli supr. q. 26. ac Thom. de Iesu supr. dub. 2.

DISPVTATIO III.

De Temperantia.

Quæstio prima.

Quid sit Temperantia.

Notatio. NOto, quod temperantia sumitur dupliciter; primo, largè, seu latè pro eo quod est actiones, & affectiones inordinatas tẽperare & refrenare; prout generaliter cõpetit omnibus virtutibus moralibus. Secundo strictè pro eo quod est temperare, & refrenare actiones, & affectiones inordinatas circa ea, quæ maxime alliciunt, scilicet voluptates corporis, in cibo, potu, & venereis; seu circa sensibilia gustus, & tactus, quod idem est. Sic Aristoteles 3. Ethic. cap. 10. S. Th. in hac 2. 2. quæst. 141. artic. 4. & vtriusque Expositores. In præsenti ergo de temperantia in hac secunda acceptione loquendum.

1 conclus. Et dico primò, temperantia in hac secunda acceptione est virtus moralis, & specialis. Ita ex Arist. 2. *Ethic. cap.* 7. & 4. *Ethic. cap.* 3. D. Th. quæst 141. artic. 1. & 2. conformiter etiam ad doctrinam D. Ambros. lib. 1. de offic. cap. 43. & D Augustin. lib. de morib. Eccles. cap. 15. & 19. Probatur quod sit virtus, quia illi competit definitio virtutis in

Digitized by Google

genere, quam tradidimus to. 2. Tract. 4. disp. 3. quæst. 1. ex Arist. 3. *phys. cap.* 3. scilicet, *Virtus est dispositio perfecti ad optimum* Deinde quod sit virtus moralis, quia est *habitus electivus in mediocritate consistens, prout prudens determinat*, quæ est definitio virtutis moralis, iuxta dicta eo loco. Præterea quod sit specialis quia habet pro obiecto specialē honestatem, quæ est in moderandis, & coercēdis voluptatibus appetitus in cibo, potu, & venereis, quæ maxime alliciunt hominem; perturbant, & obtenebrant iudiciū rationis; auocant à diuinis, & faciunt cōmunem cum bestiis: ac proinde continent specialem turpitudinem moderādam per specialem virtutem. Etsi enim hoc possit fieri ex diuersis virtutibus, scilicet Charitate, pœnitentia, obedientia &c. tamen quatenus fit propter dictam specialem honestatem, & conuenientiam, quam cum recta ratione habet, pertinet specialiter ad hanc virtutem. Legendi Salmanticenses nostri in *Arbore prædicamentali virtutum nu.* 105 & 106.

Secunda; Dico secundo, Temperantia etiam est virtus Cardinalis. Ita quoque ex D. Gregorio lib. 21. *mor. cap.* 36 & Diu. Thom. supra quæst. 141. articulo septimo, & octauo, & aliis Theologis. Ratio sumitur ex dictis tom. secundo relato Tract. 4 disputatione quinta quæstione quarta, quod videlicet virtus Cardinalis sit virtus principalis: hoc enim competit temperantiæ; quia cū moderetur voluptates relatas, quarū delectationes sunt maximè naturales, quia sunt necessariæ pro conseruatione naturæ; virtus ipsas moderans principalis debet esse: & ita, vt constabit ex dicendis, ad illam reducuntur aliæ virtutes, quod etiam est veluti proprium virtutis Cardinalis. Quomodo autem sit minus perfecta aliis virtutibus Cardinalibus eo loco dixi.

Tertia. Dico tertio, regula, quam seruat tēperantia in moderandis dictis voluptatibus, est, vt eę solum à nobis accipiantur, quæ sunt necessarię, vel vtiles ad conseruationem naturæ, circunstantiis inspectis: videlicet tantum cibi, & potus, quantum sufficit ad conseruationem individui; & delectationes venereas, quantum solum deseruiunt ad vsum matrimonii. Sic ex Diuo Augustino lib. *de morib. Eccles. cap.* 21. Diuo Hieronymo in *cap.* 44. *Ezechiel*. Diu. Thom. dicta quæstione 141. artic. sexto, & Theologis aliis. Ratio est, quia cum huiusmodi delectabilia sensus non sint per se appetibilia ab homine vt rationalis est, vt diximus tom. 2. Tract. 2. disput decima quæst. secunda: ideo solum appeti possunt quatenus sunt necessaria, vel vtilia ad conseruationem naturæ individualis, vel specificæ, modo dicto: atque ita hanc regulam seruat prudentia in illis moderandis.

Est tamen difficultas contra dicta. Quia moderari delectationes spirituales, quæ scilicet sequuntur operationes intellectus, qualis est, v. g. contemplatio rerum diuinarum, & etiam delectationes quæ sequuntur operationes sensuum internorum, v g. circa honores, diuitias, confabulationes &c. similiter aliquas corporales, quę sequuntur operationes aliorum sensuum, scilicet visus, auditus, odoratus; non pertinet ad aliquam specialem virtutem: ergo neque moderari delectationes, quæ sequūtur operationes gustus, & tactus pertinebit ad aliquam virtutem specialem. Difficult. Respondeo tamen, concesso antecedenti, negando consequentiam; & ratio est, quia cum tales delectationes non sint tam vehementes sicut illæ, quæ sequuntur ex operationibus gustus, & tactus (eo quod istæ sunt maximè connaturales, & ad conseruationem naturę individualis, & specificę ordinatę) & quia perturbant, seu obtenebrant iudiciū rationis; & sūt cōmunes hominibus cum brutis; ac per consequens valde à ratione deuiantes: ideo ad istas compescendas requiritur specialis virtus temperantiæ, non ad illas, quia ad ipsas sufficient aliæ virtutes. Sic colligo ex Lessio, Tannero, & Salmanticensibus supra.

Quæstio secunda.

Quæ sint partes Temperantiæ.

POsita diuisione partium, de quas in præcedentibus disputationibus diximus loquentes de virtutibus prudentiæ, & fortitudinis; modo de partibus temperantiæ, conformiter ad dicta to. 2. Tract. 4. disp. 5. quæst. 4. dicendum primo, quod partes integrantes, seu integrales temperantiæ, illæ videlicet, quæ ad integritatem, & perfectionem ipsius sunt necessariæ, veluti ipsius conditiones, sunt duæ: scilicet, *verecundia*, per quam quis refugit turpi- Temperantiæ partes

tu di-

rudinem temperantiæ contrariam; & *honeſtas*, qua amatur pulchritudo ipſius temperantiæ. D. Th. quæſt. 143. artic. vnico, & quæſt. 144. & 145.

Partes potentiales.

Partes vero potentiales, id eſt, virtutes minus principales, quæ participant modum operandi ipſius; etſi diuerſimode numerentur; iuxta eoſdem tamen Salmanticenſes num 125 ſequentes D. Th. ex Ariſtotele, Tullio, & Macrobio, numerantur nouem, ſcilicet, *continentia*, *manſuetudo*, *clementia*, *modeſtia*, *humilitas*, *philotimia*, *ſtudioſitas*, *modeſtia morum*, *eutrapelia*, & *modeſtia cultus*. Ex quibus *continentia*, omiſsis aliis ipſius acceptionibus, eſt quidam habitus, per quã voluntas reſiſtit paſsionibus appetitus concupiſcibilis, non quidem illas refrenando, aut compeſcendo, ſicut facit temperantia, ſed firmando, & detinendo voluntatem, vt illis non conſentiat. Vnde non eſt virtus perfecta, quia de ratione virtutis perfectæ, eſt rectificare adæquatum principium illius, quod non facit continentia, quia etſi rectificet voluntatem, non tamen rectificat appetitum, propter dicta. *Manſuetudo*, quæ etiam mititas dicitur, eſt ira moderatrix, cohibens appetitum, vt in iram non prorumpat; vel ſi prorumpit id fiat ſine peccato, iuxta illud Pſ. 4. *Iraſcimini, & nolite peccare*. Deinde *clementia*, quę valde affinis eſt manſuetudini, vt propterea ab aliquibus cum ea confundatur, eſt, quę moderatur paſsionem iræ circa inflictionem pœnę, ſeu punitionem delictorum. *Modeſtia*, quę eſt idem quod *modum ſciens*, eſt, quæ talem modum in humanis actionibus, & motibus *Humilitas*, quæ dicitur ab *humo*, ſeu *imo loco*, eſt, per quam voluntas cohibetur ne plus excellentiæ, & honoris appetat quam hominis ſtatui, & conditioni congruit. *Philotimia*, quæ parum, aut nihil ab *humilitate* differt, vt propterea à multis cum ipſa confundatur, importat *amorem honoris*; hoc enim Græci ſonat *philotimia*, intellige, amorem honoris debiti, & ſecundum menſuram rationis. Pro quo videnda quæ diximus ſupra diſputatione præcedenti quę ſt. 4. *Studioſitas*, quę eſt habitus inclinans ad amorem, & affectum, erga ſtudium, & moderatur appetitum ſciendi, vt ſcilicet non fiat niſi circa ea, quæ rectæ rationi congruunt, & prout congruunt. *Modeſtia morum*, quæ etiam parum, aut nihil à *Modeſtia* generaliter dicta differt, importat habitum, qui externos motus, & geſtus corporis componit, & temperat; ſeruatq; in eis, quod eſt ſecundum rationem decorum. *Eutrapelia*, eſt habitus, qui in ludicris, & iocoſis mediocritatem conſtituit, quatenus ad animi relaxationem, & humanum conuictum expedit. *Modeſtia cultus*, quę etiam non multum *modeſtia* differt, eſt habitus qui in corporis cultu, rerumq; externarum apparatu menſuram rationis, & decorem obſeruare præſcribit. De his D. Thom. à quæſtione 143. vſque ad quæſtionem 169. Ex poſitores ipſius, & Salmanticenſes noſtri in *Arbore prædicamentali virtutum à num.* 107. *vſque ad num.* 159.

Partes ſubiectiuę.

Partes tandem ſubiectiuę, ideſt, ſpeciei temperantię, communiter aſſignantur quattuor, ſcilicet, *abſtinentia*, *ſobrietas*, *caſtitas*, & *pudicitia*. Ex quibus *abſtinentia* eſt virtus, quę cupiditates, & delectationes eſculentorum moderatur, ita vt ex illis tantum ſumatur, quantum neceſſarium eſt corporis valetudini, & mentis diſpoſitioni ad ſuas functiones obeundas. Quod Diu. Auguſtinus de moribus Eccleſ. cap. 21. dixit: *Ad vitæ huius, atque officiorum neceſſitati quantum ſatis eſt*, & 10 *confeſſ. cap.* 31. *vt quemadmodum medicamenta ſic alimenta ſumpturus accedam*. Deinde *Sobrietas*, quæ à *Briai* Græcè, id eſt, menſura, deſcendit, prout in præſenti, eſt virtus mediocritatem conſtituens in potu inebriare valente. *Caſtitas*, ſic dicta à *caſtigando* eſt illa, quæ venereas concupiſcentias coercet, & caſtigat. *Pudicitia*, quæ propterea parum, vel nihil à caſtitate differt, eſt quæ etiam vſum venereorum licitum, & quodcunque illorum ſignum, quod verecundiam, & pudorem gignit, comprimit, & auerſatur. Sanct. Thom. quæſt. 143. articulo vnico, quæſtione 146. 149. 150. & 151. Expoſitores ipſius, Salmanticenſes ſupra numero 110. & ſequentibus, & nos infrà.

Quæſtio tertia.

De vitijs Temperantiæ contrarijs.

Vitia contraria.

CVm temperantia ſit virtus moralis in medio conſiſtens ideo illi duo vitia extrema opponuntur, alterum per exceſſum, alterum vero per defectum. Vitium illi contrarium per exceſſum communi vocabulo appellatur *Intemperantia*, quod contingit quando delectationes guſtus, & tactus, ſcilicet in cibo, potu, & Venere, ſumuntur quando non oportet, aut in ea menſura quæ non oportet. Erit que peccatum mortale, vel venale, iuxta materiæ circa quam verſatur, grauitatem, vel leuitatem. Vitium autem illi contrarium per defectum vocatur *inſenſibilitas*, ſeu *ſtupor*, quod contingit (etſi raro) quando tales delectationes non ſumuntur quando oportet & in ea menſura, qua oportet. Vnde etiam erit peccatum mortale, vel veniale, iuxta grauitatem, vel leuitatem materiæ. D. Th. quæſt. 142. per totam, eius Expoſitores, & Salmanticenſes noſtri num. 104.

Alia vitia.

Partibus etiam integrantibus temperantiæ, quas diximus quęſt. pręced. eſſe *verecundiam*, & *honeſtatem*, opponuntur *inuerecundia*, qua quis non horret turpia quæ agit, & de ijs non timet vt probari: & *inhoneſtatem*, qua quis odit pulchritudinem, & decorem ipſius temperantiæ. Quæ etiam erunt peccata mortalia, vel venialia, iuxta qualitatem materiæ.

Alia.

Partibus quoque poteſtatiuis hęc vitia contrariantur. Continentia quidem *incontinentia*, quæ eſt cum voluntas paſſionibus appetitus commota deficit à firmitate in bonum, quam ſecundum rationem rectam habere debebat. Manſuetudini duo vitia, alterum per exceſſum, ſcilicet *iracundia*, ſeu *ira*, quę eſt appetitus vindictæ, quę non expedit, ſeu quando non expedit, eſtque vitium capitale, quia ex eo oriuntur alia, ſcilicet *rixa*, *indignatio*, *clamor*, *contumelia*, *blaſphemia*, *periurium*, & ſimilia, prout ex D. Gregorio 31. mor. cap. 7. colligunt Theologi. Alterum per defectum quod poteſt dici *iniraſcentia*, ſeu *lentitudo*, qua videlicet homo non debita ira vitur quando & vbi oportet. Clementię opponuntur etiam duo vitia, per exceſſum, & defectum: per exceſſum quidem *crudelitas*, ſeu *ſæuitia*, vel etiam *feritas*, aut *immanitas*, quando videlicet iudex excedit in punitione delicti, illud puniendo maiori pœna quam meretur: per defectum vero *nimia lenitas*, quando videlicet non punitur delictum ea pœna qua meretur. Item modeſtiæ opponuntur duo alia vitia, per exceſſum ſcilicet, & per defectum: cum enim illa, vt diximus, ſit *modum ſciens*, ſi is modus exceditur, tunc erit *immodeſtia*, ab aliquibus vocata *inſolentia*, vel *petulantia*: ſi vero in illo quis deficit, etſi tale vitium innominatum ſit, vocari tamen poteſt *negligentia*. Præterea humilitati opponuntur per exceſſum, *ſuperbia*, quæ eſt *appetitus immoderatus propriæ excellentiæ*, quia *ſuperbus* dicitur, quia *ſuper vult videri pluſquam eſt*; & per defectum aliud vitium, quod poteſt appellari *nimia deiectio*, & ab aliquibus appellatur *puſillanimitas*. Philotimiæ inſuper opponuntur per defectum *aphilotimia*, quæ eſt idem, ac *ſine amore honoris*; vitium autem per exceſſum illi oppoſitum innominatum videtur, etſi poſſimus dicere eſſe *ſuperbiam*, quia eſt amor, ſeu deſiderium maioris honoris, quam alicui debeatur. Studioſitati maximè per exceſſum opponitur *curioſitas*, quę importat ſuperfluam voluntatem, ſeu deſiderium ſciendi res inutiles, vel captum pro prium ſuperantes: & per defectũ *negligentia*, quę denotat omiſſionẽ, vel remiſſionẽ animi, in addiſcẽdis neceſſariis. Ad hęc modeſtia morum habet ſuo modo pro vitiis contrarijs ea, quę diximus habere modeſtiam. *Eutrapelia* vero contraria vitia ſunt, per exceſſum *ſcurrilitas* & per defectum *duritia*, ſeu *aggreſſitas*, Denique modeſtia cultus, cum parum differat à modeſtia, ſeu modeſtia morum, poteſt dici habere eadem contraria. Solum video Ariſtotelem apud Diu. Tho. vitium contrarium per defectum huic virtuti vocare *mollitiem*. De his idem Diu. Thom. quæſt 156 158 159. 162. 168. & 169. Expoſitores ipſius, & Salmanticenſes locis citatis in ſuperioribus.

Nota.

Hęc aũt vitia cõtraria virtutibus, quę ſũt partes poteſtatiuę tẽperantię erunt mortalia, vel venialia, ex parte materiæ, ſi ipſa fuerit grauis, vel leuis &c. Alia etiam dicam in ſequentibus. Vitia porro op-

oppoſita partibus ſubiectiuis *temperantiæ*, ſcilicet *abſtinentiæ ſobrietati*, *caſtitati*, & *pudicitiæ*, ſunt abſtinentiæ *gula* ſobrietati *ebrietas*; caſtitati *luxuria*; pudicitiæ *impudicitia*. De quibus cum virtutibus, quibus opponuntur, in ſequentibus dicendum.

Quæſtio quarta.

De Abſtinentia, & Ieiunio.

De abſtinentia. EX dictis quæſtione ſecunda conſtat, quæ ſit natura, & definitio virtutis abſtinentiæ, quæ, vt diximus, eſt etiam pars ſubiectiua, ſeu ſpecies temperantiæ. Commendatur in Sacra Scriptura 2. *Petr.* 1. dum Apoſtolus præcipit miniſtrari *in ſcientia abſtinentiam*, *in abſtinentia autem patientiam*. Commendatur etiam à PP. & DD. Eccleſiæ. Quod magis explanabitur loquendo de abſtinentia à carnibus, & ieiunio, qui actus ipſius abſtinentiæ ſunt.

De abſtinentia à carnibus. Et quidem de abſtinentia à carnibus, diebus videlicet ieiunij Eccleſiaſtici, & ferijs ſextis, & Sabbatis loquendo, dicendum, obligare omnes fideles Chriſtianos, vſum rationis habentes, qui communiter ſeptimo anno incipit. Sic enim tenent Azorius, Corduba, Rodriguez, Gomez, Angles, Suarez, & Henriquez, quos affert, & ſequitur Sanchez lib. 1. in præcepta Decalogi cap. 12. numero ſexto. Vnde parentes, qui carnes illis præbent ijs diebus grauiter peccant, vt poſt Azorium, Caietanum, & Cordubam tenent Fagundez de quarto Eccleſ. præcept. lib. 1. capitulo octauo num. 8. Solum ergo eſt quæſtio de ieiunio Eccleſiaſtico.

De ieiunio. Igitur *ieiunium*, cuius ethymologia, prout dixi tom. 3. meę Summę quęſtionum Regularium verbo *ieiunium* numero ſecundo, ſumitur à quodam inteſtino *ieiunum* vocato, quod fere ſemper eſt vacuum, eſt triplex, aliud *metaphoricum*, vel ſpirituale, quod eſt idem, qnod abſtinentia à vitijs, & peccatis: aliud *naturale*, quod eſt abſtinẽtia à quocunque cibo, & potu: aliud *Eccleſiaſticum*, quod eſt *abſtinentia voluntaria à cibo, iuxta præſcriptum Eccleſiæ, vel receptam conſuetudinem*, prout loco relato dixi: vel prout colligitur ex Diu. Thom. quæſt. 147. articulo primo eſt *Maior victus parſimonia, & abſtinentia, quam communis temperantia regula poſtulat*. Nunc addo, ieiunium naturale diuidi poſſe in *negatiuum*, & *poſitiuum*, quod ab alijs appellatur *morale*. Ieiunium naturale negatiuum eſt id quod conſiſtit in mera, & pura negatione cibi, & potus, quod D. Th. eo loco ad 3. vocat *ieiunium ieiuni*: ieiunium autem naturale *poſitiuum*, ſeu *morale*, eſt actus poſitiuus abſtinentiæ, per quem alimentum ſumitur in ea proportione, quæ eſt neceſſaria naturæ. Et ita non conſiſtit in eadem menſura, reſpectu omnium, ſed iuxta diuerſitatem complexionum. Ita ex Diu. Thom. quæſtione 146. articulo primo. Paſqualigus *de ieiunio deciſ.* 1. *num.* 3: addens, ad hoc ieiunium omnes teneri, omni etiam tempore, quia cadit ſub præcepto naturali. Fauent Tannerus, Laymanus, & Salmanticenſes noſtri *in Arbor. prædicam. virtut. num.* 112.

De ieiunio Eccleſiaſtico. De ieiunio autem Eccleſiaſtico, de quo in præſenti, loquendo, quinque hæc inquiri poſſunt. Primum, quę conditiones ad illud requirantur; ſecundum, quas perſonas obliget; tertium, quo tempore, aut quibus anni diebus; quartum, quæ excuſent ab eius obligatione; quintum, quid intelligatur nomine *cibi*, cum dicitur in definitione adducta ieiunij *abſtinentia à cibo*.

Tres conditiones illius. Et quod attinet ad primum, communis eſt ſententia DD. tres conditiones neceſſarias eſſe pro Eccleſiaſtico ieiunio, ſcilicet delectum ciborum, ſeu abſtinentiam à carnibus, ouis, & lacticinijs; vnicam comeſtionem; & certum tempus comedendi, ſcilicet meridiem. Ita ex Iuribus, & DD. probati loco relato ex tertio tomo Summæ. Quibus modo iungo pluriſs Patres apud recentiores.

Prima. Prima porro conditio importat, quod nullatenus carnes, ouа, aut lacticinia comedantur in diebus Quadrageſimalibus: in aliis autem diebus ieiunij, carnes: ouа vero, & lacticinia, iuxta Regionis, ſeu Patriæ conſuetudinem. Prout ex Iuribus, & DD. probati loco relato numero tertio. Nomine autem carnis intelliguntur etiam ſagimen, ſeu laridum porcinum, & anſerum pinguedo, quia iſta non ſolum trahunt originem ex carne, prout ſunt ouа, lac, caſeus, & butyrum; ſed ſunt ipſa caro pinguis illorum animalium liquefacta: & ita, niſi obſtet legitima, & rationabilis

Digitized by Google

bilis consuetudo in contrarium, pro carne habenda sunt, nec vllatenus comedenda in diebus ieiuniorum. Henriquez, Vinaldus, Filiucius, Medina, Villalobos, Layman, Trullench, Castrus Palaus, & alii; contra aliquos Canonistas, & Summistas, quos sequuntur Fagundez, & ex parte Pasqualigus. Quamuis autem pauci aliqui cum Fagundez dicant, præceptum hoc non comedendi ova, & lacticinia in diebus ieiuniorum non obligare sub mortali, oppositum tamen est verum, prout supponit Diu. Thom. quæstione 147. articulo vltimo; Caietanus, Nauarrus, Valentia, Lessius, Laymanus, Ioannes Sancius, & Palaus. Quia est præceptum de re graui.

Secunda

Secunda autem conditio de vnica refectione, prout dixi loco relato num. 4 ex variis Doctoribus, non excludit sumptionem paruæ quantitatis cibi per modum medicinæ, vrbanitatis, vel similis honestæ causæ nec interruptionem comestionis, propter graue aliquod negotium occurrens; si cum intentione redeundi ad prandium facta est: nec etiã refectiunculã serotinam ex pane, fructibus, oleribus; in quantitate tamen non excedente quatuor vncias; excepto Pernigilio Natiuitatis Domini in Hispania, vbi vsu receptum est, quod hæc refectiuncula sit plus solito maior. Addo; senes, delicatos, & non potentes dormire, posse refectiunculam serotinam aliquantulum maiorem sumere.

Dubium.

Quæri tamen solet, an violans ieiunium secundam comestionem faciens, peccet mortaliter toties quoties postea iterum comedat. Ad quam dicendum, quod licet Maior, Couartubias, Medina Complutensis, Molanus, & Siluius affirmatiuè respondeant; nihilominus contrarium est probabilius, quod tenent Henriquez, Toletus, Suarez, Lessius, Reginaldus, Diana, Layman, Palaus, & multi alii. Fundamentum est, quia cum ratio constitutiua ieiunij per duas comestiones destruatur, eo quod de eius essentia est vnica tantum comestio, ideo ieiunium illa die est iam impossibile, & ita non peccabit qui postea alijs vicibus comedat. Secus vero dicendum de eo, qui comedit sæpius carnes in die prohibito, ille enim toties peccat quoties illas comedit, vt docent cõmuniter DD. qnorum plurimos affert Pasqualigus. Eo quod Ecclesia in prohibitione comedendi carnes obligat ad totalem abstinentiã à carnibus illa die, & ita per quamcumque carnis comestionem violatur præceptum. Vide Fagundez Laymanum, & Pasqualigum.

Tertia conditio.

Tertia porro conditio ieiunij, scilicet de hora comestionis, esto valde commendabilis sit, vel ad exemplum Essenorum legis nouæ post Apostolos primorum Monachorum, de quibus Vvaldensis notet to. 1. doctrin. fid. lib. 3. artic. 1. cap. 7. ex Eusebio ait: *Sol numquam viuit eos soluisse ieiunium*; non videtur tam necessaria sicut præcedens. Siquidem, iuxta dicta eo loco num. 5. omissio ipsius non est peccatum mortale, sed solum veniale. Quod præter authores ibi relatos, tenent plures, quos referunt, & sequuntur ex modernioribus Palaus, & Pasqualigus. Imo etiam, quia, iuxta eo loco dicta, si adsit causa rationabilis præueniendi hoc tempus, nullũ sit peccatum, neque veniale id facere, prout etiam tenent plures, quos etiam refert, & sequuntur idem Palaus. Quod idem dixi de collatione in mane, & prandio in nocte, ex Toleto, & Saa, quibus iungitur idem Palaus referens Fagundez, Lessium, Villalobos, & alios.

De personis obligatis.

Circa secundum, de personis, quas obligat hoc præceptum ieiunii, dixi loco relato num. 6. & *eodem 3. to. verbo ætas num.* 8. & *verbo annus num* 9. esse omnes, & singulos fideles annum at complentes. Esto, quod, vt eo num. 6. dixerim, ex aliis capitibus, voti scilicet, pœnitentiæ, & præcepti naturalis, imo etiam Regulares ex vi suæ Regulæ, & Constitutionum, ante id tempus obligari possint. Qualiter autem, & quomodo ijdem Regulares obligentur ad ieiunia indicta per Constitutiones Synodales, vel per promissiones, aut vota populorum, in quibus sunt, dixi *eo verbo ieiunium num. septimo*.

Dubium.

Solet autem quæri, an peregrini, & forenses teneantur seruare ieiunia locorum, per quæ transeunt; vel saltem ieiunia suæ patriæ. Et consequenter ad dicta *tomo præcedenti Tract. 6. de legib. disp. 7. quæst.* 8. dicendum primo, illos non obligari ad ieiunia particularia suæ patriæ. Ita enim colligitur ex pluribus DD. ibi relatis, ac maximè ex *cap. vt animarum de constit. in 6.* & quia leges, & consuetudines locales, seu municipales, cum solum respiciant bonum sui territorii, sic etiam solum censeri debent obligare subditos dum in eo sunt, non quando sunt absentes. Dico tamen secundo, obligari istos ad ieiunia locorum, ad quæ accedunt, sic enim colligitur ex pluribus DD. quos ibi retuli; & ex vulgari illo, *dum fueris Romæ, Romano viuito more, & si fueris alibi, viuito sicut ibi.*

Deinde

Deinde, quia, cum iſti, iuxta dicta ſupra, ſint exempti à ieiuniis ſuæ patriæ, recta ratio dictat, quod teneantur ieiuniis locorum vbi manent. Accedit, quod etiam recta ratio dictat, quod homines conformentur in modo viuendi cum iis, cum quibus verſantur. Præterea, quia dici poteſt, quod eo ipſo, quod veniunt ad aliquem locum, ſaltem per notabile tempus in eo moraturi, iam deſinere eſſe forenſes, & peregrinos, & fieri incolas, ac contrahentes domicilium in ipſis, iuxta *l. domicilium, ff. ad municipalem*, ac perinde teneri ipſorum legibus, & ieiuniis locorum, vbi ad præſens morantur; vt eo loco dixi. Denique accedit, quod ſi iſti peregrini, aut forenſes non obſeruant ieiunia in locis in quibus manent, regulariter loquendo, imo per ſe quantum eſt ex parte ipſorum, alii, cum quibus tractant, ſcandalizantur.

De tempore obligationis.

Circa tertium, de tempore, aut diebus, in quibus ieiunium Eccleſiaſticum obligat, dicendum, ieiunium quadrageſimale obligare à feria quarta Cinerum vſque ad Sabbathum proximum Paſchæ. Sic enim habetur ex vſu Eccleſiæ; & quia ex illis diebus, exceptis Dominicis, in quibus ſolum eſt abſtinentia à carnibus, quadraginta dies ieiunii ad imitationem ieiunii Chriſti, numerantur. Quamuis autem plures, & grauiſſimi PP. ſpecialiter Ambroſius, Auguſtinus, Maximus, Leo, & Beda, videantur dicere hoc quadrageſimale ieiunium eſſe de iure diuino, & à Chriſto inſtitutum; cæterum communiſſima DD. ſententia eſt, aliorum etiam PP. authoritate roborata, non fuiſſe à Chriſto inſtitutum, ſed ad eius imitationem ab Apoſtolis; & auctum poſtea à S. Theleſphoro Papa, ita vt ſeptimam hebdomadam adiungeret ſex, quæ antea erant, *can. Quadrageſima diſt.* 4. Quod poſtea ceſſauit, & tempore D. Gregorij, vel vt alij volunt, Gregorij 2. ſex illis hebdomadis, quæ faciunt numerum 36. dierum, adiuncti ſunt quatuor illi dies, qui ſunt ante Dominicam primam Quadrageſimæ, vt ſic compleretur quadragenarius numerus dierum ieiunij. Toto autem hoc tempore obligare ieiunium quadrageſimale habetur ex *can. non licet de conſecrat. diſt.* 3. & *can. Quadrageſima de conſecrat. diſt. quinta*. Obligat autem ad mortale, prout ex *can.* 68. Apoſtol. & Concil. Grangenſi *can.* 19. tradunt Doctores, ſpecialim Panormitanus, Couarrubias, Azor, Leſſius, Fagundez, Palaus, & alii. Pro quo videnda quæ dixi contra opinionem exiſtimatam Caietani in meis Conſultis *conſul.* 48. *nu.* 46. Similia etiam ieiunia inſtituta, vel ſaltem recepta ſunt ab Eccleſia: ieiunia videlicet Quatuor Temporum; Vigiliæ Pentecoſtes; Natalis Domini; Aſſumptionis Beatiſsimæ Virginis; Vigiliarum etiam Apoſtolorum, Sancti Ioannis Baptiſtæ; Sancti Laurentij, & omnium Sanctorum. Ieiunia autem Litaniarum, & Rogationum non ſunt ab Eccleſia vniuerſali recepta, quia inter Paſcha, & Pentecoſtem ieiunia non indicuntur, *can. ſcire diſt. 76. can. conſilium de obſeruat. ieiuniorum*, D. Th. quæſt. 147. artic. 5. Pro his omnibus videndi recentiores, Paſqualigus maximè, qui opus integrum de ieiunio ſcripſit.

De ieiunio dies Dominico

Illud præterea circa tempus ieiunii notandum, quod quamuis omnibus anni diebus poſſint fideles ieiunare, ex voto videlicet, pœnitentia impoſita, deuotione, aut alio honeſto motiuo; nihilominus ſola dies Dominica excipi videtur; tum ex vſu Eccleſiæ, quo conſtat, quod ſi ea die venit Vigilia, anreponitur in Sabbatho præcedenti; tum quia *in cap. ieiunium de conſecrat. diſt.* 3. id prohibitum eſt à Gelaſio Papa, idque etiam conſtat ex *can. poſt Paſchas 76. diſt.* Nihilominus dicendum eſt, ſecundum ſe, & abſolute loquendo, licitum eſſe ieiunare etiam die Dominica; tum quia in *cap. vlt. de obſeruat ſiſtor.* permittitur aliquibus ieiunium in die Natalis Domini, multo ergo magis id permittendum in Dominicis diebus, quæ minus ſolemnes ſunt, quam talis feſtiuitas. Tum quia ieiunium ſemper eſt bonum, laudabile, & meritorium, & conducit ad mortificationem carnis, ac proinde ex præcepto naturali temperantiæ poteſt obligare etiã die Dominica. Vnde D. Hieronym. in *epiſt. ad Lucinum* 28. inquit: *Vtinã omni tempore ieiunare poſſemus*: Ad iura autem in contrarium dico, antiquitus fuiſſe quoſdam hæreticos negantes Chriſti Reſurrectionẽ, & propterea in ipſius contemptum die Dominica ieiunantes; & propterea ab Eccleſia prohibitum eſt illis iuribus tale ieiunium: eſto quod non ab omnibus Eccleſiis hoc præceptum receptum eſſet, vt colligitur ex Diuo Hieronymo loco relato. Quia ergo tales hæretici iam ſunt extincti, ceſſante hoc errore, ſuperſtitione, ſcandalo, aut ſingularitatis vitio, licebit ieiunare die Dominica: eſto quod non expediat ſemper propter lætitiã Reſurrectionis Chriſti, quæ ea die contigit. Videndus D. Tho-

Th. quæſt. 147. artic. 5 eius Expoſitores, Bellarminus, Valentia, Laimanus, & Palaus.

Circa eau ſas excuſantes.

Circa quartum, de cauſis excuſantibus à ieiunio, ſufficienter dixi loco relato ex 3. to. Summę Quæſtionum Regularium num. 8. & ſequentibus, quæ ad compendium redacta, ſunt. Excuſari à ieiunii Eccleſiaſtici præcepto, primo, infirmos, vel valetudinarios, qui conſilio medici, vel Superioris non poſſunt abſque notabili damno ieiunare. Secundo, ſenes, quibus inedia, vel vnica tantum refectio notabilem afferunt virium debilitatem. Tertio, pauperes, qui non poſſunt habere ſimul vnum prandium ſufficiens ad ieiunandum pro ea die. Quarto, laborantes corporaliter, quibus vna tantum comeſtio non ſufficit. Quinto, laborantes etiam ſpiritualiter, quales ſunt Concionatores in tota Quadrageſima, & Confeſſores continui. Sexto, habentes priuilegium ad non ieiunandum. Septimo, diſpenſatos legitime à Papa, Epiſcopo, vel alio Superiore Eccleſiaſtico ad id authoritatem habente. An autem diſpenſati ad edendum carnes, ouа, ſeu lacticinia teneantur ad ieiunium; & an poſſint eadem die piſces comedere; & qualiter intelligenda diſpenſatio in ouis, & lacticinijs dixi loco relato nu. 11. De huiuſmodi autem cauſis à ieiunio excuſantibus ex noſtris Bachonius in 4. diſt. 20. quæſt. vnica, & ibi Bononienſis.

De cibo.

Circa quintum, quid videlicet nomine cibi intelligatur in definitione ieiunii Eccleſiaſtici, dicendum intelligi non ſolum carnes, piſces, fructus, olera, herbas, ſaccarum, mel, ſed etiam aliqua liquida, qualia ſunt, lac, ius, muſtum coctum, & ſi quæ ſunt alia iis ſimilia. Non vero ea quæ merè ſunt potus, & dantur ad extinguendam ſitim, & vt vehiculum cibi; qualia ſunt aqua, imo & vinum, vt dixi loco relato ex 3. tomo Summæ num. 2. Loquendo autem de *Chocolate*, cenſeo nomine cibi comprehendi, ita vt ipſius ſumptio in notabili quantitate frangat ieiunium, prout loco relato in ſinuaui, & latè probaui in meis Conſultis Conſulto 48. num. 88. & ſequentibus. Deſu aũt qui afferri poteſt in contrarium ex mea piſſima, & Catholica Hiſpania, dubitari poteſt an potius ſit abuſus à delitioſis quibuſdam in fraudem ieiunii introductus, & à nonnullis modernis approbatus, quam vera, & legitima conſuetudo. Ide dicendum de aquis ſaccaro mixtis, aut ex cedro, gelſominis, aut aromatibus conditis: ſi enim hęc fint in notabili quantitate cum aquis permixta, ſicut ipſa ſunt cibus, ita & aquæ cũ quibus ſunt permixta cibus erunt. Secus vero, ſi in parua quantitate ũ aqua permixta fuerint, quia vt ſic potius cenſeri debent quaſi tranſiſſe in naturam aquæ; & eſſe potum. Per quam diſtinctionem conciliari poſſunt ſententia Sanchez, & aliorum, qui pro cibo eas tenent, & Paſqualigi, qui ſolum pro potu.

De aliis.

Specialiter quamuis idem Paſqualigus, quem ſequitur Marcus Vidalis, dicant poſſe ſumi ſine fractione ieiunii ad ſedãdam ſitim pomum aliquod, vel pyrum, & mala Maſſilica, ideſt citralicè *limoni*; ac male modica, italicè etiam *aranci*; imo etiam vuas recentes in quacunque quãtitate; eo quod hæc omnia ſolum important ſuccum, qui potius ad potum, quam ad cibum deſeruit. Nihilominus hęc ſententia, quod ad vuas attinet, non ſolũ eſt ſingularis, & inaudita, ſed propter illam, & alias liber ipſius Vidalis, in quo continetur à S. Congreg. Indicis reprobatus eſt: ea videlicet de cauſa; quia communis ſenſus totius Orbis eſt vuas eſſe cibum, non potum; edi, non bibi; eſſe etiam nutritiuas quoad vinacea quoque, & granula (eſto quod integra egerantur ob defectum caloris ſtomachi humani) ſiquidem ſues, & gallinæ ipſis nutriuntur; nec eſſe vehiculum cibi, quod videtur eſſe de ratione potus. Idem dico de pyris, & fructibus illis relatis, propter ſimilem rationem. Et quia idem dici poſſet de ceraſis, melo granaris, & ſimilibus. Vnde ſolum hæc ſententia admitti poteſt quando vera neceſſitas adſit, & iſta ſumantur in valde parua quantitate. Alias in fraudem, imo & contemptum ieiunii Eccleſiaſtici ageretur, cum magno periculo conſcientiarum; quod pii, & docti euitare debent: Modeſte propterea idem Paſqualigus de ſua ſententia ſingulari ſolum dixit *probabilis videtur*.

De ieiunio naturali.

Reſtabat agere de ieiunio naturali, & negatiuo, quod requiritur ante ſumptionem Venerabilis Euchariſtiæ, ſed quia de illo diximus eo tom. 3. Summæ Quęſtionum Regular. verbo *Euchariſtia à num. 16.* ad eum locum Lectorem remittimus.

APPEN-

APPENDIX.

DE IEIVNIO.

ET

ABSTINENTIA.

Appendicium.

PLACVIT per modum Appẽdicis adiungere, quæ Ioannes Beetz noſtri Ordinis Doctor antiquus, & pius, promoribus inſtruendis valde apta, de Ieiunio ſcripſit in libro, cui titulus eſt *In præcepta Decalogi*, Typis edito Louanij ſub anno 1486. *præcept. 3. expoſit. 4. cap. 1.* quæ talia ſunt, & ijs, quæ diximus valde conformia.

NOtandum, quod Ieiunium multipliciter commendabile eſt. Primo, exemplo Moyſi, qui ieiunauit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus; & Elię; & ipſius Chriſti. Item, quia Dei miſericordiam impetrat. Vnde Ionę 3. Ieiunio miſertus eſt Deus Niniuitis: Item, ieiunium conſolationem Dei, & Angelorum meretur: vnde poſt ieiuninm Chriſti acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei. Matth. 4. Et Cornelio oranti apparuit Angelus. Item carnẽ vincit, quæ eſt hoſtis familiaris: vnde Hier. Matth. 4. *Ieiunio paſſiones corporis, oratione ſananda ſunt peſtes mentis.* Item, diabolum vincit: vnde Iudith per ieiunium amputauit caput Holophernis. Ambroſ. *Vide quanta ſit vis ieiunij, vt ieiunus homo terrenum ſerpentem interficiat; multo fortius ergo ſpiritualem ſerpentem.* Item, de corpore noſtro ſacrificium facit Deo in odorem ſuauitatis. Roman. 12. *Obſecro vos per miſericordiam Dei,*

vt exhibeatis &c. Item, efficit hominem dignum mensa Christi. Bernard. in serm. *Non est magnum si ieiunet cum Christo, qui sessurus est ad mensam Patris cum eo* Luc. 6. *Beati qui nunc esuritis, quoniam saturabimini.* Secundo notandum, quod triplex est ieiunium, scilicet ieiunium à peccato, à temporali gaudio, & à cibo. De primo dicit Hieron. *Tunc præclara est apud Deum abstinentia corporis cum animus ieiunat à vitijs. Quid prodest tenuare corpus abstinentia cum animus intumescat superbia?* Isidor. *Qui à cibis abstinent, & prauè agunt, dæmones imitantur quibus esca non est, & nequitia semper est.* Isai. 48. *Quare ieiunauimus, & non aspexisti?* Et subditur responsio: *Ecce in diebus ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra &c. Ecce ad lites, & contentiones ieiunatis.* Glossa: *Homo interior vescitur carnibus draconis, qui datur esca populis Ethyopum.* Et Propheta: *Nunquid est tale ieiunium, quod elegi? nonne hoc est magis ieiunium quod elegi, dissolue colligationes impietatis &c.* A gaudio autem temporali ieiunāt viri contemplatiui. Sic ieiunabat qui dicebat: *Renuit consolari anima mea.* Tob 3. dicebat Sara: *Mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia; nunquam cum ludentibus me miscui, neque cum his qui in leuitate ambulant participem me præbui.* Ieiunium vero à cibo triplex est. Aliud enim est detestabile, aliud laudabile, aliud indifferens, Ieiunium indifferens est, quando homo ieiunat causa infirmitatis, vel indigentiæ solum. Detestabile est in hypocritis, vel auaris, qui ieiunant vt parcant bursæ: vel gulosis, qui ieiunant, vt postea melius comedant. De ieiunio hypocritarum dicitur Matth. 6. *Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes.* Auari vero fatui sunt, qui proprio ori subtrahunt quod in ore diaboli ponunt. Hieron. *Non sit ieiunium marsupij lucrum, sed satietas animarum.* Tertio vero, non ieiunant illi quorum Deus venter est, qui imminente solemnitate Dei sui, scilicet ventris, faciunt ieiunium vigiliæ. Gregor. in Pastoral. *Non Deo, sed sibi ieiunat, si ea quæ ventri ad tempus subtrahit non inopibus tribuit, sed ventri postmodum offerenda custodit.* Ieiunium autem laudabile tres habet species, scilicet ieiunium bonum, melius, optimum. Ieiunium bonum est, quando cum Charitate est, & ad satisfaciendum Deo pro peccatis. Ambrosius: *Qui charitatem non habet, omne bonum amittit, quod habet.* 1. Corinth. 13. *Si tradidero &c.* Ieiunium melius est quando aliquis ieiunat ad Dei honorem, & proximi vtilitatem, vt scilicet Dei contumeliam in suo corpore vindicet, & vt pauperibus tribuat quod sibi subtrahit. Optimum est quando homo ex vna parte abstinet, & ex alia parte bona agere non cessat. Isidorus: *Hoc est perfectum, & rationabile ieiunium, quando noster homo exterior*

terior ieiunat, & interior orat. Notandum tamen ſecundum Thom. *inſcrip. ſuper 4. ſententia d. 15.* quod per ieiunium non licet ſubtrahere neceſſarium vitæ, ſicut nec ſeipſum interimere: ſed hoc neceſſarium eſt valde modicum, quia natura modicis contenta eſt. Sed neceſſarium dicitur, quod pertinet ad conſeruandum valetudinem corporis. Et hoc accipitur in duplici ſtatu. Primo, ſecundum ſufficientiam habito reſpectu ad ea quæ incumbunt ex officio, vel ex ſocietate eorum, ad quos conuiuit, neceſſario agenda. Et tale etiam neceſſarium ſubtrahi non debet. Hoc enim eſſet de rapina hoſtium ieiunium offerre ſi aliquis propter ieiunium impediretur ab alijs operibus, ad quæ alias obligatur. Vnde Hieron. *De rapina holocauſtum offert qui vel ciborum egeſtate, vel manducandi, vel ſomni penuria immoderate corpus affligit.* Si etiam ſit tanta abſtinentia, quod homo ab operibus melioribus impediatur quamuis ad ea ex neceſſitate non teneatur, indiſcretum eſt ieiunium, etſi non ſit illicitum. Vnde Hieronymus dicit: *Rationalis hominis dignitatem amittit qui ieiunium charitati, vel vigilias ſenſus integritati præfert.* Secundo accipitur valetudo corporis ſecundum optimam diſpoſitionem corporis, & quia caro in ſuo robore conſiſtens difficilius ſpiritui ſubditur; ideo neceſſarium ad valetudinem ſic acceptam, etſi licitè accipi poſſit, tamen laudabiliter ſubtrahi poteſt, nec per hoc mors acceleratur, quia ex abundantia plures moriuntur, quam ex defectu. Ad laudabilitatem etiam ieiunij valet, & requiritur quod in charitate fiat, & non in peccato mortali, alioquin non prodeſt ad vitam æternam: licet ieiunium in peccato mortali bene poſsit ad alia, & præcipue ad tria. Vnum eſt deobligatio mandati ad quod tenebatur, ſiue ex obligatione Eccleſiæ, ſiue obligante Confeſſore, qui pœnitentiam iniunxit. Aliud eſt, quod diſpoſitionem bonam, & caſtitatem in corpore relinquit. Tertium eſt, quod magis conforme facit gratiæ Dei. Vlterius notandum, quod tria debent comitari ieiunium, ſcilicet oratio, eleemoſyna, & ſpiritualis lætitia. De primo Tobiæ 12. *Bona eſt oratio cum ieiunio, & eleemoſyna magis quam theſauros auri condere.* De eleemoſyna dicit Auguſtinus in quodam ſermone: *Tale ieiunium ſine eleemoſyna, quàlis ſine oleo lucerna.* De lætitia dicit Gloſsa ſuper illud: *Tu autem cum ieiunas, unge caput tuum* &c. *caput*, inquit, *unxit qui ſpirituali lætitia intus pinguefecit*, 2. Corinthior. 9. *Hilarem datorem diligit Deus.* Iuxta illud dubitatur, vtrum id, quod per abſtinentiam reſeruatur teneatur ieiunans dare in eleemoſynas. Reſponſio, ſecundum Albertum *in Summa de quatuor Virtutibus cardinalibus*, quod non. Sancti autem, qui vi-

dentur dicere contrarium, vt dicit Gregorius in homil. *Hoc, quod tibi per ieiunium subtrahis, alteri largire, & unde caro tua affligitur, inde indigentis proximi caro recreetur*, & similia, non intelligunt hoc de ieiunio, quod per se accipitur, sed cum alijs partibus pœnitentiæ in diuitibus; in pauperibus enim locum non habet: quia in veritate, & charitate non ieiunat, qui videt fratrem suum necessitatem habere, & claudit viscera sua ab eo. 1. Ioan. 3. Et tantum de ieiunio in se, & quando est laudabile, & quando non. Notandum, quod in diebus ieiunij semel tantum comedere licet. Ad cuius veritatem sufficere debet consuetudo vniuersalis Ecclesiæ, & obseruatio maiorum, quia, vt dicit Augustinus, & ponitur 11. dist. *In his quibus Sacra Scriptura nihil certi statuit, mos populi, & statuta maioris, siue sint scripta, siue non, pro lege tenenda sunt, & sicut prænaricatores legum diuinarum veteris, & noui testamenti, ita prænaricatores consuetudinum coercendi sunt Ecclesiarum dictamine.* Præterea Augustinus in lib. de ieiun. diei Sabbathi dicit sic. *Ieiunare ieiunio Ecclesiæ, est non prandere, sed semel comedere, & non ieiunare tali ieunio est prandere, & postmodum cœnam sumere.* Hęc ille. De secundo, scilicet, quando ieiunium cadit sub præcepto, & respectu quorum, dubitatur an ieiunium cadat sub præcepto. Responsio secundum Thom. 2. 2. *quæst.* 147. *artic.* 3. dicendum, quod ieiunium quãtum pertinet ad necessitatem cohibitionis peccati, vel satisfactionis in pœnitentia, vel ad eleuationem mentis ad spiritualia, sic in communi cadit sub præcepto legis naturæ. Sed determinatio temporis, & modi ieiunandi cadit sub præcepto iuris positiui; quia ab Ecclesia sic est statutum, nec tamen quilibet transgrediens peccat mortaliter, sed tantum qui transgreditur ex contemptu, vel sic quod impediatur finis quem intendit Legislator. Sed qui ex causa rationabili frangit ieiunium non peccat mortaliter, nec est transgressor præcepti vt postea patebit. Dies autem, in quibus tenetur quis ieiunare determinantur in Iure. Nam Hostiens. *lib. 4. rubr. 46. de obseruatione ieiuniorum* §. 3. *Quando ieiunandum est*. In vigilia Natiuitatis Domini, & Assumptionis Beatæ Mariæ, & Apostolorum, præterquam Philippi, & Iacobi, & Ioannis Euangelistæ, & nisi vbi de quorundam aliorum Apostolorum vigilijs contraria est consuetudo: cui puto in talibus standum est, licet quidam contradicant, & hoc nisi Sacerdotes, ideſt, Episcopi Diœcesani contrariũ præcipiant. Nam ieiunia ab eis indicta, non sunt aliquatenus soluenda, nisi necessitate instante. *decens sec. 5. ieunia in Ecclesia.* Item, tota Quadragesima summa est obseruatione obseruanda. Et tam strictè seruãdum est illud ieiunium, vt qui vnam diem fregerit bis come-

comedendo totam quadragesimam videtur violasse, siue inhonorasse, *de consecrat. d. 3. Non liceat* &c. Idem intelligendum est de Quatuor Temporibus 76. *dist. Statuimus, & ca. huius*. Idē de ieiunijs quorundam Sanctorum aliorum, & maiorum festorum. Et idem de ieiuniis, quæ Episcopi in suis Ciuitatibus, & diœcesibus inducunt: nam & hæc ieiunia ab omnibus subditis sunt seruanda, *de consecrat d. 5. Ieiunia in Ecclesia d. 3. cap. 1.* vbi dicitur: *Indictum vero ieiunium, quando fuerit denunciatum ab omnibus obseruetur*. De aduentu Domini seruari potest consuetudo Regionis. Consilium tamen est ieiunare, extra *can. consilium*. Honestum enim est, quod Clerici ieiunent, & maximè Sacerdotes. Diebus etiam Rogationum ieiunandum est, *de consecrat. d. 3. Rogationes*. Quod secundum Hostiensem §. 4. & quando non intelligendum est vbi sunt de consuetudine approbatæ: alibi verò consilium est secundum Hugo. Quando vigilia aliqua ieiunandā incidit in diem Dominicam Sabbato præcedenti est ieiunandum: extra *cap. 1.* Item, quod dicitur *de consecrat. dist. 3. ieiunia*, quod quarta feria, & Sabbatho est ieiunandum, dicit Hostiens. quod, vel locale est, vel loquuntur de consilio, & honestate, vel derogatum est eis per contrariam consuetudinem. De ieiunio autem sextæ feriæ, credo quod seruanda est consuetudo illorum, inter quos viuitur, cum videamur Cisterciensis, & plerosque Regulares non semper ieiunare illud ieiunium: & satis cum hoc concordant Innocent. & Hostiensis. Nota etiam, quod Augustino interroganti pro Matre sua respondet Ambrosius: *Cum Romæ venio, ieiuno in Sabbatho; cum Mediolani sum, non ieiuno in Sabbatho, sic & tu, ad quamcunque forte Ecclesiam veneris, eius morem serua. Si cuique non vis esse scandalum, nec quemquam tibi*. Viso de tempore in quo ieiunandum est de his qui ad ieiunandum obligantur est videndum. Nam Sanctus Thomas 2. 2. *quæst. 147. artic. 4.* dicit, quod pueri quandiu sunt in statu augumenti, ex quo multo indigent nutrimento non obligantur ad Ecclesiastica ieiunia. Status vero augmenti est in fine tertii septennii, hoc est anni 21. Conueniens tamen est, vt etiam hoc tempore se ad ieiunandum exerceant plus, vel minus, secundum modum suæ ætatis. Quandoque tamen magna tribulatione imminente in signū pœnitentiæ arctioris, etiam pueris ieiunia indicuntur, sicut & de iumentis legitur Ion. 3. *Homines, & iumenta non gustent quicquam, nec aquam bibant*. Laborantes autem ea, quæ sine magno labore fieri non possunt, secundum Glos. non peccant mortaliter soluendo ieiunium, si adeo pauperes sint, quod aliunde sibi prouidere non possunt. In talibus enim necessitas excusare videtur. Non tenentur etiā

mendi-

mendicare propter huiuſmodi ieiunium ſeruandum, niſi conſueuerunt alias mendicare. Satis concordat Thomas *vbi ſupra*, & ſubdit: Quod illi, qui nolunt conducere operarios, niſi frangant ieiunium, non ſunt immunes à peccato, niſi forte ſit cauſa neceſsaria, quę feſtinationem operis expoſcat. Dicit idem, quod ex parte operantis intentio maioris lucri non neceſsarii à peccato non excuſat, ſi ieiunium frangit. Idem intelligendum eſt de ſeruis, & ancillis. Item, Tho. *vbi ſupra*, & etiam 4. *ſcrip* dicit. Quod ſi peregrinatio commode differri poteſt debet differri ne ſoluatur ieiunium. Si autem non poteſt differri, tunc ſecundum diſpenſationem Superioris poteſt ſolui ieiunium, penſato labore vię, & diætarum faciendarum. Non enim videtur fuiſſe intentio Eccleſiæ ſtatuentis ieiunium, vt per hoc pias, & alias magis neceſsarias cauſas impediret, & hoc ſemper intellige quando non poſsunt ſimul obſeruari ieiunium, & peregrinatio. Idem intelligendum eſt de curſoribus dominorum, illi autem qui habent ſeruire ad menſas nobilium diutius protrahendas, ſi ex cauſa neceſsaria præueniant aliquantulum horam comedendi, comedendo in toto, vel ſi prælibant modicum ne deficiant in ſeruiendo, & hoc faciunt iam poſitis menſis, vel parum ante, ita quod propter continuationem temporis totum debeat reputari vna menſa, non peccant ſecundum Gloſs. Idem de cocis præguſtantibus cibos dominorum, vel medicis præguſtantibus medicinas infirmorũ, & de lectoribus legentibus ad menſam, vel nouitiis ſeruientibus, qui tamen ſtare debent iudicio Superiorum. Mulieres autem pręgnantes, ſi timeatur probabiliter de periculo earum ſi ieiunauerint, non ſolum poſsunt, ſed etiam tenentur ſoluere ieiunium. Idem eſt de infirmis, ſenibus, & debilibus, iuxta tamen arbitrium boni viri. Item dicit Thomas, quod ſi pauperes mendicantes poſsunt habere tantum ſimul, quod ſufficiat eis ad vnã comeſtionem non excuſantur propter paupertatem à ieiunijs Eccleſiæ, à quibus tamen excuſantur quando fruſtratim mẽdicant, nec poſsunt habere tantum ſimul, quod ſufficiat eis: vel etiam quando propter præcedentem inędiam ita debilitati ſunt quod de cætero ieiunare non poſsunt. Mulieres autem propter prohibitionem virorum dimittere debent vota voluntaria, ſed non ieiunia ab Eccleſia indicta, licet forte propter ſcandalum vitandum poſsit Sacerdos cum eis diſpenſare. Dicit etiam Thomas, quod in his caſibus recurrendum eſt ad diſpenſationem Superioris, niſi forte vbi ita conſuetũ eſt quod ex hoc ipſo quod Prælati diſsimulant videntur annuere. Eſt autem cauſa ſufficiens ad diſpenſandum, infirmitas naturæ, debilitas ciborum, careſtia, ſiue penuria, vel paupertas,

pere-

peregrinatio, labor, & protractio nimia mensæ. vt patet in seruientibus mensis nobilium, & huiusmodi. Hæc Hostiensis *in gloss.* Item dicunt Innocent. & Hostiensis, quod ieiunia indicta ab Ecclesia non possunt redimi pecunia, vel alio modo, nisi causa, vel necessitas in ieiunante subsit. Voluntaria autem ieiunia, etiam sine causa, quæ in ieiunante subsit, dum alias sit vtile, redimi possunt auctoritate Superioris. Et idem est de ieiunijs, quæ in pœnitētia imponuntur. Item, dicit Thomas *vbi supra*, quod licet ieiunantes non prohibeātur pluries bibere, quia potus magis sumitur ad alterationem corporis, & digestionem quam nutritionem, licet aliquo modo nutriat, possunt tamen immoderate bibentes peccare, & meritum ieiunij perdere. Sicut etiam si immoderate in vna comestione cibum assumant. Item, per electuaria non soluitur ieiunium, sicut nec per alias medicinas, nisi quis in fraudem electuaria assumat in magna quantitate in modum cibi. Item Albertus dicit, quod ante prandium potus soluit ieiunium, sed post prandium non, nisi fiat immoderate præter necessitatem. De esu autem specierum, & electuarium dicit, quod soluunt ieiunium, nisi fiat causa necessitatis. Innocentius autem dicit, quod non credit solui ieiunium per potum, vel ante cibum, vel post, & hoc propter consuetudinem. Item Thomas *vbi supra* dicit, quod conueniens horā comedendi tempore ieiunij est hora nona, nec illā oportet stricte considerare, sed sufficit grossa æstimatio, scilicet, quod sit circa horam illam, nec multum nocet si ex aliqua causa hora illa præueniatur, vel si forte propter infirmitatem, vel ætatem, vel aliquid huiusmodi tali hora comedere cederet alicui in magnum grauamen, esset cum eo in ieiunio dispensandum, vel vt aliquantulum præueniret horam comedendi &c.

De Abstinentia autem sic loquitur idem Ioannes Beetz *loco relato cap.* 2. non minus piè, ac doctè, quam de Ieiunio. Sic dicens,

De abstinentia.

Notandum, quod Ecclesia statuens esse certis diebus abstinendum ab esu carnium implicitè intendit inducere nos ad abstinentiam, & carnis maceratio-nem, scilicet, vt abstineamus ab his, quæ possunt esse incentiuum ad luxuriam, vel ab his per quæ caro delicatè nutrita rebellare possit contra spiritum: vnde abstinentes ab esu carnium illis statutis diebus satisfaciunt statuto Ecclesiæ, & non transgrediuntur illud, licet etiam alijs cibarijs delicatè nutriantur, sed tamen possunt tot ferculis, & talibus delicatis cibarijs vti quod totaliter perdant meritum abstinentiæ. Et ideo, primo in communi distinguam species gulæ a quibus cauere debemus. Deinde secundo in speciali declarabo, qualiter est certis temporibus ab esu carnium abstinendum.

Digitized by Google

nendum. De primo notandum, quod Gregorius diſtinguit quinque ſpecies gulæ ſuper illud Geneſ. 25. vbi dixit Eſau ad Iacob: *Da mihi de hac coctione ruſa*. Prima eſt cum quis horam comedendi præuenit, vt legitur de Ionatha primo Regum 35. Talis timere poteſt maledictionem illam, quæ habetur Eccleſ. 10. *Væ tibi terra, cuius Rex puer eſt, & cuius Principes mane comedunt.* Terra intelligitur hic homo, terra enim eſt, & in terrã ibit, Rex eſt liberum arbitrium, qui animam habet regere; Principes intelliguntur quinque ſenſus. Nã ſicut illi qui verum Deum colunt ab honore, & obſequio diuino diem inchoare volũt, ſic illi quorum Deus venter eſt. Primo, quærunt Regnum Dei ſui: nam Regnum Dei eorum eſt *eſca, & potus*. Secunda ſpecies quando aliquis nimis delicata vult habere, vt legitur Numer. 19 de filiis Iſrael, qui in heremo carnes deſiderabant, & Luc. 26. legitur de diuite Epulone, quod *epulabatur quotidie ſplendidè*: è contra dicit Seneca: *palatum tuũ fames excitet, non ſapores*. Triplici autem ratione non debet homo quærere delicata. Primo, propter naturam vaſis, cui ci os, quos ſumimus, infundimus, quod eſt corpus noſtrum, Ioel. primo: *Vlulate qui bibitis vinum in dulcedine, perit enim ab ore veſtro*. Secundo, quia per cibaria delicabilia adiuuatur caro contra ſpiritum, & fiunt duo contra vnum. Bernard. *De condimentis ſufficiat vt comeſtibilia ſiant, non concupiſcibilia*. Tertio, quia cum carni delitiæ dantur vult eas poſt ex conſuetudine habere. Prouerb. 22. *Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea*. Tertia ſpecies eſt, quando quis nimis ſumit, vt legitur de Sodomitis Ezech. 16. ideo pluuia illa optima eſt, quæ ſenſim deſcendit, ſubita autem, & nimia, & præceps nocet: ſimiliter nimius cibus nocet. Quarta ſpecies eſt ſtudioſitas, quæ pertinet ad ſollicitudinem, & curioſitatem lautè præparandi, vt legitur de filijs Hely, primo Regum 2. De ſtudioſo dicit Iſidor. *Tota die epulas ruminat qui ad explendam gulam veſpere delitias præparat*. Quinta ſpecies eſt, cum nimis auidè, vel ardenter ſumit cibum, vt legitur de Eſau Geneſis 25. vnde Eccleſ. 28. *Noli eſſe auidus in omni epulatione, neque te effunaas ſuper omnem eſcam*. Auguſtinus: *Melius eſt piſcibus vti more domini, quam lenticula more iumentorum*. Nam ordinatus modus ſumendi cibum ad ſanitatem corporis pertinet, quia quanto cibus honeſtius, & ordinatius ingreditur, tanto facilius, & ſalubrius digeritur. Hæ ſpecies continentur in hoc verſu:

Præproperè, lautè, nimis, ardenter, ſtudioſè.

De ſecundo notandum, quod in omnibus diebus ab Eccleſia ad ieiunandum inſtitutis obligamur ad abſtinendum ab eſu carnium, alioquin homo tranſgrederetur ſtatutum Eccleſiæ de ieiu-

iunando, cuius ratio est secundum Thom 4. script. d. 15. quia ille dicitur Ecclesiæ ieiunium soluere qui statutum modum abstinendi non seruat: cum autem ieiunium Ecclesia instituerit ad satisfaciendum, & concupiscentiam reprimendum, sicut determinauit abstinentiam ieiunij quantum ad numerum, vt scilicet semel tantum ieiunans comederet ad afflictionem carnis propter satisfactionem, ita etiam taxauit vt à carnibus abstineret, quia hoc genere cibi præcipuè concupiscentia fouetur, & roboratur. Vnde comestio carnis ieiunium soluit ab Ecclesia institutum. Et istud confirmat generalis consuetudo Ecclesiæ, quæ ieiunantibus vsum carnium interdicit.

Sed contra arguitur primo, quia ieiunium est institutum ad comprimendum concupiscentiã vt dictum est, sed vina magis inflammant concupiscentiã quam carnes ergo potius debet ieiunãtibus interdici potus vini, quã esus carnium. Secundo, legumina inflatiua sunt, & ad luxuriam prouocant, ergo potius esus eorum debet interdici, quam carnium. Tertio, pisces aliqui ita delicatè comeduntur sicut carnes aliquorum animalium, ergo esus talium potius debet interdici quam carnium. Quarto, sicut in Quadragesima abstinetur à carnibus, & ab ouis, & lacticinijs, sed in diebus ieiunij quidam ouis, & lacticinijs vtuntur, ergo similiter & carnibus vti possunt sine hoc, quod ieiunium soluatur. Ad primum dicitur, quod vinum concupiscentiam incitat, inflãmmando per modum alterantis, & quia tales alterationes non diu manent, ideo potus vini non operatur adeo efficaciter ad concupiscentiæ fomentum, sicut esus carnium, quo præcipue materia concupiscentiæ ministratur, & calor naturalis interius confortatur. Et ex alia parte subtractio vini nimis naturam debilitaret propter digestionis impedimentum. Et similiter dicendum est ad secundum de inflammatione leguminum, quod est accidentalis causa concupiscentiam prouocans, & cito transit. Ad tertium dicendum, quod pisces sunt frigidiores naturaliter quam carnes, vnde nec alimentum ita conueniens corpori præstant, sicut carnes, vnde non fuit tanta necessitas prohibendi pisces, sicut carnes. Ad quartum dicendum, quod Quadragesimale ieiunium arctius est ieiunium quam alia ieiunia, quia per ipsum Christi ieiunium secundum modum nostrum imitamur. Et ideo quamuis vsus casei, & ouorum in Quadragesima sint generaliter interdicti, tamen in alijs ieiunijs apud diuersos in huiusmodi est diuersus abstinentiæ modus. Patet ergo, quod in ieiunio Ecclesiæ est à carnibus abstinendum. Ratio autem mistica ad hoc adduci potest talis. Nam Deus non maledixit aquis,

quoniam per aquam Baptiſmi ſutura erat remiſſio peccatorum. Hoc enim elementum digniſſimum eſt, quod ſordes abluit, & ſuper quod ſpiritus Domini ante Mundi conſtitutionem ferebatur, & ideo piſces comedere licet in diebus ieiunij. Terrę vero maledixit in operibus hominũ, & inde eſt, quod omne genus carnis, quod in terra verſatur, tam quadrupedia, quam aues, in ieiunijs non licet comedere. Item, licet quædam aues circa Mare verſentur, & in aquis, & quædam ex eis, vel in eiſdem naſcantur, magis tamen ad naturam terræ, à qua nutrimentum percipiunt quoad hoc pertinere dicuntur. Item cum quidam piſces ſint habentes ex vna parte formam quadrupedis animalis, & ex altera piſcis in ieiunijs poſſunt comedi ex parte, quam piſces videtur, ex alia vero minimè. Item, ſecundum Gregorium, piſcium vſus ita Chriſtiano relinquitur *vt hoc ei infirmitatis ſolatium, non luxuriæ pariat incendium*. Item, in pœnitentiali Romano ſtatutum eſt, vt ieiunans paruis piſcibus, & mediocri ceruiſia temperate vtatur, in quo tamen non inhibetur vſus vini, ſed exceſſus tantum. Item de ieiunio Quadrageſimæ Gregorius ita dicit: *Par autem eſt, vt qui ijs diebus à carne animalium abſtinemus, ab omnibus quoque, quæ ſementinam trahunt originem carnis, ieiunemus, à lacte videlicet, caſeo, & ouis*. Idem habetur *de conſecr. diſtin.* 2. *cap. non oportet*. In alijs autem ieiunijs quo ad eſum illorum diuerſæ conſuetudines ſunt, quas quiſque ſeruare debet ſecundum mores eorum, inter quos conuerſatur. Et credit Innocentius, quod ſi quis in ieiunijs indictis comedit oua, & caſeum, non ſoluit ieiunium, niſi in Quadrageſima. Dicit tamen, quod peccat, & ſic debet intelligi 4. *diſtinct. cap. denique*. Credit tamen, quod ex cauſa in aliquibus Prouincijs poſſit prouideri, quod his vtantur, ſcilicet ouis, & caſeis ſine peccato, cum hæc tantum ex conſtitutionibus, & obſeruantijs proceſſerint hominum. Et conſuetudo tam in Romana Curia, quam in multis alijs locis videtur interpretata, quod extra Quadrageſimam licitè vtamur ouis, & caſeo, quod maximè procedit vbi eſt penuria piſcium: & dicit Gaſp. quod magna differentia notari poteſt inter homines commorantes in deſertis montibus, vbi nec piſces reperiuntur, habent tamen magna animalium nutrimenta, & inter homines habitantes iuxta mare, & aquas, qui abundant piſcibus delectabilibus. Dicit tamen Sanctus Thomas vbi ſupra, quod vtens diuerſis ferculis in die ieiunij, quibus deliciosè nutritur, non frangit ieiunium, nec tranſgreditur Eccleſiæ præceptum, dum abſtineat à carnibus, & alijs à quibus abſtinendum eſt, ſed tamen poteſt per hoc perdere meritum ieiunij, vel in parte, vel

in

in toto, ſecundum exceſſum, quem committit. Ne dum autem in ieiunio ſtatuto ab Eccleſia, ſed etiam in omni ieiunio, etiam voluntariè aſſumpto eſt à carnibus abſtinendum, & hoc propter conformitatem ieiunij indicti, & voluntariè aſſumpti: ſed conſilium eſt ſolum: & etiam quia eſus carnium eſt generaliter magis delectabilis, & ad humorem luxuriæ magis cooperatur, contra quod ordinatur ieiunium. Et dicit Innocentius, quod ſi quis vtatur carnibus in ieiunio ab Eccleſia ille frangit ieiunium, niſi vrgens cauſa ſubſit, quia in hoc eſt præceptum *de conſecrat. diſt. 5. cap. 40.* Et idem ſi plus quam ſemel comedit, vel ſecundum Hoſtienſem. Niſi tanta neceſſitas interueniat, quod aliud fieri non poſſit, vt in obſeſſis fouentibus iuſtum bellum, qui tempore Quadrageſimæ, ſi non habent niſi carnes, poſſunt veſci carnibus *de feriis cap. licet.* Et dic, quod iſti ſoluunt ieiunium, licet non peccent, *extr. cap. conſilium §. cum autem.* Item dicit Innocentius, quod in ieiunio pœnitentiali, ſi certus modus abſtinendi in tali ieiunio iniungitur à Sacerdote, ille modus eſt ſeruandus, non obſtante conſuetudine contraria, 72. *diſtin. cap. Presbyter.* Et ſimiliter voluntaria ieiunia, ad quæ aliqui voto, vel propoſito ſe aſtringunt, vt tamen neceſſitati ſubueniatur. Vlterius notandum, quod ne dum in diebus ieiunij eſt ab eſu carnium abſtinendum, ſed etiam in ſexta feria, *extr. cap. conſilium.* Niſi dies Natalis Domini in ſexta feria euenerit, quia tunc poſſunt comedi carnes, niſi quis ſe voto aſtrinxerit ad non comedendum, vel profeſſione. Dicit tamen Ioann. And. quod etiam talis poterit comedere, niſi etiam illum caſum in votum includere intendiſſet. Alias enim votum debet intelligi de eſu non licito. Vnde poſſet intelligi illud de vouente nunquam comedere carnes. Dicit Franc. Sab. quod quicunque vouerit non comedere carnes certa die, put die qua venerit ſalutatio Virginis, ſi venerit feria ſexta, & in ea venerit Natiuitas, tenebitur ſeruare votum, ex quo non excepit hunc caſum. Et dicit Gaſp. quod profeſſi prohibiti à carnibus illo die, ex cauſa de ſui Superioris licentia hoc poſſent, ſcilicet profeſſus cum licentia Abbatis, & vouens de licentia Epiſcopi. Item, in die Sabbathi eſt ad minus ab eſu carnium abſtinendum *de conſecrat. diſt. 5. quia dies.* In hoc tamen diuerſa conſuetudo tenenda eſt, & ſeruanda, dummodo ſit rationalis: vnde capitulum prælegatum ſic dicit. Quia dies Sabbathi apud Sanctos Patres noſtros in abſtinentia celebris eſt habitus, nos eorundem auctoritatem ſequentes ſalubriter admonemus, vt quicunque ſe Chriſtianæ Religionis participem eſſe deſiderat ab eſu carniu eodem die, niſi maiori feſtiuitate interue-

niente, vel infirmitate impediente, abſtineat, Gloſſ. *admonemus*. Et ita conſilium eſt, niſi vbi conſuetudo eſt, quod abſtineant, tunc enim præceptum eſt, *extr. de obſeruat. ieiun. cap. conſuluit*. Hoc videtur contra illos, qui nunc ſabbatiuis diebus ante Purificationem, & poſt Natiuitatem volunt veſci carnibus contra antiquam obſeruatam conſuetudinem. Sed de quarta feria eſt quæſtio. an quis teneatur in ea ieiunare, & abſtinere à carnibus. Videtur, quod ſic, quia hoc habetur in decretis *de conſecrat. diſtinct. 3. cap. de eſu, & cap. ieiunia*, & trahitur ex dictis Sancti Appollonij, ibi enim dicitur, quod *Qui non ieiunant iiij. & vj. ferijs videntur cum Iuda Chriſtum tradere, & cum crucifigentibus crucifigere*. Sed diuerſi diuerſimodè ſoluunt, vt dicit Arnoldus in Summa. Quidam dicunt, quod eſt decretum locale tantum. Alij dicunt, quod eſt conſilium, vt dicit Gloſſ. & non præceptum. & quod eſt de honeſtate, & non neceſsitate. Alij, quod ei derogatum eſt per contrariam conſuetudinem. Alij, quod abraſum eſt, vel dicitur, quod Sanctus Appollonius direxit dictum illud ſolum ad Fratres ſuos, cum quibus ipſe in Græcia habitauit. Et hoc appareret ex dictis ſuis, quia ſtatim poſt prædicta verba ſequitur in dictis ſuis. *Si autem quis ſuperuenerit, & abſtinere noluerit ſeorſum ponatur in alia menſa*. Item, multa erant decreta, & ſtatuta in primitiua Eccleſia, quæ nunc mutata ſunt, & abraſa. Vnde antequam inſtitutæ erant Vigiliæ Apoſtolorum, & aliorum Sanctorum forte currebat vniuerſaliter illud decretum, nunc vero, ne propter illas vigilias populus nimis grauaretur abraſum eſt, vel per contrariam conſuetudinem ei derogatum eſt. Item dicit Thom. 2. 2. quæſt. 147. quod die Dominica ieiunare non conuenit, quia dies eſt lætitiæ. Vnde ſi aliquis ieiunaret, quaſi faciens contra conſuetudinem populi Chriſtiani, non eſſet à peccato immunis, licet ieiunium de ſe ſit laudabile omni tempore. Tamen 30. *diſtinct. 1. cap. ſi quis* dicitur: *Si quis in contemptum illius diei facit, peccat, ſecus autem, ſi non ex eo in contemptu*. Idem habetur *de conſecrat. diſt. 3. Si quis ieiunet die Dominica cauſa timoris, id eſt timens aliter ſaluari non poſſe, aut perſuaſionis, ideſt, ſi aliquis nunciet alicui timorem, niſi ieiunet tali die, anathema ſit*. Quod videtur contra illos, qui in die Paſchæ ſuperſtitiosè volunt abſtinere ab eſu carnium, ſecus ſi faciant ex timore vomitus propter cibi nouitatem. Item, Thelesphorus, & Gregor. Papę ſtatuerunt, vt Clerici incipiant à Quinquageſima ieiunare, & per conſequens à carnibus abſtinere. Ratio eſt, quia voluerunt, vt Clerici aliquid adijcerent ad obſeruantiam ieiunij plus quam layci. Et etiam, quia ſecundum quoſdam duæ vltimæ feriæ Quadrageſimæ, ſcilicet

licet dies Paraſceues, & vigilia Paſchæ Clericis non computantur, & ideo debent incipere Quadrageſimam à Dominica in Quinquageſima. Illud autem pro nunc de conſuetudine non obſeruatur, niſi quoad abſtinentiam à carnibus dumtaxat. Item notandum, quod debiles, & infirmi poſſunt comedere carnes tempore prohibito, cum diſpenſatione tamen Superioris *cap. conſilium*. Iuxta hoc quæritur, an per hoc reprobandus ſit Ordo Carthuſienſis, qui etiam in extrema ægritudine, carnes non comedunt. Arnoldus de Villa Noua ſummus Medicus, & Theologus ſcripſit Tractatum pro defenſatione dicti Ordinis, quem multi de hoc calumniantur, & probat hoc non eſſe contra charitatem, cum fiat propter Deum. Negat etiam, quod dicunt aliqui languentes quandoque non poſſe à mortis periculo ſine eſu carnium liberari. Dicens, quod virtus vitalis deficit, aut propter malitiam morbi illam reſoluentis, aut propter defectum alimenti, per quod habet conſeruari, vel reſtaurari. Primo caſu probat per Hypocratem, quod ſi deficientibus pro furia morbi cibus exhibeatur, coguntur vitam citius finire propter ſuffocationem, vel grauamen ſuperadditum: ſecundo caſu, quoad deficientes propter penuriam alimenti dicit, quod tunc carnes non prodeſsent, ſed plus competit eis vinum mediocre, maxime aromaticum, & vitella ouorum mediocriter mollia, quæ velociſsima digeſtione conuertuntur in laudabilem, & multum ſanguinem, Et plura alia conſequitur, quæ ponit Ioann. Andr. in nouella.

Digitized by Google

Quæstio quinta.

De Gula.

De Gula. GVla, quæ est vitium, seu peccatum oppositum abstinentiæ, est immoderatus appetitus cibi, & esculentorum. Est autem sæpius peccatum veniale, vt aduertunt Caietanus, Nauarrus, Azor, Lessius, Valentia, & Palaus. Etsi multoties etiam peccatum sit mortale, si videlicet adsit præceptum, & materia sit grauis, vel si quis inhæreat delectationi ciborum tamquam fini, paratus scilicet, agere contra Dei præcepta, iuxta Apostolum ad Philipp. 3. *Quorum Deus venter est* D. Tho. q. 148. ar. 2. D. Antonin. Toletus, & alii. Est similiter vitium capitale, quia ex illo oriuntur quinque alia, scilicet, *inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, & hebetudo mentis.* D. Thomas supra artic. 5. & 6. ex D. Gregorio.

Diuisio ipsius. Diuiditur autem gula in quinque species denotatas illo versiculo:

Præpropere, lautè, nimis, ardenter, studiosè.

Etenim *præpropere* dicit inordinationem comestionis ex parte temporis, quâ do scilicet ante tempus debitum fit. *Lautè* dicit inordinationem ex parte substantiæ ciborum, quia sunt nimis pretiosi, aut delicati. *Nimis* denotat indebitam quantitatem, idest maiorem, quam sit necessaria. *Ardenter* importat inordinatum modum comedendi, scilicet nimium affectum, aut nimiam attentionem. *Studiosè*, significat excessum ex parte præparationis ciborum. Salmãticenses nostri *in Arvor. prædicament. virtut. num.* 113. Notant autem Laymanus, & Palaus, tunc ista quinque esse vitiosa, si fiant voluptatis causa, non verò si ex honesto aliquo fine fiant. Notat etiam idem Palaus contra Ioannem Sanctium prædicta esse peccatum, etiã quando fiunt propter solam delectationem. Et omissis rationibus, quibus eum impugnat, hac vnica falsitatis conuincitur, quia operari propter solam delectationem semper est peccatum, quia non tàm est operati humanum, quàm belluinum; & bonum delectabile, vt tale est, non potest reddere actum humanum honestum, sed potius vitiosum, vt dixi tomo 2. Tract. 2. disput 10. quæst. 2.

De esu carnium humanarum.

Solet autẽ hoc loco disputari, an vesci carnibus humanis sit tale peccatum gulæ, vt nunquam liceat id facere, etiam in casu extremæ necessitatis. Et quidem certum est apud omnes, esum talium carnium extra necessitatis extremæ casum omnino illicitum esse, & peccatum gulæ; non solum si propter hunc finem occidatur aliquis homo, quia hoc casu iam esset homicidium; sed etiamsi non occidatur, manducando tñ carnes illius iam occisi, vel mortui. Tum ex natura gulæ, quę est inordinatus appetitus cibi, & esculentorum: nihil autẽ magis inordinatum, impium, & horribile videtur quam hominẽ alium hominem manducare, cũ vnus homo non sit à Deo datus alteri pro cibo, sed solum alia viuenti a infra ipsum, quia semper cibus est aliquid inferius, & indignius eo ad cuius alimentum datur; cum causa ipsius corrumpatur, & pereat. Tum etiam, quia adeo natura abhorret huiusmodi comestionem, vt omnes illam abominentur, & solùm inter barbaros reperiatur vt propterea D. Th. quæst. 142. artic. 4. ad 3. dicat excedere *modum humanæ naturæ*, & esse magis exprobrabile. Solùm ergo est dubium pro casu extremæ necessitatis, qualis solet contingere tempore bellì, quando obsessi in aliqua Vrbe, vel Castro fame pereunt.

Pars negatiua. Et negatiuam partem tenent Victoria, Azor, Valentia, Fagundez, & Pasqualigus. Fundamentum præcipuum est, quia hoc videtur intrinsice malum, si quidem est contra ordinem præscriptũ à natura; cũ carnes humanæ non sint ab ipsa ordinatæ ad escam: & ea, quæ sunt intrinsecè mala, numquam sunt licita in quacunque necessitate, vt patet in mendacio, *can. ne quis, can. omne genus, can. si quis* 22. *quæst.* 2.

Sententia probabilior. Nihilominus probabilior est opposita sententia, quam tenent Abulensis, Martinus de Magistris, Caietanus, Nauarrus, Toletus, Saa, Lessius, Sanchez, Fragosus, Laymanus, Bonacina, Dicastillus, Megallius, & Palaus. Fundamentum mihi est, quia, vt communis DD. sententia tenet, quoties occurrunt duo præcepta contraria, illud est adimplendum, quod strictiùs obligat: sed in casu extremæ necessitatis manducandi, & in quo non est alius cibus, nisi caro hominis mortui, vel occisi, concurrunt duo præcepta etiam naturalia; alterum subueniendi propriæ hominis necessitati, ne moriatur: & alterum non manducandi humanas carnes: ergo illud adimplendum quod strictius obligat. Sed strictius

obligat

obligat præceptum de ſubueniendo propriæ neceſſitati, quàm præceptum de non manducando humanas carnes, quia illud eſt naturale, & diuinum procedens ex Charitate, quam homo debet habere erga ſeipſum; iſtud autem ſolum eſt ex temperantia, Charitas verò eſt principalior virtus, quàm temperantia: ergo. Confirmatur, quia licitum eſt cauſa morbi vti carne humana in medicamentis, vt patet ex ex vſu quotidiano carnis *momiæ*, quę non eſt aliud quam caro humana cum pretioſis vnguentis ſepulta: ſimiliter, quia ſecundum aliquos, licitum eſt ad roborandum vires alicuius ſenis haurire ſanguinem humanum alicuius adoleſcentis ex vena detractum, quia hoc eſt ſingulare medicamentum ad eum finem, vt Marſilius Ficinus, & alij medici teſtantur: multo ergo magis in extrema neceſſitate conſeruationis vitæ licita erit carnis humanę manducatio.

Solutio contrariorum.

Ad fundamentum autem contrarium reſponderi poteſt, primo, quod etſi ſit intrinſice malus eſus carnis humanæ, & præceptum prohibens illum ſit de iure naturali, nihilominus, quando occurrit cum præcepto ſtrictiori, quale eſt illud de conſeruatione vitæ, quod eſt naturale, & diuinum ex Charitate procedens, vt dixi, cedit iſti. Secundo, quod quemadmodum aliqua præcepta naturalia, qualia ſunt, obſeruatio voti, reſtitutio rei alienæ, redditio depoſiti, & alia huiuſcemodi non obligant in caſu extremæ neceſſitatis, ſic etiam nec prohibitio non edendi carnes humanas.

Quid ſi Tyrannus cogeret

Idem dico pro caſu, quo aliquis à Tyranno cogeretur comedere dictas carnes, vel mori: poſſet enim tunc illas comedere ad vitandam mortem. Quia idē eſt, quod metus mortis ab extrinſeca cauſa procedat, & quod ab intrinſeca neceſſitate, Victoria, & Sanch. Qui nō bene dicit idem licere ſi alius in odium Religionis minaretur alicui mortem. Tunc enim, iuxta communem DD. potius teneretur mortem pati, quam carnes illas comedere. Paſqualigus recte id notans contra Sanchez.

De eſu Idolothitorum.

Similis fere quæſtio eſt, an ſit peccatum Gulę manducare Idolothita, id eſt, illa quę Idolis ſunt immolata: ſeu, quod idem eſt, an ſit prohibitio aliqua de ipſis non manducandis.

Primum dictum.

Et dicendū primo, non eſt aliqua prohibitio ex iure naturali ad non manducandum illa. D. Th. in 4. diſt. 38. q. 2. a. 4. q. 5. ad 3. Altiſiodorenſis, Vaſquez, Salas, & Card. Lugo, quos ſequitur Verricelli de miſſionib. tit. 1. quæſt. 16. num. 1. Prob. primo ex Paul. 1. Corinth 15. vbi generaliter dicit, *Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire, omne quod apponitur vobis manducate*. Secundo, quia hoc non eſt intrinſice malum, nec habet aliquam diſſonantiam cum natura rationali, nec eſt ex ſe ſignum venerationis idoli, aut aliquid huiuſmodi. Secluſo igitur ſcandalo, aut prava alia circunſtantia, in iure naturali ſtando poterunt talia Idolothita manducari.

Obiectio.

Obiici ſolent aliqua in contrarium ex D. Auguſtino epiſt. 154. & lib. de bon. coniug. cap. 16. & refertur can. ſatius 31. quæſt. 4. & ex S. Leone epiſt. 79. Sed dilui ea poſſunt dicendo intelligi debere, quando ex circumſtantijs oriretur aliquod ſcandalum, malun exēplum, aut ſuſpicio quod comedentes huiuſmodi Idolothita venerarentur idola, aut in ſacrificiis ipſorum communicarent cum infidelibus.

Dictum 2.

Dico ſecundo, neque poſitiuo, aut Eccleſiaſtico præcepto eſt prohibita hoc tempore talis manducatio. Ita communiter DD. Ratio eſt, quia licet in Actibus Apoſtolor. cap. 15. præceptum fuerit Gentilibus ad fidem conuerſis, vt abſtinerent à *contaminationibus ſimulacrorum*, id eſt, ab huiuſmodi Idolothitis, idque etiam fuerit repetitum in Concil. Gangrenſi cap. 2. & Aurelian. 3. cap. 19. nihilominus, quia iuxta dicta to. 2. Tract. 6 diſp. 5, quæſt. 4. in fin. hoc præceptum impoſitū eſt Gentilibus, eo fine, vt cum Iudæis nouiter conuerſis, qui eſu talium ciborum valde auerſabantur pacificè cōuiuerent, qui finis hoc tēpore ceſſat; & Concilia illa fuerint Prouincialia, nec videātur intelligēda, niſi quando ex tali comeſtione ſcandalum, malum exemplū, aut praua ſuſpicio, iuxta dicta, oriri poſſet, ideo pro hoc tempore nihil probant. Videndi D. Auguſtinus, D. Th. Baronius, Suarez, Vaſquez, & Becanus ibi relati, Cornelius à Lapide in cap. 8. 1. Corinth. in princip. & Verricelli ſupra quæſt. 17.

De eſu ſuffocati, & ſanguinis.

Idem porro, quod diximus de eſu huiuſmodi ciborum immolatorum dicendum eſt de eſu ſuffocati, & ſanguinis, de quibus etiam ſic eadem prohibitio loco relato ex Actibus Apoſtolorum, & *in can.* 62. Apoſtolor. & aliis decretis Conciliorum apud Baronium *in anno verſ. Græci*. Cum enim iure naturæ non ſit prohibitus. Nec iure poſitiuo, niſi propter conſeruandā pacem inter Gentiles, & Iudæos nouiter conuerſos, vt in eo loco dictum Apoſtolorum, vel

pro-

Digitized by Google

propter aliquod ſcandalum, ſuſpicionem, malum exemplum, vel prauam aliam circumſtantiam fugienda, ideo iis ceſſantibus, ceſſat talis prohibitio, prout communiter conſtat ex praxi, & vſu Eccleſiæ.

Difficultas. Maior difficultas eſt, quando aliquis fame vrgente, vel a Tyranno, compellitur cibos iſtos comedere, an videlicet id poſſit facere ſine peccato. Et omiſſis multis, de quibus Verricelli ſupr. quæſt. 16. facilis videtur ſolutio ex communi doctrina DD. dum loquuntur de comeſtione carnium in diebus prohibitis. Quod ſcilicet, ſi iſta coactio ſit à Tyranno in odium fidei, vel Religionis; vel comeſtio cauſet ſcandalum, ſuſpicionem in fide, aut aliquod ipſius detrimentum, in tali caſu potius debeat quis potius fame mori, quam hos cibos comedere; quia præceptum euitandi ſcandalum ſemper obligat & præceptum confeſſionis fidei in ea occaſione. Pro quo recole quæ diximus Tract. 1. diſp. 4. quæſtio. 2. Si vero ob finem aliquem politicum, vel indifferentem id præcipiatur à Tyranno, & non ſequatur ſcandalum, aut præfatum nocumentum, tunc licite poſſunt comedi cibi prædicti, neceſſitate maximè vrgente; quia præceptum de vita conſeruanda tunc obligat.

Quæſtio ſexta.

De Cauponibus miniſtrantibus cibos alijs.

De Caupo cibus. DE cauponibus dictis, ſeu cibos indifferenter miniſtrantibus omnibus ad ſe venientibus multa inquiri poſſunt ſpectantia ad ieiunium, ſeu abſtinentiam, de quibus in præſenti; quia valdè ſpectant ad conſcientiæ inſtructionem.

Primum dictum. Dico ergo primò: iſti cauponæ, ſeu tabernarii, poſſunt etiam in diebus ieiunii miniſtrare cænam, & carnes iis, quos putant excuſari à ieiunio, & carnium abſtinentia. Ita enim communiter omnes; eo quod nulla ratio eſt ad illos obligandum ad contrarium.

Secundum. Dico ſecundò, etiam quando rationabiliter dubitant de cauſa excuſante à ieiunio, vel abſtinentia à carnibus id facere poſſunt. Ita etiam Medina Complutenſis, Leſſius, Valentia, Suarez, Sanchez, Angles, Vega, Filiuccius, & Diana, quos refert, & ſequitur Paſqualigus *de ieiunio decis.* 363. Ratio eſt, quia ſtante dubio rationabili debent benè præſumere de proximo ſuo, quia quilibet præſumitur bonus, niſi conſtet eſſe malum, *l. Cum pater. §. Rogo ff. De legat. 2.* & *Cap. Dudum De præſump.* & latè Alciatus, Cepolla, Menoc. & plures alii Juriſtæ. An autem ſtante tali dubio, teneantur interrogare hoſpites de cauſa legitima non ieiunandi, ſeu manducandi carnes diebus prohibitis, aliqui affirmant cum Leſſio, & Filiuccio: negant tamen Sanchez, Fernandez, Diana, & Paſqualigus. Crederem tamen attendendum eſſe ad circumſtantias perſonarum, locorum, & temporum, & maximè ad rationes dubitandi, quæ ſunt pro vtraque parte, itaut ſi hæc magis perſuadeant, quam contraria, illis debeant adhærere tales cauponæ: in æquilibrio autem harum circumſtantiarum, & rationum poterunt ſequi id quod ſuæ vtilitatis magis commodum eſt.

Tertium. Dico tertiò, etiam quando exiſtimant tales hoſpites ad ſe venientes fracturos ieiunium, aut abſtinentiam carnium, poſſunt ipſis hos cibos miniſtrare, dum tamen non id faciant intentione, quod peccent, ſed propter exercitium tui officij, quod eſt miniſtrare cibos ad ſe venientibus; & id facere, ſit illis notabiliter vtile, aut conueniens. Ita quamplures Authores quos refert, & ſequitur Paſqualigus ſupra deciſ. 365. Et fundamentum ſumitur ex dictis ſupra Tract. 3. diſput. 10. quæſt. 8. de ſcandalo, vbi regula ſecunda, & quinta diximus licitum eſſe, & ſine peccato ſcandali fieri poſſe, dare, offerre, miniſtrare, ſeu ſubminiſtrare, vendere &c. res bonas, ſeu indifferentes alicui, quem ſcimus malè illis vſurum, dum tamen poſſit illis benè vti; & ſit nobis notabiliter conueniens, vel vtile, id facere. Vnde conſequenter ad iſtam doctrinam credo, quod dum vrget præceptum de abſtinentia à carnium, non poſſint Cauponæ hoſpitibus miniſtrare ſolum cibos carneos, ſed & pisces cum ipſis, vt valeant hoſpites piſcibus vti, & non cogantur carnes manducare, vel ſi illas manducent, ipſorum malitiæ, non cauporum, id tribuatur.

Quartum. Dico quarto, non tamen poſſunt cauponæ inuitare venientes ad ſe ad manducandum aliquid, quo frangatur ieiunium, vel abſtinentia carnium, in ſuis hoſpi-

hoſpitijs, vel tabernis. Quia hoc eſſet inducere illos ad peccandum. Quod intelligo etiam ſi illis eſſent parati ad non ieiunandum, & tranſgrediendum iſta præcepta. Quia licet caupones ſic inuitantes non ſint cauſæ prauæ intentionis iſtorum, quia iam parati erant ad id faciendum; ſunt tamen cauſa executionis & complementi talis intentionis, quæ etiam eſt peccatum, ſicut ipſa intentio. Quemadmodum ſi aliqui vellent fornicari, & alius præberet illis lectum, vel cameram vbi fornicarentur. Sic colligo ex Gabriele, Maiore, Nauarro, Medina Complutenſi, Toleto, Victorello, Siluio, Palao, & aliis.

Quintum. Dico quinto, caupones, in locis, vbi ſunt hæretici cum Catholicis permixti, poſſunt apponere hoſpitibus ad eorum hoſpitia declinantibus, carnes, & piſces; ſi iuxta dicta concl. 3. id non fiat ex intentione, quod hæretici comedant carnes diebus prohibitis, ſed ad ſatisfaciendum muneri, ſeu officio ipſorum cauponum, & propter notabile commodum ipſorum: propter dicta Tract. 3 diſp. 10. quæſt. 8. ſic ex Leſſio, Bonacina, & Paſqualigo. Imo poſſunt ſolas carnes apponere hæreticis ad illos venientibus, ſi ipſi illas perant, & oppoſitum cedat in damnum notabile cauponum. Quia id non eſt intrinſice malum, ſed potius, cauſis illis concurrentibus, licitum. Leſſius, Layman, & alii, quos affert, & ſequitur Paſqualigus deciſ. 368. Nota tamen hæc intelligenda ſi non adſit ſcandalum: ſi enim ſcandalum Catholicorum fuerit, non ſunt facienda, vt euitetur.

Quæſtio ſeptima.

De Sobrietate.

De Sobrietate. EX dictis q. 2 huius diſputationis conſtat quod ſobrietas, prout in præſenti ſit virtus mediocritatem conſtituens in potu inebriare valente. Dico *prout in præſenti*, quia poteſt etiam accipi in aliis duabus acceptionibus. Prima, pro ipſa virtute temperantiæ, cuius eſt ſpecies; quo ſenſu Sap. 8. dicitur *Sobrietatem, & prudentiam docet*, & ad Tit. 2. *Sobriè, iuſtè, & piè viuamus*. Secunda, ſtrictè, pro temperantia in cibo, & potu: etenim ſecundum vulgarem loquendi modum, non ſolum qui parcè bibunt, ſed etiam qui moderatè comedunt dicuntur ſobrii. Solum ergo in præſenti, & ſtrictiſſime ſumitur, vt dixi, pro ea virtute, quæ conſtituit mediocritatem *in potu inebriare valente*, vino ſcilicet, ceruiſia, & ſimilibus. In hac enim acceptione accipitur etiam in Sacra Scriptura Eccleſiaſtic. 31. *Sanitas eſt animæ, & corporis ſobrius potus*, & ſecundũ aliquos ad Tit. 2. *Senes vt ſobrij ſint*, & 1. Petr. 5. *Sobrij eſtote, & vigilate*. Dixi in potu inebriare valente, quia ſi quis excedat in potu aquę, etiam ſaccaratæ, lactis &c non peccabit contra hanc virtutem, ſed contra abſtinentiam. D. Thom. quæſt. 149. artic. 2. Salmanticenſes noſtri in arbor. prædic. virtut. num. 114.

Concluſio. De ea igitur loquendo in dicta acceptione dicendum eſt eſſe ſpecialem virtutem ab aliis diſtinctam. Ita S. Th. ea quęſt. 149 artic. 1. & 2. Expoſitores cum ipſo, Leſſius, Tannerus, & alii. Ratio eſt, quia vbi eſt ſpeciale impedimentum contrarium rationi naturali, ibi eſt neceſſaria ſpecialis virtus ad illud remouendum: ſed in sũptione potus inebriantis eſt hoc ſpeciale impedimentum: ergo. Min. probatur, quia potus inebrians ſua fumoſitate perturbat cerebrum, & iudicium, & quandoque illud omnino tollit, quod eſt magnum impedimentum, & valde contrarium rationi naturali, quæ petit hominem eſſe ſui compotem in ſuis actionibus. Sobrietas ergo moderans, ſeu tollens hoc impedimentum erit ſpecialis virtus. Si dicas, hoc fieri poſſe per virtutẽ abſtinentię, itavt quemadmodum ipſa moderatur ſumptionem cibi, etiam moderetur ſumptionem potus. Contra hoc eſt, quod licet hoc faciat abſtinentia, tamen ſub diuerſa ratione, ac ſobrietas: etenim abſtinentia moderatur ſumptionem cibi, & etiam potus, quatenus propter ſui delectationem aliquo modo impediunt vſum rationis; ſobrietas verò circa potum vinoſorum, quatenus, vt dictum eſt, ſua fumoſitate perturbant cerebrum, & iudicium rationis, & aliquando ipſum omnino tollunt.

2. concluſ. Dico ſecundò, huiuſmodi virtus, etſi omnibus ſit neceſſaria, ſpecialiter tamen fœminis, adoleſcentibus, & qui aliis præſunt. Ita ex D. Thomas ſupra artic. 4. eius expoſitores, & Salmanticenſes ſupr. num. 115. Ratio eſt quoad primam partem propter dicta, illa enim perturbatio cerebri & iudicii in omnibus poteſt contingere. Quoad ſecundam verò, quia fœminæ habent debilius, & parum firmũ iudicium: adoleſcentes ſunt procliues ad luxuriam, quam vini vſus valde fouet, iuxta illud Apoſtoli ad Epheſ. 5. *Nolite*

Cap. 1.

Quæ ad Ethicen pertinent.

Ethica.

Quæ ad Politicen.

Politica.

Quæ ad Œconomicen.

Œconomica.

Quæ ad Rhetoricen.

Rhetorica.

Quæ ad Poeticen.

Poetica.

Quæ ad Logicen.

Logica.

Quæ ad Physicen.

Physica.

Quæ ad Mathematicen.

Mathematica.

Quæ ad Metaphysicen.

Metaphysica.

Quæ ad Theologicen.

Theologica.

Quæ ad Magicen.

Magica.

Quæ ad Cabalisticen.

Cabalistica.

Quæ ad Astrologicen.

Astrologica.

Quæ ad Alchymicen.

Alchymica.

Quæ ad Geomantiam.

Geomantia.

Quæ ad Hydromantiam.

Hydromantia.

Quæ ad Aeromantiam.

Aeromantia.

Quæ ad Pyromantiam.

Pyromantia.

Quæ ad Chiromantiam.

Chiromantia.

Quæ ad Onomantiam.

Onomantia.

Quæ ad Libanomantiam.

Libanomantia.

Quæ ad Necromantiam.

Necromantia.

Quæ ad Lecanomantiam.

Lecanomantia.

Quæ ad Sciomantiam.

Sciomantia.

Quæ ad Spatulamantiam.

Spatulamantia.

Quæ ad Crystallomantiam.

Crystallomantia.

Quæ ad Capnomantiam.

Capnomantia.

Quæ ad Ichthyomantiam.

Ichthyomantia.

Quæ ad Axinomantiam.

Axinomantia.

Quæ ad Alectryomantiam.

Alectryomantia.

Quæ ad Coscinomantiam.

Coscinomantia.

Quæ ad Botanomantiam.

Botanomantia.

Quæ ad Metoposcopiam.

Metoposcopia.

Quæ ad Ornithomantiam.

Ornithomantia.

Quæ ad Physiognomiam.

Physiognomia.

Quæ ad Geomantiam.

Geomantia.

Quæ ad Hydromantiam.

Hydromantia.

Quæ ad Aeromantiam.

Aeromantia.

Quæ ad Pyromantiam.

Pyromantia.

Quæ ad Chiromantiam.

Chiromantia.

Quæ ad Onomantiam.

Onomantia.

Quæ ad Libanomantiam.

Libanomantia.

Quæ ad Necromantiam.

Necromantia.

Quæ ad Lecanomantiam.

Lecanomantia.

Quæ ad Sciomantiam.

Sciomantia.

Quæ ad Spatulamantiam.

Spatulamantia.

Quæ ad Crystallomantiam.

Crystallomantia.

Quæ ad Capnomantiam.

Capnomantia.

Quæ ad Ichthyomantiam.

Ichthyomantia.

Quæ ad Axinomantiam.

Axinomantia.

Quæ ad Alectryomantiam.

Alectryomantia.

Quæ ad Coscinomantiam.

Coscinomantia.

Quæ ad Botanomantiam.

Botanomantia.

Quæ ad Metoposcopiam.

Metoposcopia.

Quæ ad Ornithomantiam.

Ornithomantia.

Quæ ad Physiognomiam.

Physiognomia.

Biblioteca Colegio

tiantur id non facientes, aut quod grauibus iniuriis afficiantur ab emere vinum volentibus. Sic colligo ex Saa, & Sanchez ſupra relato, ac Palao.

Quartum; Quartum eſt, circa peccata, quę committuntur ab ebriis in ebrietate, quæ videlicet, & quando illis imputentur. Sed de iis dixi to. 2. præced. Tract. 5. de peccatis diſp. 3. quæſt. 4.

Quæſtio nona.

De Caſtitate, Virginitate, & Pudicitia.

De caſtit. QVoad primum de caſtitate notandum dupliciter ſumi; vno modo *metaphoricè*; alio vero *propriè*. Caſtitas metaphoricè ſumitur pro puritate animi ab omni labe peccati: quo ſenſu dixit Apoſtolus 2. Corinth. 11. *Deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto*. Illi opponitur luxuria ſpiritualis, quæ conſiſtit in impuritate ſpirituali, quæ contrahitur per omne peccatum mortale, iuxta illud Ierem. 3. *Tu autem fornicata es cum a maioribus multis*. Loquendo autem de Caſtitate *propriè* diximus quæſt. 2. eſſe virtutem, quę venereas concupiſcentias coercet; quemadmodum videlicet abſtinentia, & ſobrietas moderantur paſſiones appetitus circa eſculenta, & poculenta. Eſt autem duplex, alia perfecta, alia imperfecta; caſtitas perfecta eſt ea, quæ cõprimit, & coercet actus omnes venereos, non ſolum illicitos, ſed etiam licitos, & honeſtos quales contingunt in coniugibus: caſtitas verò imperfecta eſt, quæ ſolum comprimit, & refrenat actus venereos illicitos; non autem licitos, & honeſtos, quales reperiuntur in coniugibus. vnde vocatur *Caſtitas coniugalis*. Sic ex D. Th. quæſt. 151. Expoſitoribus ibi, & Salmanticenſibus in Arbore prędicam. Virtut. num. 116.

De virginitate. Circa ſecũdum de *Virginitate* dicendũ eam ſumi dupliciter; primó, pro integritate carnis libidinoſæ contagionis expertis; ſecundò, pro voluntate, ſeu propoſito ſeruandi perpetuo dictam integritatem carnis reſiſtendo concupiſcentiis contrariis. Primo modo non eſt virtus, ſed aliquid naturale nobis cum natura congenitum: ſecundo modo eſt vera virtus, quam definit D. Auguſtinus *lib. de Sancta Virginit cap. 13. Virginitas eſt in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio*. Vnde Virginitas iſto ſecundo modo connotat, vel ſupponit Virginitatem primo modo ſumptam. Eſt etiam virtus ſpecialis non ſolum ab aliis virtutibus diuerſa, vt per ſe patet, cũ habeat motiuum, & materiam diuerſam, ſcilicet refrenare perpetuo appetitus à venereis delectationibus: ſed etiam à caſtitate; eo quod caſtitas ſolum illum refrenat ad tempus, & à venereis delectationibus illicitis; virginitas autem, etiam à licitis, & honeſtis, & perpetuo. Vnde ſe habet cum caſtitate ſicut magnificentia cum liberalitate; quia, quemadmodum magnificentia excedit liberalitatem, & differt ſpecie ab ipſa, quia magnificentia reſpicit magnos ſumptus, liberalitas vero non niſi communes & ordinarios; ſic virginitas refrenat, etiam perpetuò, omnes motus venereos, ſiue illicitos ſiue etiam licitos, caſtitas vero non niſi illicitos, ſeu ad tempus. D. Th. quæſt. 151. artic 3. Valentia, Laymanus, Tannerus, & Salmanticenſes ſupra num. 110. etſi oppoſitum probabiliter teneant Ricardus, Leſsius, & Palaus dicentes, virginitatem ſolum differre à caſtitate, quia addit corporis integritatem, quam non importat caſtitas.

De velo Monialiũ. An vero fœminæ extra matrimonium corruptæ, etiam per violentiam, vel occultè corruptę, habenti tamen famam virginis; vel etiam voluntariè pollutæ, poſsit dari velum conſecrationis, quod ſolum Virginibus inter Moniales dari debet, dixi tomo primo Summę Quęſt. Regular. cap 25. num. 10. & to. 4. verbo Velum Monialium, ac tractant hoc loco poſt alios Leſsius, Laymanus, & Palaus. Maximè Pellizzarius de Monialibus cap. 3. à num. 74.

De pudicitia. Circa tertium de *pudicitia*, cum ipſa à *pudore* ſumatur, ideo proprie eſt circa illa coercenda quæ pudorem aliquem, ſeu verecundiam hominibus ſolent afferre; non ſolum videlicet actus ipſo venereos, ſed etiam, & præcipue ſigna ipſorum, ſcilicet aſpectus impudicos, oſcula, tactus &c. per quod differt à caſtitate, quæ eſt circa ipſam veneream commixtionem. Propteraa enim ſupra dixi quæſt. 2. ipſam paruum, aut nihil à caſtitate differre. Videtur etiam poſſe dici verſari circa ea, circa quæ verſatur caſtitas, diuerſa tamen ratione, quia pudicitia verſatur circa illa, quatenus cauſare

possunt pudorem, vel opprobrium castitas verò quatenus sunt contra bonum rationis, quod ipsa præscribit. D. Th. quæst. 151. artic. 4. Salmanticenses supr. num. 122. & alii Expositores D. Th.

Virginitas materialis

Ex dictis autem colligitur, quomodo virginitas amittatur & de nouo recuperetur. Etenim loquendo de ipsa, materialiter, seu prout importat integritatem carnis, amittitur in fœminis per fractionem, seu ruptionem clausuri virginalis. In ipsius enim integritate posita est earum virginitas materialiter sumpta. In viris autem ammittitur per quamcunque actionem externã veneream, seu libidinosam: cum eorum integritas carnalis in sola abstinentia ab huiusmodi venereis carnalibus consistat. Huiusmodi autem virginitas materialiter sũpta semel deperdita non potest recuperari. Ratio est, quia virginitas est velut quædam innocentia à venereis: quẽadmodum ergo innocentia deperdita nũquam restauratur, nec restaurari potest, quia denotat animam nunquam peccasse, ita neque virginitas materialis, quia denotat etiam omnimodam carentiam veneræ delectationis. Colligitur ex D Basilio lib de vera virginitate, & D. Hieronymo Epist. 22. ad Eustochium de custodia virginitatis. D. Th quæst 152, artic. 1. & 3. Caietanus, & Expositores cum ipso, Lessius, Filiuccius, & alii.

Virginitas virtus.

Loquendo autem de virginitate formaliter, prout est virtus, primò dicendum ipsam non amitti violatione carnis inuoluntaria. Ita enim ex D. Augustino lib. 1. de Ciuit. cap. 18. habent communiter DD. eo videlicet, quod virtus non deperditur, nisi per actum peccaminosum, seù vitiosum. Dico tamen secundò, amitti per quemcunque actum etiam internum, consensus, vel delectationis in rem veneream, si tamen sit voluntarius, & liber. Ratio est ex opposito quia talis actus est vitiosus, & peccaminosus, & ita potest destruere virtutem. Addo tertiò, etiam amitti per quemcunque actum contrarium, etiamsi non sit malus, seu vitiosus, qualis est, verbi gratia, voluntas nubendi. Eo quod virginitas, vt virtus est, includit, vt diximus supra, voluntatem abstinendi perpetuò à venereis, siuè illicitis, siuè etiam licitis. D. Thomas, & alii.

Virginitatis præstãtia.

Est tamen controuersia cum hæreticis, an virginitas sit præstantior matrimonio, & loquimur de illis, quatenus important statum quendam, quisnam videlicet illorũ perfectior. Etenim Iouinianus antiquus hæreticus pares faciebat huiusmodi status, dicens, non esse maioris meriti virginitatem, quàm matrimonium. Illum etiam sequetur hæretici nostri temporis peiora dicentes, videlicet, virginitatem non solùm non esse maioris meriti apud Deum, quàm matrimonium, sed esse impiam superstitionem: sic enim elicitur ex Luthero, & Caluino hæreticorum antesignanis.

Veritas certa

Veritas tamen de fide certa est, statum virginitatis, seu Cœlibatum, præstantiorem esse coniugio. Ita D. Thomas d. quæst. 152. artic. 4. & alij DD. cum ipso. Colligitur primò ex Sacra Scriptura. Math. 19. nam cum Discipuli dixissent Christo, *si ita est causa hominis cùm vxore, non expedit nubere*, Christus ipsis dixit: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est*. Quibus verbis denotatur excellentia virginitatis supra Matrimonium: vnde subiungit: *Sunt Eunuchi, qui se ipsos castrauerunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere capiat*. Vbi cum consilium præbeat de eu uchismo spirituali *propter regnum cœlorum*, scilicet, de virginitate, recte sequitur eam esse præstantiorem coniugio, quod opponitur ipsi. Colligitur secundò ex 1. Corinthiorum 7. vbi totus est Apostolus in hac veritate comprobanda. Etenim in principio capitis ait: *Bonum est homini mulierem non tangere*. Deinde, *Volo omnes vos esse sicut me ipsum*, id est, cœlibes. Item: *Dico autem non nuptis, & viduis, bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego*. Et infra. *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do*. Cõparans êt virginitatem, seu cœlibatũ cum matrimonio, ait: *qui sine vxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo; Qui autem cum vxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Et mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore, & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat, quæ sunt mundi, quomodo placeat viro*. Tertiò colligitur ex testimonijs SS Patrum, præsertim Hieronymi, & Augustini contra Iouinianum defendentium præstantiam cœlibatus supra coniugium.

Rationes pro illa.

Vnde rectè definitur gratia *gratis data* hoc modo: Est donum supernaturale concessum aliquibus in vtilitatem aliorum. Sic enim colligitur ex D. Paulo 1. Corinth. 12, verbis inferius adducendis. D. Th. 1. 2. quæst. 111. artic. 4. verbis similiter infra referendis, & 3 p. quæst. 7. artic. 7. ad 1. & aliis, præsertim ex nostris Domaninio supra relato, & Salmanticensibus in Arbor. virtut. num. 162.

Notatio.

Quo tamen non obstante huiusmodi gratiæ gratis datæ, etiam veluti secundario ordinantur nonnunquam ad eorum quibus conceduntur sanctitatem demonstrandam, vt colligitur ex Diuo Gregorio hom. 17. in Ezechiel. & Diuo Thoma tertia parte quæst. 27. artic. 5. ad 8. loquente de gratiis gratis datis concessis Beatissimæ Virgini. Vt propterea merito in S. Congregatione Rituum, cum de Canonizatione, seu Beatificatione Seruorum Dei agitur, de huiusmodi gratiis disquiratur, an ipsis fuerint cõcessæ. Vt colligitur ex Fortunato Scacco *de not. & sign. sanctitatis sect.* 8. *in princip.* & Salmaticensibus supr. num 164.

Additio.

Addendum propterea eiusmodi gratias gratis datas minus excellentiores esse quàm gratia gratum faciens. Colligitur ex Diuo Paulo 1. Corinth. 12. vbi post connumeratas gratias gratis datas subdit de Charitate, quæ ad gratiam gratum facientem spectat: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Ad quod etiam spectant plurima Patrum testimonia, quæ charitatem excellentissimum Dei donum esse inter omnia charismata denotant. Et ratio est, quia gratiæ datis datæ nec tam efficaciter, nec tam propinquè ad vltimam hominis beatitudinem conferunt, nec ipsum sanctificant, nec in ipso sanctitatem necessario supponunt, nec præuiam dispositionem requirunt, sicut gratia gratum faciens. Cuius signũ est, quod sæpius peccatoribus conferuntur, veluti Balaam numer. 24. & Caiphæ Ioannis II. & forsan Sybillis, quæ prophetissæ creduntur. Vide alia loco relato ex 2. to. ex D. Thoma, & Domaninio nostro.

Obiectio.

Si dicas, quæ ergo est causa cur speciali gratiæ *gratis datæ* nominentur. Respondeo eam esse, non quidem quia gratia gratum faciens gratis non detur, cum hoc sit contra rationem gratiæ vt notat D. Augustin. in *Enchirid. cap.* 107. sed quia cum minus addat perfectionis supra communem gratiæ rationem ideo retinet sibi nomen commune, prout sæpius contingit in speciebus minus perfectis. Eo etiam, quia datur omnino ex solo arbitratu diuinæ voluntatis; non ex promissione, dispositione, aut præparatione aliqua

qua recipientis: & ita pluribus titulis quam gratia gratum faciens, gratis datur. D. Th. 1.2. quæſt. 111. art. 1. ad 3. Suarez, Tannerus, Becanus, & Salmanticenſes ſupra num. 162.

De ſecundo quæſito

Quo ad ſecũdũ vero quæſitũ quæſtionis, cõformiter ad ea quę dixi, eo loco, dicendũ eſt, nouẽ eſſe hũodi gratias gratis datas. Nimirum ſermonem ſapientię, ſermonem ſcientię, fidem, gratiam ſanitatum, operationem virtutum, prophetiam, diſcretionem ſpirituũ, genera linguarum, & interpretationem ſermonum. Sic enim illas enumerat Apoſtolus primæ Chorinth. 12. dicens. *Vnicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem; Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ: alij autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum: alteri fides in eodem ſpiritu: alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu: alij operatio virtutum: alij prophetia: alij diſcretio ſpirituũ: alij genera linguarum: alij interpretatio ſermonum.* Sufficientiam autem huius nouenarij numeri ita explicat diſertę S. Thom. 1. ſecundæ quæſtione 111. art. 4. *Gratia gratis data ordinatur ad hoc quod homo alteri cooperetur, vt reducatur ad Deum: homo autem ad hoc operari non poteſt interius mouendo (hoc enim ſolius Dei eſt) ſed ſolum exterius docendo vel perſuadendo. Et ideo gratia gratis data illa ſub ſe continet, quibus homo indiget ad hoc quod alterum inſtruat in rebus diuinis quæ ſunt ſupra rationem. Ad hoc autem tria requiruntur. Primò quidem quod homo ſit ſortitus plenitudinem cognitionis diuinorum, vt ex hoc inſtruere alios poſſit. Secundo, vt poſſit confirmare vel probare ea, quæ dicit: alias non eſſet efficax eius doctrina. Tertiò, vt ea quæ conſpicit, poſſit conuenienter auditoribus proferre. Quãtum igitur ad primum, tria ſunt neceſſaria: ſicut etiam apparet in magiſterio humano: oportet enim, quod ille qui debet alium inſtruere in aliqua ſcientia, primò quidem vt principia illius ſcientiæ ſint ei certiſſima: & quantum ad hoc ponitur fides, quæ eſt certitudo de rebus inuiſibilibus, quæ ſupponuntur vt principia in catholica doctrina. Secundo oportet, quod Doctor rectè ſe habeat circa principales concluſiones ſcientiæ, & ſic ponitur ſermo ſapientiæ, quæ eſt cognitio diuinorum. Tertiò, oportet, vt etiam abundet exemplis & cognitione effectuum, per quos interdum oportet manifeſtare cauſas: quantum ad hoc ponitur ſermo ſcientiæ, quæ eſt cognitio rerum humanarum, quia inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur. Confirmatio autem in his, quæ ſubduntur rationi eſt per argumenta: in his autem quæ ſunt ſupra rationem diuinitus reuelata, confirmatio eſt per ea, quæ ſunt diuinæ virtuti propria: & hoc dupliciter, Vno quidem modo, vt Doctor ſacræ doctrinæ faciat, quæ ſolus Deus facere poteſt in operibus miraculoſis, ſiue ſint ad ſalutem corporum: & quantum ad hoc ponitur gratia ſanitatum: ſiue ordinetur ad ſolam diuinæ poteſtatis manifeſtationem, ſicut quod ſol fiat, aut tenebreſcat; quod mare diuidatur; & quantum ad hoc ponitur operatio virtutum. Secundò, vt poſſit manifeſtare ea, quæ ſolius Dei eſt ſcire, & hæc ſunt contingentia futura, & quantum ad hoc ponitur prophetia. Ita etiam occulta cordium; & quantum ad hoc ponitur diſcretio ſpirituum. Facultas autem pronunciandi poteſt attendi, vel quantum ad idioma, in quo aliquis poſſit intelligi: & ſecundum hoc ponuntur genera linguarum, vel quantum ad ſenſum eorum quæ ſunt proferenda, & quantum ad hoc ponitur interpretatio ſermonum.* Hæc omnia luculenter S. Th.

Dubium.

Eſt vero dubium, an hæc diuiſio ſit ita adæquata, vt non dentur aliæ gratiæ gratis datę, præter iſtas aſſignatas ab Apoſtolo. Ad quod, iuxta dicta loco relato ex 2. tom. dicendum, quod quamuis Bellarminus, Medina, Vaſquez, Suarez, Cornelius, Granad. & alii velint non eſſe adæquatã, nihilo minus probabilius videri contrarium, ita vt omnes gratiæ gratis datæ, quæ à Deo conceduntur, & de potentia ordinaria concedi poſſunt, ad iſtas nouem reducantur. Colligitur primo ex eo quod Apoſtolus tantum illas nouem numerauit, quod propter hanc cauſam feciſſe prudenter exiſtimandum. Secundo, ex eo quod D. Th. loco relato ſufficientiam huiuſmodi diuiſionis recte probat. Tertio, quia quemadmodum in cęlis tantum ſunt nouem chori, ſeu ordines ſpirituum, qui omnes dici poſſunt ad vtilitatem hominum à Deo creati; dicente Apoſtolo ad Hæbr. 1. *Omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis*, ſic etiam in terris tantum ſint huiuſmodi nouem gratiæ gratis datæ pro aliorum ſalute à Deo aliquibus datæ. Et ita tenent Tannerus, Monteſino, & Salmanticenſes noſtri ſupra num. 163. Nec obſtat eſſe multa alia dona ſupernaturalia data hominibus ad aliorum vtilitatem, quæ non ſunt aliqua expreſſa dictis nouem, nec videtur ad ea poſſe reduci: qualia ſunt poteſtas adminiſtrandi Sacramenta, poteſtas iuriſdictionis, præſertim in foro interno, dignitas

Apo-

Apostoli; authoritas Papæ ad definiendum res fidei, & similia. Respondeo enim, quidquid sit an ista reduci possint ad aliquam ex illis, prout dici potest de facultate ista Papę, quia illa reducibilis est ad *Prophetiam*, *Sapientiam*, vel *fidem*, vel saltē ad *interpretationem sermonum*: cum Papa definiendo res fidei non faciat aliud quam interpretari quod continetur in Sacra Scriptura, vel traditionibus. Quidquid inquam de hoc sit, dici potest ad rationem gratiæ gratis datæ, de qua in præsenti, spectare, quod sit donum ita acceptum à Deo, vt non sit in potestate hominis illo vti ad sui libitum, sed solum certis occasionibus, ex speciali impulsu Spiritus Sancti, vt de *Prophetia:* quod non contingit in ijs quæ adducta sunt in argumentis.

Dubia alia. Restant tamen dubia quædam circa hanc materiam, an videlicet istæ gratiæ gratis datę sint aliquid per modum habitus, an vero per modum actus, & trāseunter, an dentur tam iustis, quam peccatoribus; an ex ijs probetur Sanctitas Seruorum Dei in ordine ad canonizationem ipsorum. Quia tamen de his dicemus dum de singulis erit sermo, quia in singulis est specialis ratio, ideo pro nunc ab eis supersedendum.

Quæstio secunda.

De prima gratia gratis data dicta Sermo Sapientiæ.

De Sapientia. OMissis varijs acceptionibus sapientię, de quibus diximus *tom. 1. tract. 1. præmiss. disput. 1. quæst. 7. & tom. 2. tract. 4. disput. 6 quæst. 1. & eodem tom 2. tract. 7. disput 5. quæst. 1.* conformiter etiam ad dicta hoc posteriori loco dicendum est, sapientiam esse, quodam supernaturale Dei donum, quo homo ita cognoscit rationes altissimas mysteriorum fidei, vt aptus sit ad eas verbis, & sermone explicandas, in vtilitatem aliorum. Ita ex D. Th. loco relato ad 4. & 2.2. quæst. 177. artic. 1. Suarez, Tanner, & Granado, ac ex PP. Hieronymo, Augustino, & Chrysostomo, quos referunt. Vnde constitit tam in cognitione dictarum *rationum altissimarum mysteriorum fidei*, quam in verbis, vel sermone; quibus explanantur aliis, etsi præcipue in verbis, vel sermone. Tum quia Apostolus loquens de illo non vocat similiter *sapientiam*, sed *sermonem sapientiæ*, denotans quod in recto importet *sermonem*, & veluti in obliquo *sapientiam*; vt propterea merito attribuatur illi illud Psal. 67. *Dominus dabit verbum Euangelizantibus virtute multa*. Tum etiam, quia cum detur in vtilitatem hominum, apud quos plus sermo externus, quam sapientia interna, vtilis est, ideo præcipue consistet in sermone, & minus præcipue in cognitione interna.

Dubium. Est vero dubium, an huiusmodi gratia consistat in dono aliquo habituali, an vero solum in actuali illustratione per modum transeuntis. Dicendum autem, quod licet in eximiis viris Euangelii Prędicatoribus, quales præcipui fuerunt Apostoli, probabile videatur, quod fuerit aliquod donum per modum habitus; eo quod, sicut ipsi habitualiter, & permanenter muneri prædicationis, incumbebant, sic etiam eguisse videbantur huiusmodi habituali dono, *in vtilitatem* vtique aliorum: præsertim, cum similes quidam habitus naturales humano studio adquiri possunt, quales sunt Theologia, & Sapientia, quæ est vna ex virtutibus intellectualibus: isti enim dantur ad explicationem rerum *altissimarum*, & *in vtilitatem*. De quo Tannerus. Cęterum in aliis, & regulariter loquendo, solum est illustratio quædam, seu motio Spiritus Sancti. Eo quod cum raro contingat necessitas istius gratiæ, & non sit in potestate hominis vti illa quando voluerit, saltem eo modo, quo fuerit in vtilitatem aliorum, sufficienter cum occurrerit à Deo prouidetur per prædictam illustrationem. Id quoque probabiliter colligit Suarez ex illo Prouerb. 16. *Hominis est animam præparare & Domini gubernare linguam*, eo enim denotatur, quod gubernatio linguę ad rectè, & apte loquendum, quæ spectat ad hanc gratiam, solum sit quędam Dei motio, qua lingua gubernetur. Accedit quod in hoc præcipue ēt differre videtur Sapientia, quæ est donū Spiritus Sāncti ab ea quę specialiter vocatur gratia gratis data, quod videlicet illa sit habitus, vt diximus to. 2. Tract. 7. disp. 7. quæst. 1. hæc vero sit motio actualis Dei.

Secundò. Secundò dubitari potest an hæc gratia solūm iustis, & Sanctis, quemadmodum de Sapientia, quæ est donum Spiritus Sancti diximus loco relato, concedatur; an vero etiam peccatoribus. Ad quod dicendum, quod, etsi spectata natura ipsius, & aliarum similium, quæ

gra-

gratiç gratis datæ nuncupantur, poſſint à Deo omnibus hominibus, ſiue iuſtis, ſiue peccatoribus, concedi; de facto tamẽ non conceduntur, niſi iuſtis, & Sanctis; vel ſaltem iis, quç, etſi peccatores ſint, piis tamen operibus, qualia ſunt, Euangelij prędicatio, diuinarum litterarum expoſitio, aut vtilium librorum ſcriptio, incumbunt. Primum, conſtat ex eo quod diximus quęſt. præc. & dicemus in ſequentibus de Balaam, Caipha, & Sybi llis. Et ſupponitur ab Apoſtolo 1. Corinth. 13. dũ dicit: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum* &c. *Si habuero omnem fidem ita vt montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil ſum*, Ac conformiter ad illud Matthæi ſeptimo. *Multi dicent mihi illa die*; *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus. Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos, diſcedite à me, qui operamini iniquitatem*, docent ex PP. D. Hieronymus ibidem, D. Gregor. hom 17. in Ezechielem, Anaſtaſ. Synaita lib. 6. Examer. in fin. & D. Th. 2. 2. quæſt. 172. artic. 4. & quęſt. 178. artic. 2. Silueſtranus noſter in 4 ſent. lect 42. & alii cõmuniter. Secundum vero colligi etiam poteſt ex eo quod dixit Chriſtus Math. 7. *Nolite dare ſanctũ canibus, neq; mittatis margaritas veſtras ante porcos.* Fauet & illud Sap. 7. *Sapientia in Sanctorũ animas ſe transfert*: præſertim, quia cũ gratias iſtas Eccleſiæ ſuę cõferat Chriſtus ad fidei cõfirmationẽ, & robur, dubio procul expediens eſt, vt ſolũ piis, & iuſtis conferantur; ne ipſius fidei veritas vilipẽdatur, ſed potius in magno pretio omnibus ſit, quæ tales meretur habere Prædicatores. Tertium autem vel ipſa quoque experientia comprobat, qua conſtat, Deum hoc donum conferre per multis verbi Dei prædicatoribus, Sacræ paginæ interpretibus, & Sacræ theologiæ Scriptoribus, qui etſi alioquin catholici, & fideles, non tamen ſemper vitæ probitate ſunt conſpicui. Eo quod, vt ait Clemens Romanus *lib. 8. Conſtitut. cap. 1. chariſmate dignati ſunt ad aliorum ſalutem*. Cuius cauſam reddit D Auguſtinus quæſt. 79. dum ait: *non omnibus ſanctis iſta tribuũtur ne perniciosiſſimo errore decipiantur infirmi exiſtimãtes in talibus factis maiora dona eſſe quam in operibus iuſtitiæ, quibus æterna vita comparatur*. Pro quo etiam videndus Anaſtaſius Nyſſenus *in quæſtionib. Sacræ Scripturæ quæſt.* 23.

Aliud

Præcipuum tamen dubium & magis ad Curiæ praxim eſt, an huiuſmodi gratia gratis data *Sapientiæ* nuncupata vtilis ſit ad probandam in foro Eccleſiæ Sanctitatem alicuius Serui Dei, cui dicatur conceſſa, Pro quo, & vt plenius difficultatis punctus enucleetur, præiaciendum, quod cum gratia iſta, vt præmiſimus, ſolùm importet Dei donum quo homo ita perfectè rationes altiſſimas myſteriorum fidei cognoſcit vt ipſa aptè & congruè aliis explanare poſſit ad ipſorum vtilitatem; cum hęc cognitio idẽ ſit quod aliis terminis appellari ſolet, videli cet *viſio, intelligentia, reuelatio, locutio interna, notitia* &c. (quas ſimul coniunximus, quia etſi diuerſa ſint nihilominus quoad præſens inſtitutum idem important.) Ideo idem eſt quærere an eiuſmodi cognitio, ſeu gratia gratis data vtilis ſit ad probandam ſanctitatem alicuius Serui Dei, ac quęrere an ex huiuſmodi viſionibus, intelligentiis, reuelationibus, locutionibus, notitiis &c. nota, ſeu ſignum alicuius Sanctitatis colligi poſsit. Res ſanè explicatu difficilis, cum Eccleſiæ lumen D. Auguſtinus materiæ ſublimitatem agnoſcens lib. 2. de Geneſ. ad literam cap. 18. dixerit. *Mallem aliorum hac de re opiniones audire quàm propriam ſententiam ferre. Iſtarum namque viſionum, ac diuinationum cauſas, & modos inueſtigare ſi quis poteſt, certoq; comprehendere, eum magis audire vellem, quam de me ex præſtari, vt ipſe differam. Quid tandem putem; ita vt nec docti me tanquam confirmantem deridant, nec inocti tanquam docentem accipiant, ſed vtriſque diſceptantem potius, & quærentem, quam ſcientem non occultabo*, legendus etiam de verbis Apoſtoli ſerm. 32.

Primum dictum.

Primò ergo dicendum, reuelationes, intelligentias, viſiones, locutiones, ſeu notitias ab hæreticis, vel improbis, aut ſuſpectis hominibus confictas, nullatenus, ad intentum deſeruire poſſe. Sunt etenim figmenta quædam, impoſturæ, & fallaciæ, à patre mendacii Satana fabricata ad hominum interitum. Talia fuerunt, quæ in exordio Eccleſiæ finxit Cherintus Apoſtolorum nominibus inſignita, vt apud Euſeb. lib. 3. cap. 22. & lib. 10. cap. 10. Et illa quæ reuelationes & prophetiæ Marci magi apud Ireneum lib. 1. cap. 8. & 9. dicebantur. Item reuelationes Montani apud eundem Euſebium lib. 3. à c. 15. & Achonticorũ Marcionitis, & Marciali apud Epiphaniũ *hæreſi* 40 qui librum confixere, quem vocabant *reuelationes prophetarum*. Similia quæ de Manete, Iuliano apoſtata, Meſſalianis referunt antiqui hiſtorici, & moderni de illuminatis, Anabaptiſtis, Munſtero, Iuſto Veltio

Veltio, & similibus, De quibus Lindanus, Dialogo 2. Sanderus lib. 2. Caietanus *de potestate Angelica to.* 1. *pag.* 417. & sequentib. aliqua exempla recentiora referens.

Secũdum. Dicendum secundò, nec etiam esse signa certa Sanctitatis, etiam si hominibus alias bonæ opinionis contigisse dicantur. Sic colligo ex Delrio lib. 4. disquisit. magicarum quæst. 3. sect. 1. Fortunat. Scaccho de not. & sign. sanctit. sect. 8. c. 4. Idque probat Anastasius Nissenus in superioribus relatus, inter alia, ex eo quod similia reperta fuerunt in Iuda Apostolo, & postea apostata à Christi Collegio. Secundò etiam clarè probatur, quia difficile valde constare potest an sint ex Deo, an verò Cacodæmone, qui iuxta Apostolum 2. Corinth. 11. transfigurat se in Angelum lucis, & est tantæ virtutis, & potestatis, vt de eo dicatur Iob 41. *Non est potestas super terram, quæ illi comparari possit*, & Apocal. cap. 13. datum est illi bellum facere contra Sanctos & vincere eos. Vnde id posse facere dæmonem probat Diuus Augustinus *in lib. de diuinat. demon.* Caietanus etiam to. 2. de potest. Angelic. dist. 4. quæst 1. artic. 8. dub. 8. dæmones posse causare extasim ad multum tempus admittit. Et secundum rectam philosophiam argumento desumpto ex his quę contingunt in somnis facile illis est hoc facere, alterando, mutando, miscendo, & coniungendo species sensibiles, quę sunt in phantasia ita vt ex illis sic permixtis, & conglomeratis intellectus agens possit species intelligibiles illorum obiectorũ fabricare, & intellectus possibilis per ea cognoscere; quæ diabolus sua potestate intendit per dictas species repræsentari. Tertio, quia cum Sanctitas, aut Christiana perfectio, quam præcipue curat Ecclesia probari pro seruorum Dei canonizatione, non consistat nisi in amore Dei, & proximi, aliarumque virtutum exercitio, proculdubio ex huiusmodi visionibus, &c. nullo modo probari poterunt; cum sint valde diuersa, & sint veluti quædam mentis passiones, seu immissiones, in quarum receptione homo non meretur, nec fit magis aptus ad veram Sanctitatem animę adquirendam. Accedit quarto, quod, cum vt diximus, etiam à diabolo similia præstigia prouenire possint, & à Deo peccatoribus communicari; & quia reuera contigisse solum pendet ex testimonio illius personæ, cui contigerunt, quę fallere, & falli potest, proculdubio non possunt facere certam fidem ad probandam illius Sanctitatem.

Tertium. Nihilominus dico tertio, si cõtigisse dicãtur personis probatæ vitæ, & alias habeant omnes cõditiones necessarias pro veris, & legitimis visionibus, reuelationibus &c. diuinis, validum argumentum ex eis desumitur ad probandam earũ Sanctitatem; ac per consequens etiam ad beatificationem, vel canonizationem eorum, quibus datæ sunt. Sic colligo ex Diuo Thoma quæst. 178. artic. 2. Suarez to. 1. de gratia prologom. 3. cap. 4. num. 11 vbi de miraculis, quæ etiam pertinent ad gratias gratis datas, dicit, quod sunt *magnum signum probitatis vitæ*, Et ex Caietano *supr. pag* 458. *in fin.* clarius *pag* 459. dicente; *Ex visionibus præfatis cum miraculorum dono, præcipue post mortem, cum Sanctitate vitæ, rationabiliter Sanctorum albo homines ab Ecclesia describuntur.* Colligitur etiam ex eo quod, vt supra dixi, huiusmodi Charismata regulariter solum conceduntur pijs, & Sanctis, ac orationis exercitio deditis hominibus. Humilibus præsertim, iuxta illud Ps. 118. *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.* Isai. 66. *Ad quem respiciam nisi ad pauperculum*, id est, humilem, vt Vatablus vertit, & D. Bernard. exponit, Ps. 112; *Humilia respicit in cælo, & in terra.* Luc. 2. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Hinc Abbas Moyses apud Cassianum dicebat: *Solis humilibus à Deo hæc cognitio datur.*

Probatio efficax. Maxime verò, & proximius ad intentũ nostrum, id colligitur ex peruetusto Sedis Apostolicę, S. Congregationis Rituum, & Curiæ stylo, in processibus de vita, & Sanctitate Seruorum Dei, & S. Rotæ relationibus pro ipsis canonizandis, imo ex Pontificum pro ipsorum canonizatione: quo constat magnæ considerationis semper fuisse, quod præfati Dei Serui pro quibus postulatur, hũodi gratia gratis data, Sapiẽtia dicta, seu diuinis visionibus, reuelationibus, locutionibus, intelligentijs, quas ad eam gratiam reduci supra diximus, à Deo decorati fuerint. Id porro notaui in Bulla Alexandri Tertij pro Canonizatione S. Bernardi Abbatis in to. 1. Bullarii noui pag. 61. vbi de cælesti sibi data Sapientia mentio habetur. Noto id etiam in Bulla Ioann. 22. pro Canonizatione S. Thomæ Aquinatis in eod. to. 1. Bullar. pag 175. dum agitur de quadam reuelatione ipsi facta. Et in Bulla Bonifacii 9. pro canonizatione S. Brigittæ Viduæ ibidem pag. 227. & in Bulla Greg. XV. pro canonizatione S. Theresię 3. to. Bullarii pag. 306.

Dubium. Si porro quæratur quæ ſunt ſigna, ex quibus cognoſci poteſt tales reuelationes, viſiones, ſeu locutiones, eſſe ex Deo: ſeu, quod idē eſt, quę illarum ſint ſigna Sanctitatis eorum, quibus à Deo tribuuntur. Reſpōdeo, quod quamuis de hoc plura plures dixerint, ex PP. quidem Auguſtinus, Bernardus, & Bonauentura, ac ex aliis poſterioribus D. Thom. S. Vincentius Ferrerius, Caietanus, Turrecremata, Gerſon, Delrius, & ex ipſis qui in propriis perſonis ea experti sūt de fœminis Sanctis SS. Birgitta, Catharina Senenſis, Thereſia, & Magdalena de Pazzi; ac ex viris plures myſtici, contemplatiui, & deuoti. Nihilominus ſigna iſta ad ſex reduci poſſunt. Primum eſt, ſi illa doctrinę Catholicę, Eccleſiæ determinationibus, & ſanæ Theologię, veluti lapidi lydio adaptantur. Secundū, huic ſimile, ſi omnino etiam veritati conformia ſint. Si enim, vel minimum quid falſitatis in eis repertum fuerit, à Deo eſſe non poſſunt. Tertium, ſi perſona, quæ ipſa patitur ſit boni, & diſcreti iudicii, quia alias dubia valde erunt: nam læſo cerebro turbatur iudicium, vt patet in ebriis, & phræneticis. Quartum, ſi curioſa non fuerit, aut deſiderauerit talia ſibi contingere. Quia Poeticum illi tunc congrue dicetur: *Qui amant ipſi ſomnia fingunt.* Vnde ècōtra viri ſpirituales omnia huiuſmodi deſideria, & petitiones valde improbant, vt colligitur ex D. Auguſtino 10. Confeſſ. cap. 35. & de vera Religione cap. 25 & D. Vincentio in Tract. de vit. ſpirituali. Quintum, ſi perſona, cui fiunt, ſinceræ fidei ſit, Sedi Apoſtolicæ obediens, ac vitæ integritate, & verbis, ac factis præfulgens. Sextum, ſi omnibus penſandis penſatis, tam viſio, ſeu reuelatio, quam perſona cui facta creditur, ſit talis, vt illi cohęreant illa, D. Iacobi in epiſt. c. 3. *Pudica, modeſta, ſuaſibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia, & fructibus bonis, non iudicans ſine ſimulatione.* Ita plures ex authoribus ſuperius relatis; quibus ex poſterioribus iunguntur Conſaluus Durantes ſuper reuelationes S. Birgittę c. 11. Scacchus relatus ſect. 8. cap 4. Raphael de la Torre in 2. 2. Diu. Thom. to. 2. quæſt. 95. artic. 2. diſp. 3. Salleles de mater. S. Inquiſit. to. 3. lib. 5. Regul. 403. Caſtaldus de poteſt. Angelica tom. 1. pag. 424. Qui etiam ibid. pag. 215. narrat caſum cuiuſdam hypocritæ, qui iſta fingebat, & Romæ punitus fuit.

Natalis Animaduertunt prętera plures ex ipſis, quod cum agitur de viſionibus, reuelationibus &c. fœminarum maiori cautela procedendum ſit, nec ita facile admittendas, ſicut eas, quę viris contingunt; nedum quia fœmineus ſexus propter ignorantiam, & credulitatem haud difficile fallitur, & propter paſſionem ſuperbiæ ſępius alios decipit: vt plus æquo in vno Tertulliano à mulierculis decepto; Apelle à ſua Philomena Prophetiſſa; Montano à Maximilla, & Quincina: & mille alijs, præſentibus ſæculis, Sapientum virorum incantatricibus, quas, & quandoque proprio nomine referunt Arias de imitat. Chriſti par. 1. lib. 5. cap. 4. Moura ſect. 3. cap. 3. nom. 19. Grillandus de Sortileg. quæſt. 17 Caſtaldus ſupr. pag. 428. & 429. Salleles de mater. S. Inquiſit. to. 2. lib. 3. Reg. 307. num. 1011. Non tamen propterea hæc diligentia in viris omnino prętermittenda; etſi, vt experientia docuit, talis illuſio frequenter in illis contingat ob deceptionem fœminarum, vt in exemplis adductis, & quæ iidem authores referunt innoteſcit. Præſertim quia plures fœminæ ſunt maleficæ, & faciles ad decipiendum, quam viri, prout Remigius, Malleus maleficarum, Grillandus, Caſtrus, & alii tenent, & experientia docet.

Alia. Quo tamen non obſtante, reuelationibus, ſeu viſionibus fœminarum notæ Sanctitatis, quales fuerunt ſęculis prętęritis S. Hildegardis, S. Birgitta, & S Catharina Senenſis, & in proximiori S. Thereſia, & B Magdalena de Pazzi, magna venereatio adhibetur, propter ipſarum inſignem ſanctitatem. Præſertim cum reuelationes S. Hildegardis ab Eugenio 3. & S. Birgittæ à Gregorio 11 approbatæ referantur, Etſi non propterea de fide certę cenſeri debeant, ſed vt pię, & probabiles dumtaxat. Vaſquez to. 2. in 3. p. diſp. 17. cap. 6. Caſtaldus ſupr. pag. 458. dicens bene cum Delrio, & Arauxo, eo ipſo quod ſunt à Sede Apoſtolica approbatæ, ſolum temere, & impudenter arbitrio proprio reiici poſſe. Reiiciendi potius Spalatenſis, & Philippus Mornęus apud eundem Caſtaldum, dum propter, neſcio quod Gregorii 11. moribundi teſtimonium ipſas, & ſanctas fœminas, quibus factę ſunt improbè ſugillarunt.

Quæstio tertia.

De secunda gratia gratis data, Sermo Scientiæ *appellata*.

De scientia. PLura in hac quęstione, ad instar eorũ, quę in prędcedenti dicta sunt de *Sapientia* prima, ex gratijs gratis datis ab Apostolo 1. Corinth. 13. numeratis, de *scientia*, quę est secunda inter illas dici debent. Et primo, nos non agere in prę-senti de *scientia*, prout est habitus quidam, seu virtus intellectualis per demonstrationem adquisita; neque de scientia, prout est vnum ex donis Spiritus Sancti, de qua tomo præcedenti Tract. 4. disp. 6. quæst. 1. sed de illa, quę enumeratur ab Apostolo eo cap. 13. & vocatur *sermo scientiæ*, & de qua *eo to.2. Tract. 7. disp. 5. quæst.* 1. locuti sumus. Est autem scientia in hac acceptione donum quoddam supernaturale gratiæ, quo homo ita cognoscit mysteria fidei per rationes inferiores, videlicet, exempla, effectus, &c. vt aptus sit eas verbis, & sermone aliis explicare in ipsorum vtilitatem. Vnde quemadmodum præcedenti quæstione diximus de *Sapientia*, eam consistere tam in cognitione rationum altissimarum mysteriorum fidei, quam in verbis, vel sermone quibus explanatur aliis in eorum vtilitatem; ita vt præcipue in talibus verbis, vel sermone consistat, sic etiam in præsenti dicimus de *scientia*, eam consistere in cognitione dictarum rationum inferiorum mysteriorum fidei, exemplorum videlicet, effectuum &c. & verbis vel sermone, quibus aliis explanantur; etsi præcipue in verbis, vel sermone. Et quemadmodum etiam diximus eandem *Sapientiam*, saltẽ regulariter, non esse habitum, sed actum, aut motionem Dei, ita idem est dicendum de *scientia*, vt vel in hoc etiam distinguatur à scientia, quę est vnum ex donis Spiritus Sancti, quæ est habitus.

Dubij solutio. Pro solutione autem dubij, quod moueri potest, an *scientia*, in ista acceptione concedatur solum iustis, & sanctis, an vero etiam peccatoribus, supponendum de ista gratia debere nos loqui in præsenti sicut de scientia infusa; siue sit ipsemet habitus scientię infusæ, siue sit solum aliquis actus ex Dei motione procedens, aut ipsamet Dei motio, vt dictum est. Omnia enim ista nomine scientiæ infusę comprehendi possunt, & indiscriminatim de ipsis loquendum. Propterea enim Salmãticenses nostri in Arbore virtutum numero 166. hanc gratiam spectare hanc scientiam dicunt. Erit igitur idem quęrere an gratia ista concedatur solũ sanctis & iustis, an vero etiam peccatoribus; ac quęrere an scientia infusa solum à Deo concedatur iustis, & sanctis, an quoque peccatoribus.

Sub distinctione. In quo dubio consequenter ad dicta de *Sapientia* quæst præced. dicendum, quod quamuis spectata natura gratiæ gratis datę possit à Deo omnibus hominibus siue iustis, siue peccatoribus concedi, de facto tamen, & regulariter non dari nisi iustis, & sanctis; licet aliquando etiam peccatoribus, propter communẽ vtilitatem. Quod probatur à simili ex dictis eo loco. Et quoad hoc vltimum, quia opinio asserens scientiarum Principes, quales inter Philosophos sunt Plato, & Aristoteles; ac inter medicos Hypocrates, & Galenus, tali Charismate propter commune bonum à Deo decoratos fuisse multis plausibilis est; præsertim cum scientia infusa statui peccatoris non repugnet; vt clare constat in Angelis, & Adamo post peccatum, qui eam quam à Deo in statu gratiæ receperunt in peccati statu non perdidere.

Ad aliud dubium. Similiter ad dubium an ex huiusmodi dono scientiæ infusæ, seu gratię gratis datæ *sermo scientiæ* appellata, nota aliqua, seu signum sanctitatis colligatur ad canonizationem Seruorum Dei, consequenter etiam ad dicta quæst. præcedenti dicendum, quod si agatur de personis alias magnæ opinionis sanctitatis, vtique, si adminiculata ea fuerit simili dono scientiæ magnum inde argumentum desumetur ad ipsam sanctitatem comprobandam, & credendũ tale donum esse scientię à Deo infusæ, & veram gratiam gratis datam; ac proinde tales personas dignas esse quod ab Ecclesia Canonizationis honore decorentur: secus vero si agatur de personis, non bonæ, vel non magnę opinionis quoad sanctitatem.

Probatio. Primum colligitur ex dictis ea quæstione præcedenti, ac maxime ex peruetusto stylo Sedis Apostolicæ, & Ro. Curiæ in processibus de vita, & sanctita-

te

ſe ſeruorum Dei; S. Rotę relationibus, imo & Bullis Sũmorum Pontificum pro eorum canonizatione, in quibus magnę conſiderationis habetur, quod aliqui hoc Charismate à Deo decorati credantur. Legantur hiſtoriæ Ordinis Prædicatorum circa ſcientiam Philoſophię à Beatiſima Virgine Beato Alberto Magno conceſſa. Et Bulla Ioann. 22. circa Canonizationem S. Ludouici Epiſcopi Tholoſani *in to. 1. Bullary noui pag.* 168. vbi eum commendat, quod ipſius ſcientia *putaretur ſcientia infuſa ſiue magis diuinitus quam humanitus acquiſita.* & Bulla Sixti quarti pro canonizatione S. Bonauenturæ eodem *to.* pag. 326. vbi à Papa eum vocat illuminatum *ab eo qui illuminat omnem ſenſum, qui lux, via, veritas eſt, & vita.* Dixerat autem prius: *Ea namque de diuinis rebus ſcripſit, vt in eo Spiritus Sanctus locutus videatur,* & Bulla Pii 2. pro canonizatione S. Catharinæ Senenſis eodem *to.* 1. pag. 291. vbi de ea dicitur *doctrina eius infuſa, non acquiſita fuit.*

Alia. Secundum verò, nempe quod ſi agatur de perſonis non bonæ, vel non magnę opinionis quoad vitę probitatem ex ſimili ſcientia non ſumatur talis argumentum ſanctitatis, nec ad credendum eam eſſe à Deo infuſam: & multo minus ad hoc, quod deueniri poſſit ad ipſarum canonizationem; non ſolum licquet ex eo quod, vt dictum manet, ſimile donum à Deo concedi poſſit peccatoribus, & de facto credatur aliquibus conceſſum; ſed & maximè, quod Cacodæmonis artibus aliqui ſcientias ad quas fierunt, vt Soſipatra, referent Eunapio in Edeſio, Euaſis, teſte Suyda; Tynicus, teſtante Socrate, & de quodam Toleti in cineraro an. 1600. Caſtaldus de poteſt. Angelic. to. 2. diſt. 4. quæſt. 1. art. 12. num. 39. alia quoque exempla refetens. Apud ipſum etiam *to. 1. dist. 2. quæſt. 2. articulo 1. § 6. concluſio*, dæmone familiares inſtructuri ſũt Antichriſtum in ſcientiis, & artibus. Celebres proindę ſunt ſcholæ Toleti, Salmanticæ, ad lacum Nurſinũ, & in Prato Viſignano, & alibi, vbi diabolus ſcientias docebat. Quod etiam ſimilitudinaria quędam ſcientiarum infuſio ipſius operacõ tingere poſsit probant Delrius *lib. 2. diſquiſit. magic. quæſt.* 24. & Scacchus *de not. & ſign. ſanctitat. ſect. 8. cap. 5.* & conſtat in vita S. Norberti apud Surium 6. Iunii, vbi diaboli fallacia factum dicitur, vt *qui prius in libro vix legere nouerant, iam ex libris magna quædam dicerent. & de futuris prophetando maiora & ſtupenda prædicerent.* Subditur etiam de vno illorum: *Danielis denique vnus ex eis prophetiam ſe ſcire aſſerebat.* Similiter Delrius relatus ait *Multos Anabaptiſtas ſumptione potus, vel cibi, Scripturam magnã partem, eam nimirum quam recipiunt, & erroribus ſuis firmandis putant opportunã, ediſſere.* Subdit autem: *Quis docet niſi diabolus?* Teſtimonio quoque Ioannis Malderii lib. 5. comprobat lamiàs ſumptione cuiuſdam potus ſe profiteri addiſcere, quæ ad eam præſtigioſam artem ſpectant. Talesquoque forte erant, Scotus quidam, qui Venetijs publicas cõcluſiones ex omnibus ſcientijs, omnium ſtupore defendit; & puella quędam Hiſpana quindecim annos nata, quę ſimilia Barcinone egiſſe dicitur.

Diaboli poteſtas. Eſtò etiam quod directe diabolus hominibus ſcientias dare nõ poſſit, indirecte tamen ad id faciendum vires habet pro cõperto res eſt: ſi quidem primo poteſt per artem ingenium ſubtilius, docilius, & perſpicacius reddere; per commodiorem organi diſpoſitionẽ, & ablationem humorum denſiorum, vt tradit Raphael dela Torre ſupra quæſt. 95. D. Thomę in præludiis diſp. 6. cui immerito contra dicit Torreblanca in Epitom. delictorum lib. 2. cap. 14. num. 12.

Signa diabolicę ſcientiæ. Quæ porro ſigna ſint huius diabolicæ ſcientiarum infuſionis, quod etiam iuuabit ad intentũ, bene affert Scacchus ſupradicens, eſſe primò, ſi reperiantur aliqui qui ſcientias naturales nullatenus ad Dei cultum, ſeu proximorum vtilitatem, quas nunquam didiſcerunt, ſciant, vel profiteantur. Secundò, ſi ad prauum finem, Dei videlicet contumeliam, Eccleſiæ damnum, vel proximorum detrimentum, ſcientias, quas ſtudio conſtat non adquiſiſſe, propalent. Tertio, ſi eis ſcientiis vti comprobantur, non niſi determinatis diebus, vel horis; ijs, vel illis cęremonijs, aut virtutibus, ſicut olim Phytoniſſis contingere ſoleb at.

De alijs paſſionib. Eadem porro, quę de hac gratia gratis data, *ſermone ſcientiæ* dicta, & ſcientiis infuſis diximus, ſuo modo, & proportionaliter applicari poſſunt ad ſimiles alias paſſiones, quæ in Orationis mentalis exercitio ſępius contingere ſolent, & vocantur *alienatio à ſenſibus, exceſſus mentis, extaſis*, & *raptus*. Quamuis autem tum in Sacris, tum in humanis litteris plerumque confundantur, vt notat Conſaluus Durantes in Tract. de viſio-

nib. cap. 3. §. 2. sup. reuelat. S. Brigittæ, & eum sequens Fortunatus Scacchus de not. & sign. sanctit. sect. 8. cap. 13. nihilominus videtur probabile in eo distingui posse: quòd *excessus mentis*, seu alienatio à sensibus, veluti genus quoddam sit ad *extasim*, & *raptum*: ac sit quædam *abstractio mentis*, vel *discessus ipsius à suis operationibus*, ad *Extasin*; aliis *Extasis*, sit *excessus mentis*, seu *cessatio ab operationibus exteriorum potentiarum*. At verò *Raptus* sit *excessus mentis cum quadam violentia*, & *cessatione omnium reliquarum potentiarum*. D. Tom. quæst. 175. artic. 2. ad 1. Scacchus supr. Tannerus. De his igitur omnibus simul, & per modum vnius sumptis, inquirimus, an ex illis sumi possit argumentum ad probandam sanctitatem eorum, quibus contingunt: vel, quod idem est, an sint nota sanctitatis illorum, in ordine ad ipsorum canonizationem.

Respõsio. Et dicendum, absolutè & simpliciter, nec esse signum veræ sanctitatis, nec ex illis posse colligi argumentum ad canonizationem, nisi iungantur etiam alia sanctitatis adminicula eorum, quibus contigisse dicuntur. Prima pars suadetur primo, quia hæc omnia contigisse dicuntur aliquibus pessimis catoribus, imo infidelibus, Id enim refertur de Socrate apud Aulum Gellium de Noct. Act. lib. 2 de quo dicitur, quod *perdius, atque pernox immobilis, abstractusque maneret*: De Trimegisto etiam, & Platone scribitur in contemplatione solitos fuisse isto modo alienari à sensibus. Plinius etiam lib 7. de Hermotimio Clazomenio refert fere similia, ita vt eius anima qua si relicto corpore, vagari videretur. D. Augustinus etiam 14. de Ciuit. Dei c. 24. hoc de quodam Presbitero, de quo qualis vicè fuerit ignoratur, vocabatur autem Restitutus, ait, quod *quando ei placebat (rogabatur autem, vt hoc faceret ab eis, qui vem miesbilem coram scire cupiebant) ita se auferebat à sensibus, & iacebat similimus mortuo, vt non solùm vellicantes, atque pungentes minimè sentirel, sed aliquando etiam igne vreretur admodò sine vllo doloris sensu, nisi postmodum ex vulnere.* Alia etiã affert Gerson *in opus. De Monte contemplat. cap.* 31. *alphab.* 74. *litt.* Q.

Fundamẽtum. Deinde secundo, quia possunt ista prouenire ex mera causa naturali, neq; bona, neque meritoria, sed indifferente, & aliquando praua. Prout colligitur ex D. Thom. d. quæst. 175. artic. 1. & 2. Caietano, & alii Expositoribus ibidem, Raphaele de la Torre in 2. 2. quæst. 95. artic. 6. disp. 14. plures alios referente. Ac ex principio illo Aristotelico: *Pluribus intentus minor est ad singula sensus*. Nam si anima totam suam vim, & attentionem colligat ad aliquos interiores actus, siue bonos, siue etiam malos, aut indifferenter ex suo obiecto, tunc tota eius vitus naturalis ita occupabitur, vt sensibus externis non attendat, nec possit per illos sentire. Vnde hunc excessum mentis, naturaliter contingere posse Medici concedunt, & Imaginatiuæ ascribitur. *Quapropter ista, omne arbitrium suspenditur, mentis actio quiescit, & homo extatico premitur symptomate*. Sic Fortunatus Scaccus supra sect. 8. cap. 3. §. Restat iam. Similiter quia oriri potest, vt tradit idem Scacchus ex D. Thoma ex nimia delectatione sensuali. Eam enim non solùm mentem obnubilare, sed etiam rapere significabant veteres Poetæ in Meduse fabula, quæ cum esset mulier formosissima, eius pulchritudine adeo homines rapiebãtur, vt è potestate mentis exirẽt

Tertiò, quia vt inquit S. Thomas, & admittunt Caietanus & Expositores d. quæst. 175. artic. 2. huiusmodi abstractio à sensibus potest contingere *ex causa corporali*, morbo scilicet, vel infirmitate, à medicis appellata *Catalepsis*, quæ illam causare potest. Adeo, vt talem morbum habuisse Socratem, de quo supra, aliqui colligant ex Aristotele *in problemate magno de viris excellentibus*: Refertur id etiã de Mahumeto, qui fuit epilepticus, & à sensibus alienabatur, & vt operiret suam miseriam, iactabat se cadere, Angelo sibi loquente. Et Plutarchus *in lib. 1. de anima* loquens de Enarcho quodam inquit: *Enarchus nuper agrotans tanquam iam mortuus à Medicis fuit relictus, & breui tempore in se ipsum postea reductus, dicebat se mortuum fuisse, & in corpus iterum restitutum, nec eo morbo moriturum reprahendisse aiebat vehementer à Domino suo eos spiritus, qui animam eius duxerunt. Ad Nichan iã enim missos non ad ipsum fuisse Nichandas autem coriarius erat, & in palæstris non ignobilis, qui eo tempore quo Enarchus reuixit, incidit in febres, ac repẽte mortuus est. Hic autem viuit, superstesque est, felicissimè nobiscum manens.* Sed relictis huiusmodi nugis, veritas à nobis adducta certior est ijs indigeat probatio-

Aliud.

bationibus.

Aliud. Quarto; quia id poteſt prouenire, & ſæpius ita contingit, opere dæmoniaco. Ita S. Thomas ſupra, & cum ipſo Caietanus, & alii. Adhæret etiam Olaus de Magis Lapijs loquens: ſequitur Cardanus, & approbat Caſtaldus ſup. pag. 398. vnde Iamblichus lib. de myſter. Aegypt. paulo ante medium teſtatur multos prophetarum, id eſt, Vatum Gentilium, adeo quandoq; à ſenſibus abſtractos fuiſſe, vt admoto igne non vri, vel ſi vrerentur, vllionem non ſentire, vt nec alia tormenta vlla apparerent. Additq; id fieri *Deo intus ad ſtante*. Quis iſte Deus Iamblici Magi niſi cacodæmon? Ita Delrius *diſquiſit. magic.* lib. 2. quæſt. 21. Vbi etiam narrat propè Samarobrinam, ann. 1599. captam puellulam ſtriatricẽ, quę nec pe dum vſtulationẽ ſequiſſimam, nec flagra validiſſima ſentiebat, donec Sacerdotis cuiuſdam monitu illi Agni benedicti ceream imaginem in collum iniecere. Tunc enim vi ſacri amuleti dæmonis præſtigioſa ludibria depulſa, & illa vim doloris cępit perſentiſcere. Refert quoque ibidem de duabus mulierculis veneficis, quod acicula quadam penitiſſimè infixę, nullum, nec minimum dolorem ſenſiſſent. Noti ſunt ee etiam caſus, qui in Hiſpania contigere cum quadam adoleſcentula Cęſarauguſtana circa annum 1585. cui raptus huiuſmodi frequentes erant, & cum famoſa quadam Cordubenſi. Narrat etiam Abulenſis in cap. 13. Gen. quæſt. 354. hunc caſum mirabilem. *Sunt mulieres quædam quas maleficas vocamus, quæ profitentur facta quadam vnctione cum certis verborum obſeruationibus, ire, quando voluerint, ad diuerſa loca, viros & fœminas conuenire, vbi omnium voluptatum generibus, tam in cibis, quã in complexibus perfruantur; cuidam autem mulierculæ huius ſectæ cum ſuper hac de re non crederetur, præſentibus multis ſe id facturam pollicetur, factis autem verborum, & vnctionis obſeruationibus coram aſtantibus velut exanimis iacuit. Cumque poſt aliquot horas in ſe reuerſa euigilaſſet, teſtatur ſe in talibus, atque talibus fuiſſe locis, atque cum plurimis eiusdem Sectæ notis in ea regione perſonis, quas ex nomine appellauit variis ſe voluptatibus perfruitam aſſeruit: nouerant autem qui aderant, eam in hac re falli, cum toto eo tẽpore præſentibus eis iacuiſſet exanimis, neque fuiſſet de loco mota, & vt magis eam rem experirentur, ignem, & verbera adhibebant, ſed neque ab ea uſta, neque grauiter verberata euigilauit: arguebant autẽ illam decipi ſuper eo quod aſſereret, adiungentes, quod eam igne, & verberibus attrectaſſent, quod cum illa conſtanter negaret, quia profecto nihil ſenſerat, tandem carnis vſturam, atque verborum ſigna cognoſcens, vix quod aſſerebatur, vt verum accepit. Conſtabat autem mulierem illam viuere, & tamen tam fortis alienationis à ſe diſtractam, vt mortem quidem pati poſſet, ſentire autem non poſſet.* Ad quod genus aliud reducetur, quo circulatores aliqui, potius Magi, homines vngendo neſcio quo vnguenti plaſmate, turbant, excęcant mente, ſenſuque alienãt, vt vel omnino rationis expertes ſint, vel appareant. De quo non iniucundum exemplum narrat Mathiolus præfat. *in Dioſcoridem*, & ex eo Delrius *diſquiſit. Magic. lib.* 3. p. 1. quæſt. 4. ſect. 5.

Poſſe autem fieri iſta cacodæmonis malignitate, qui ſimiles præſtigioſas illuſiones in hominũ mentes ingerere ſolet, omnibus compertiſſimum. Sed ſpecialiter ex ſimilibus aliis, quas noſter Ioannes Beetz *in opere de præceptis Decalogi præcept.* 1. *expoſit.* 4. *cap.* 4. *lit. F* affert, ſuadetur. Sic autem ibi. *Notandum, quod damon quandoque illudit in viſione corporali dupliciter. Vno modo per immutationem organi: commouere quidem poteſt damon ſpecies & humores in organis corporeis, ex quo immutari contingit ſenſus, iudicium, & multipliciter decipi etiam circa proprium obiectum, vt res aliqua ſub alio colore, aut alia figura videatur, vnde & perſpectiui tradunt varios deceptionis modos circa radium viſibilem ex diuerſa diſpoſitione oculi contingentes, vt aliquando ex modica translatione pupillæ rem aliquam iudicet duas. Alio modo per mutationem circa obiectum factam: ſicut enim damon poteſt ex aere condenſato formare corpus cuiuſcunque coloris & figuræ: ita etiam poteſt cuicunque corpori iam in natura exiſtenti aerem circumſtantem condenſando & figurando quamcunque componere figuram, vel colorem: vnde contingit ſenſum decipi iudicando rem illam realiter illius eſſe ſpeciei, quã figura illa demonſtrat, cum tamen non ſit. Inter omnia enim accidentia communia figura expreſſius declarat ſpeciem: Et licet ibi ſenſus exterior non decipiatur circa exterius obiectum, quod eſt color, vel figura, cum in veritate huiuſmodi colorem aut figuram aer damonum impreſſit in aerem; nihilominus tamen decipitur Iudicium ſenſus communis, qui iudicat colo-*

Aliud.

rem

rem, aut figuram esse in subiecto, in quo realiter non est, puta figuram equinam, vel caninam in homine, vt ratione talis figuræ circumpositæ videat hominem conuersum in equum, vel canem, cum tamen non sit, nec fieri possit. Vnde in huiusmodi illusione nec substantia, nec hominis figura, mutatur, sed per circumpositam figuram occultatur. Vnde B. Benedictus, vt refert Gregorius, cum quandam puellam quæ operatione cuiusdam maleficæ equa esse videbatur, fuisset per præsentia sapienter indicans dixit puellam non esse equam, nec formam equæ in ipsa puella esse, sed tantum in oculis intuentium. Et de patre B. Clementis vocato Faustinianus legitur in legenda S. Clementis, quod Symon Magus impressit ei effigiem faciei suæ, ita vt ab omnibus Symon Magus putaretur, quem B. Petrus ad pristinam effigiem reduxit, vt ibi ad longum patet, quod non erat nisi illusorie. Et in vita B. Germani Antisiodoren. Episc. legitur, quod cum certo hospitio appulisset præcepit fieri apparatū pro multis, & tandem multis ibidem conuenientibus, hospes interrogatus si quos cognosceret ibi, respondit, quod sic, nominando tales & tales de vicinio, & illico B. Germanus misit ad domum illorum, & aliqui comperti sunt dormientes in lecto, & aliqui aliter, & alibi occupati, ita quod sanctus homo cognouit, quod in illa conuentione erat apparentia, & illusio dæmonum repræsentantium alias effigies hominum, & mulierum. In visione autem imaginaria contingit hoc per modum quo somniorum fiunt apparitiones, nam dæmon ita illudere hominibus potest, tam in somnis, quàm in vigilia, vt opinentur se mira videre, & audire, aut etiam facere, quæ non cernunt, audiunt, nec faciunt, vt patet de discipulo Alberti, & de S. Germano, vt tam narratum est. Et hunc modum tangit B. Gregorius in lib. de spirit. & anim. Dæmones inquit, qui futura prædicunt, possunt & quidem mira facere, quibus homines allicunt, & seducunt. Vnde quædam mulierculæ post Satban conuersæ dæmonum illusionibus, & phantasmatibus seductæ, credunt se, & profitentur ab Herodiade, & Diana, Dea, & innumera multitudine mulierecularum equitare. Diabolus enim animam captiuã deludens modo lætã, modo tristã, modo cognitas, modo incognitas personas ostendit, perdentia quæque deducit, & cum solus spiritus hoc patitur, non in animo tantum, sed in corpore euenire opinatur. Ad hæc nimis fatuus & bebes est, qui hæc omnia, quæ in spiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitratur. Vnde si aliqua quæ dæmon illusione facit, vera sint, vel non certis potest indicijs explorari: puta si tempore quo volasse, aut equitasse dicuntur absentes à loco suo resistentim, aut in eo præsentes inueniantur; si à coniugys, quibus se interfuisse profitentur, pleni reuertantur, aut vacui; si personas ignotas, quas in suis perspiciunt conuentibus, postea etiam in locis alijs ex sola illa communicatione cognoscant; si res aliquas palpabiles inde reportent, & manibus attractent &c. Vnde quædam mulier quæ viro suo reuelauerat se cũ Herodiade equitare de nocte, cum bora sui exitus adesset, & ipsa hostio clauso exire non valeret à viro bene percussa est. De Valdensibus verò plurimi, cum se putabant bene comedisse inuenerunt se postea statim femelicos, & cum se multum aurum habere putabant, post lapides illud comperti sunt, & similes Dæmonum deceptiones multa ei accidere. Hæc satis singulariter notet Ioannes Beetz.

Quinto, quia præfata alienatio, seu abstractio à sensibus solet esse ficta, & simulata ab aliquibus fœminis, præsertim sanctitatem affectantibus, prout refert contigisse notter Hieronymus Gratianus in lib. de disciplin. Regular. cap. 3. de quadam Præbera dicens, quod puella quædam paruula eius neptis, interrogata, quando illi contingeret huiusmodi alienatio, respondere solita erat: *Quando venit ad ipsam mulsendam Domina Comitissa* N. Quæ de re mille alia casus afferri possent: & vnum specialem affert Iosephus à Costa *de nouiss. tẽporib. lib. 2. cap. 11.* de quadam fœmina agena, quę se rapi simulabat, & quæ doctum quendam Theologum deceperat. Nec mirum, quia sexus iste imbecillior *multa sibi somnia fingit*, iuxta illud Paræmicum *Anus, quæ vult somniat*. Et quia mulierculæ sunt sicut laudis cupidæ, & ipsis viris superbiores.

Alia probatio.

Secunda autem pars nostræ assertionis, clarè etiam probatur, quia negari non potest, quin sæpius huiusmodi alienationes à sensibus è Deo sint, ortæ ex contemplatione supernaturali. Ita enim colligitur ex D. Isidoro. 7. etimolog. cap. 8. D. Gregorio lib. 5. moral. cap. 20 & 22. D. Bonaventura *to: 2. tract. de septem gradib. contempl.* & docent S. Thomas, & Caietanus supra, qui specialiter idem refert contigisse eidem S. Thomæ. Constat etiam in pluribus sanctis viris, vt Dominico, Francisco, Ignatio: cum fœminis, vt Brigitta, Francisca

Secunda pars probatio.

sca Romana, Theresia, Magdalena de Pazzi, & aliis, Quod etiam contigisse videtur in veteri testamento Danielis Prophetæ, cum cap. 10. dicebat *Iacebam consternatus super faciem meam*, & Ezechieli, cum etiam *cap.* 8. dicebat: *Spiritus eleuauit me inter cælum & terram, & adduxit me in Ierusalē in visione Dei* Quod affert ad intentum S. Thomas supra. Item in nouo testamento Ioanni Euangelistæ Apocal. 1. in quadam visione dum dicebat: *Cecidi ad pedes eius tanquā mortuus.* Et postea in Amone Nitriensi, qui extaticus flumen Lycum pertransiuit sinè cymba, aut nauigio. Cuius ratio est desumpta ex Diuo Dionysio Areopagita, dum inquit, *Amor extasim facit*. Et quia, vt ait D. Gregorius *lib.* 3, *Dial.* 24. *Caro, ea, quæ sunt spiritus capere non valet, & idcirco cum mens humana vltra se ad videndum ducitur, necesse est vt hoc carnium vasculum, quod ferre talenti pondus non valet, infirmetur.*

Signum sanctitatis

Quando autem talis fuerit alienatio à sensibus, est signum veræ sanctitatis. Probat Contelorius de canoniz. Sanct. cap 14. num. 26. referens S. Thomam d. quæst. 175. artic. 1. in corp. & in solut. ad 2. Idemque dicit num. 27. de eleuatione à terra, conformiter ad Rotam in Relatione S. Francisci Xauerii in 4. miraculo.

Signa veræ alienationis.

Signa autem quæ sunt ad cognoscendum, an prædicta alienatio, seu abstractio à sensibus procedat ex supernaturali contemplatione, ac per consequens sit signū veræ sanctitatis, an verò procedat ex aliis causis assignatis, ac proinde non sit veræ sanctitatis signum, sunt ferè eadem, ac illa, quæ adduximus quæst. præcedenti, & quæ adducuntur à Doctoribus ad discernendum veras reuelationes, seu apparitiones à falsis. De quibus præter authores relatos ibidem Antiochus Brondus in Apocalip. disput. 2. quæst. 3. Bartholomæus à Medina in 3. p. S. Thomæ quæst. 25. artic. 3. Petrus Thirçus de apparit. lib 4. cap. 20. & Ioannes à Iesu Maria in Theologia mystica cap. 8. Principaliora tamen signa sunt, primum, an sit persona, quæ talem alienationem patitur, sanctitatis opinione clara. Tunc enim illa erit à bono spiritu. Vnde Caietanus super artic. 1. S. Thom. relat. inquit de ipso S. Thoma: *Propterea, cum Sanctus Dei esset, procul dubio diuina replebatur virtute.* Secundum, si talis alienatio faciat illam habentem humilem, flexibilem, & obedientem, iuxta illud Prouerb. 3. *cum simplicibus est sermocinatio eius*. Tertium ad idem, si sit persona quieta & timens Deum. Nam vt Medina supra inquit: *In pace factus est locus Dei, & eius spiritus non quieuit, nisi super quietum & humilem, & trementem verba illius*. Ex corporis etiam temperatura potest signum huius rei colligi, si enim nigro humore, vel malencholico, vel aliquo morbo sit affecta talis persona, dubitandum est non ex Dei opera, sed ex alia causa prouenire dictam passionem.

Notatio.

Expendendum tamen non æquè, nec eodem modo huiusmodi à sensibus abstractionem piis contemplatiuis accidere solitas esse; prout fusius *in Annotationibus mystic. ad vitam B. Magdalenæ de Pazzi* ostendi. Cum enim vel præ magnitudine deuotionis, vel præ magnitudine admirationis, vel præ magnitudine exultationis, prout Richard. lib. 5. de contemplat. scripsit, contingere possint, & latè prosequitur Henricus Arphius in sua mystic. Theolog. lib. 3. p. 5. cap. 39. ideo etherogeneę valde sunt, nec sibi aut aliis sæpe similes. Aliquando enim, sunt tales vt per ipsas homines à terra eleuētur, vt de Sanctis Dominico, Francisco, Brigitta, Theresia, & aliis scribitur. Quandoque etiam in terram velut mortui cadunt, prout Danieli Prophetæ cap. 10. contigisse videtur illis verbis: *Iacebam consternatus super faciem meam*: & Ioanni Euangelistę Apoc. 1. *Cecidi ad pedes eius tanquam mortuus*. Sæpe etiam ex vno loco ad alium rapiuntur, quemadmodum ex loco Ezechiel. 8. adducto elici potest, & Amoni Nitriensium Essenorum Archimandritæ refert Palladius de vit. Patr. lib. 8. cap. 8. contigisse, transeundo ex vna ad alteram fluuii Lycī partem. Sic modernus quidam mysticus, nec indoctus, de eo cui hęc abstractio sensuum cōtingit, loquēs: *In Raptu aut sedet, aut in loco vbi erat, seu columna quadam immotus perstat. Interdum cadens in faciem prosternitur; interdum vi spiritus in aera leuatur: interdum manus & brachia in altum leuat, aut aliis modis insuetis vehementiā spiritus ostentat*. Expressit hoc satis in hoc magisterio mysticæ Theologiæ doctrinę experta S. Virgo Theresia de se ipsa loquens cap. 20. suæ vitæ.

Quæstio quarta.

De tertia gratia gratis data, Fides *vocata.*

Fidei acceptiones.

PRætermissis variis acceptionibus fidei, de quibus supra Tract. 1. disputatione 1. quæst. 1. diximus, in præsenti solum loquimur de ipsa, prout est specialis gratia gratis data, tertia inter numeratas ab Apostolo, 1. Corinth. 13. illis verbis *Alteri fides in eodem spiritu*. Quamuis autem sint variæ opiniones DD. circa id quod importat fides, prout est gratia gratis data, nihilominus, iuxta dicta tomo præcedenti tract. 7. disputatione 5. quæst. 1. dicendum, quod sit specialis quædam, & supereminens certitudo, quam debet habere doctor fidei, vt possit alios instruere in illa; vnde fides in quantum est gratia gratis data, non pertinet solùm ad intellectum, sed etiam spectat ad voluntatem; quatenus importat etiam quandam confidentiã, aut fiduciam, quod Deus præstabit auxilium ad faciendum miraculum, quando fuerit necesse ad hoc, quod auditores recipiant fidem; prout colligitur ex Chrysostomo, Hieronymo, Cyrillo Ierosolymitano, & aliis, iuxta illud Christi Matth. 17. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis*. Sic colligo ex D. Thoma 2. 2. *quæst.* 111. *artic.* 4. Valent. *to.* 2. *disp.* 8. *quæst.* 3. *punct* 1. Suarez *tertia p. to.* 1. *disp.* 21. *sect.* 2. Cornelio super hunc locum, Raphaele de Torre *in* 2. 2. *quæst* 90. *artic.* 2. *disp.* 8. Qua fide claruisse videntur insignes aliqui Sancti, præsertim Apostoli; prout ex Diu. Hieronymo tradit Vvaldensis noster to. 2. de Sacram. de Sacrament. Eucharist. c. 74. in fin. S. Gregorius Neocesariensis, dictus Thaumaturgus, qui montem Templi cuiusdam fabricam impedientem, sua oratione transferri fecit, teste Nisseno in eius vita, & Eusebio *lib.* 7. *histor.* c 25. Simile quid contigisse apud Babylonem narrat Petrus de Natalib. *in Catholog Sanctor. lib.* 9 *cap.* 19. Et *in Regno Mosul*, prout ex aliis refert Verticelli *de missionib. tit.* 1. *quæst.* 36. imo & S. Hilarion, vt refert S. Hieronymus in ipsius vita, cum mare per terræmotum exundans, vndarum moles, & montes gurgitum litoribus inferret, ità vt Ciuitati Epidauro excidium minaretur, cum tria Crucis signa pinxisset in sabulo, manusque contra tenderet, intumescens mare ante eũ tetit, & paulatim in semetipsum relapsũ est. Temporibus etiã sequentibus quemdam etiã mõtem in Tartaria fuisse translatum, cum quidam Tyrannus id exigeret à Christianis ex hoc Christi promisso narrant epistolæ illius partis, & Marcus Paulus Venetus in Tartaria. Simile donum datum à Deo credi debet viris Sanctitate insignibus, qui pro firmanda aliqua fidei veritate polliciti sunt aliquem effectum miraculosum; prout fecit noster Propheta Elias quando 3. Reg. 18. promisit ignem de cælo descensurum, & deuoraturum victimam; ac S. Dominicus promittens librum Catholicum illæsum ab incendio euasurum, librum autem hæreticum in cinerem conuertendum. Raphael de la Torre *supra*.

Corollar.

Ex quo infertur, hanc gratiam, quæ etiam *sermo fidei* appellatur, iuxta doctrinam Diu. Thomæ 2. 2. quæst. 4. articulo 5. ad 4. differre à sapientia, seu scientia, de quibus in præcedentibus, quod quemadmodum habitus fidei non est discursiuus, sed simpliciter cognoscitiuus, sapientia autem, & scientia, habitus discursiui sint: sic etiam huiusmodi gratiæ sic in hoc distinguantur, quod fides explicet res sine discursu, sapientia autem, & scientia cum illo, modo explicato quæst. præced. Sic nouus Author Sebastianus Salleles de materiis Tribunalis Sacr. Inquisitionis *tom.* 1. *lib* 1. *cap.* 8. *reg.* 70. *num.* 87. & ante ipsum Suarez *in Tract. de fide disp* 8. *sect.* 1. *num.* 4.

Dubium.

Ad dubium autem quo quæri potest, an huiusmodi *fides*, seu sermo fidei, sit habitus, vel potius actus, seu motio; quamuis aliqui velint habitum esse, nihilominus consequenter ad dicta in præcedentibus quæstionibus de *sapientia*, & *scientia*, & conformiter ad doctrinam S. Thomæ, qui à toto genere loquendo passim significat gratias gratis datas potius esse actus, quam habitus, dicendum, quod licet regulariter loquendo, non sit habitus, sed potius actus, seu motio diuina, mouens Prædicatorem Euangelium ad manifestanda mysteria fidei modo dicto, & in vtilitatẽ audientium, quod est, vt diximus in præcedentibus, veluti ratio constitutiua

Euan-

gratiæ gratis datæ: nihilominus conuenienter dici poteſt eſſe, vel fuiſſe habitum in Apoſtolis, & aliis inſignioribus Euangelii Prædicatoribus, quibus quaſi permanenter, & ex vi officii competebat Euangelium prædicare; ac per conſequens frequentius egere exercitio huius gratiæ. Legendus Suarez *ſupra num.* 11.

De alio dubio. Ad aliud dubium, quo ſimiliter quæri poteſt de hac gratia gratis data, an ſolis iuſtis, an etiam peccatoribus concedatur, conſequenter etiam ad dicta quæſtionibus præcedentibus reſpondendum, quod, licet, ſpectata natura ipſius; cum ſolum importet ſpecialem quandam certitudinem, ſeu fiduciam Prædicatoris Euangelici, quo certo credit Deum præſtaturũ ſuum auxiliũ, etiã mediante miraculo, ad corroborãdam fidem, ſi id fuerit neceſſarium; & ad hoc non exigatur ſtatus gratiæ, & Charitatis, ſed ſufficiat fides, quę poteſt eſſe in peccatoribus; ideo etiam peccatoribus fidelibus concedi poſſe. Eſto, quod de facto non concedatur niſi viris piis, iuſtis, & ſanctis; vel ſaltem inſignibus Prædicatoribus, quando ij prædicant *in vtilitatem* fidelium. Propter dicta eo loco. Vnde rectè Suarez ſupra relatus non diſtinguens inter iuſtos, & peccatores dicit: *Quædam auxilia, quæ interdum dantur Conſonatoribus, vel etiam Præceptoribus ſacræ doctrinæ, vt conuenienter ſuis muneribus vtantur, ad hæc gratias* (inter quas reponit fidem) *ſpectant*

De alio. Ad aliud quæſitum, an videlicet ex iſta gratia gratis data elici poſſit ſignum aliquod Sanctitatis perſonę, cui conceditur, in ordine ad Beatificationis, vel Canonizationis honorem ſuſcipiẽdũ ab Eccleſia, conſequẽter ad dicta quęſtione prędecenti de gratia gratis data, appellata *ſcientia*, ſeu *ſermo ſcientiæ*, affirmandum, quod ſi ea credatur conceſſa perſonis alias in Sanctitate conſpicuis, & inſignibus, vtique magnum adminiculum erit ad eam corroborandam; & per conſequens in ordine ad Beatificationem, ſeu etiam Canonizationem. Si vero perſonis incertę, & dubiæ Sanctitatis, non ita. Prima pars probatur ex dictis eo loco: ac præſertim, quia fidei magnitudo, & excellentia, quæ ad hanc gratiam ſpectare videtur, habetur in conſideratione ſæpius in canonizatione Sanctorum. Vt patet in Canonizatione S. Didaci facta per Sixtum Quintum, vt conſtat ex Bulla ipſius *in* 2. *tom. Bullarij noui pag.* 478. vbi miraculum de liberatione cuiuſdam pueri ab igne furni, in quem ſe abdiderat *magnæ fidei* ipſius tribuitur. De Sancto etiam Carolo Borromæo dicitur in Bulla Canonizationis ipſius per Paulum 5. *tom.* 3. *Bullarij noui pag.* 187. *Firmabat vero eius virtutes omnes ſolidum fundamentum, præcellens viua fidei donum.* De S. quoque Ignatio de Loyola dicitur in Bulla de ipſius Canonizatione ab Vrbano 8. (eſto quod ipſe non ab illo, ſed à Gregorio 15. cum SS. Iſidoro Agricola, Philippo Nerio, Franciſco Xauerio, & Thereſia Virgine Canonizatus fuerit) *in* 4. *tom. Bullar. noui pag.* 9 *Ornauit illum Dominus magnitudine, & excellentia fidei.* De S. etiam Andrea Corſino Sac. Rota in relatione ad Paulũ V. pro eius Canonizatione facienda, quam retuli inter mea Cõſilia varia conſ. 1. nu. 253. excellentiam ipſius fidei ex quatuor argumentis deductis à D. Antonino confirmat. Secunda vero patet ex dictis ſupra. Si enim hæc gratia concedi poteſt peccatoribus; non ergo quando conceditur aliquibus ſolum dubię, & incertę Sanctitatis, poteſt eſſe nota certa illius, in ordine maximè ad Beatificationem, ſeu Canonizationem; ad quam non quælibet, ſed eximia, imo heroica Sanctitas requiri ſolet ab Eccleſia.

De Miſſionarijs. Quia tamen huiuſmodi gratia potiſſimum à Deo concedi ſolet Prædicatoribus Euangelij, illis permaxime, qui illud prædicant in partibus Infidelium, qui & vocantur Miſſionarii, ideo extra rem non videtur aliqua de huiuſmodi Miſſionariis in præſenti animaduertere.

Qui ſint Et primò præmittendum Miſſionarios iſtos non eſſe aliud, niſi Prædicatores Euangelicos miſſos à Sede Apoſtolica ad diſſeminandum Euangelium, & Catholicam fidem inter ſciſmaticos, & hereticos, ac alios infideles. Laurent. de Beyerlinck *in Theatro vitæ humanæ verbo miſſio*: Ioan. Maria Vertriceli *in tract. de Apoſtolicis miſſionibus in prologomeno quæſt.* 1. *num.* 1. & 2. Huiuſmodi autem miſſionariis propter dignitatis muneris eorum, cuius finis eſt, Dei gloria & proximorum ſalus rectè applicatur illud Apoſtoli in epiſt. ad Roman. cap. 10. *Quam ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona!* Iure etiam muneri ipſorum applicari poſſunt innumera Patrum, & DD. teſtimonia, quibus commendatur zelus ſalutis animarum. De quo etiam late & docte noſter

ſſer Thomas de Ieſu *in Opere de conuerſ. gentium fere per totum.*

Dubium. Dubitari autem ſolet, an ipſorum munus, Apoſtolatus, & ipſi Miſſionarij Apoſtoli vocari poſſint. Et dicendum, quod quamuis Solis Chriſti Apoſtolis (iungendo etiam ipſis Mathiam, qui loco Iudæ ſuffectus eſt, Paulum, ac Barnabam) nomen Apoſtoli ſtrictè, rigorosè, & per antonomaſiam competat; nihilominus aliis prêter ipſos hoc nomen tribui poteſt; etſi cum limitatione aliqua, ſcilicet certæ gentis, nationis, ſeu Prouinciæ: quia ſolùm illi fuerunt vocati à Deo, ſeu Chriſto, & miſſi ad prædicandum Euangelium ab ipſo, & cum pleniſſima auctoritate ad gubernandum Eccleſias, prædicandi Euangelium, & miracula patrandi. S. Thomas 1. *ad Corinth.* 12. Caietan, *Opuſc. de auctor. Papæ cap.* 3. Secundò, quia ſoli ipſi fuerunt miſſi à Deo, vt Ambaſciatores ipſius in omnem terram, Abulenſis *cap.* 10 *in Matthæum quæſt.* 23. & 26. Tertio, quia apud Hebræos nuncupabantur Apoſtoli illi, qui à latere ſummi Sacerdotis aſſiſtebant, & mittebantur ad corrigendos mores, & viſitandas Synagogas. Tertullian. *de præſcription. cap.* 20. *Epiphan in Panario hæreſi* 30. Baron. *anno* 32. & *anno* 315. Cum ergo hoc munus ſolùm competat prætatis Apoſtolis, quia à latere Summi Sacerdotis Chriſti miſsi ſunt in Orbem Terrarum ad prædicta munera obeunda, illis ſolum dicendum ſtrictè, rigorosè, & per antonomaſiam competere nomen Apoſtoli. Præſertim quarto, quia Apoſtolatus eſt primus, & ſupremus gradus in Hierarchia Eccleſiaſtica, vt colligitur ex Apoſtolo 1. Corinth. 12. *Poſſit Deus in Eccleſia primum Apoſtolos*, & Apocalip. 21. vocantur Eccleſiæ *fundamenta*, & ad Romanos 8. *Primitiæ ſpiritus*, quod ſequitur S. Thomas lect. 4. in epiſt. 2. ad Epheſios, & 2. 2. quæſt. 106. artic. 4 & alii. Solum ergo iſte titulus competit modo dicto, Apoſtolis prædictis, in quibus hæc omnia elucent.

Probatio 1. part. Secunda pars probatur, tum ex Ioanne Vigeſimo Papa, qui ann. 1032. vt refert Baronius ibi, in epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, decreuit S. Martialē titulo Apoſtoli inuocandum. Tum ex Martyrologio Romano, vbi vocantur, vel dicuntur vocati Apoſtoli diuerſarum gentium; 8 Ianuarij Sanctus Seuerinus Abbas Noricorum; quinta Iunij Sanctus Bonifacius Germanorum; 12. Martij S. Gregorius Papa Anglorum; 24. Septembris Sanctus Gerardus Hungarorum; & 2 Decembris S. Franciſcus Xauerius Indiarum.

Quid de aliis. Vnde infertur non ſolum iſtos, ſed etiam alios Miſsionarios à Sede Apoſtolica miſſos, qui vitæ exemplo, ac doctrina curant infideles ad fidem Chriſti cõuerti, poſſe in minus propria ſignificatione *Apoſtolos* nuncupari. Colligitur ex eo quod olim Euãgelii Prædicatores ſolebant *Apoſtoli* vocari, vt colligitur ex Paul. ad Rom. 16. ibi *Salutate Andronicum, & Iuniam, qui ſunt nobiles in Apoſtolis*, & ad Philipp. 2. vbi Epaphroditum vocat *Apoſtolum*. Ac notant Chriſoſtomus, Theodoretus, & alii Expoſitores horum locorum; ac etiam Ruffinus, Euſebius Cæſarienſis, & alii apud Verricelli *ſupr. num.* 15. Præſertim quia cum Apoſtoli interpretentur *miſſi*, prout ex PP. & DD. paſsim elici poteſt, cum iſti Miſsionarii ſint veré *miſſi*, & non à quolibet, ſed à Papa, qui eſt vices gerens Chriſti, ſaltem in minus propria ſignificatione, cum illis non competant ea, quæ veris Chriſti Apoſtoli conueniunt, Apoſtoli vocari poterunt. Dixi autem, *qui vitæ exemplo, ac doctrina* &c. nam qui ex oppoſito prauo exemplo, doctrina non ſana, cupiditate, aut aliis vitiis notantur, potius apoſtatæ, quam Apoſtoli appellari merentur.

Prima concluſio. His poſitis dico primo, munus horum Miſſionariorum veluti proprium, & primarium eſt, hæreticis, ſchiſmaticis, & aliis infidelibus, prædicare Chriſti Euangelium. Colligitur ex definitione ipſorum ſuperius tradita, & quia ad hunc finem ab Eccleſia mittuntur, & ſtipendia ac itinerum expenſas accipiunt. Et quia propterea Paulus 1. Corinth. 9. dicebat: *Væ mihi ſi non Euangelizauero.*

Secunda Dico ſecundo, non tamen tenentur ex officio, aut ex iuſtitia miniſtrare Sacramenta, niſi in caſu quo non adſint Eccleſiæ Paſtores, ſcilicet Epiſcopi, vel Parochi. Colligitur prima pars ex illo Pauli 1. Corin. 1 *Neminem veſtrum baptizari niſi Criſpum, & Caium: non enim miſit me Chriſtus baptizare, ſed Euangelizare*: ex hoc enim elicitur munus Miſſionariorum non eſſe miniſtrare Sacramenta. Deinde, quia hoc eſt proprium munus Paſtorũ, cuius ſignum eſt, quod Miſsionarii illa non adminiſtrant, niſi habeãt facultatē ab ipſis Paſtoribus. Secunda autem pars ex eo, quod iſta videtur eſſe mens Sedis Apoſtolicæ eos mittẽtis in illas Regiones, vbi meſſis multa, & operarii pauci. Mittit enim illos vt

ſpe-

speciales operarios in vinea Domini, & coadiutores Pastorum, seu Parochorum, in quo imbibitur hęc facultas ministrandi Sacramenta, ipsis absentibus.

3. conclus. Vnde dico tertio, obligari pro posse ad studia linguarum illius gentis. Alias prorsus inutilis esset eorum prædicatio, cum nec ipsi prædicare possent fidei Mysteria, nec ab auditoribus intelligi; cũ ad Ro. 10. *fides sit ex auditu, auditus autẽ per verbum Dei*. Et quia quoties aliquis obligatur ad aliquem finem, obligatur quoque ad media, sine quibus talis finis obtineri nequit. Noster Thom. de Iesu *de conuers. omn. gent. lib.* 4. c. 11. Verricelli *supra quæst.* 3. *in fin.* Addens cum Pellizzario excusari Missionarium ab hac obligatione, si impossibile moraliter credat addiscere talia idiomata. Verum tamen propterea dixi *obligari pro posse*, adhibendo videlicet, totam diligentiam moraliter possibilem.

Quarta. Dico quarto, obligantur etiam Missionarii ad conseruandam vniformitatem in prædicatione fidei non solum propter dicta supr Tract. 1. disp. 8. quæst. 4. loquendo de illa nota Ecclesiæ, quę est esse *vnam*; sed etiam ex prohemio decreti S. Congregat. de Propaganda fide, quod postea referam, & ex quibusdam Constitutionibus Vrbani 8. quas affert Verricelli supra. Tit. 1. quęst. 22 num. 10.

De aliis. De aliis quę pertinent ad integritatem vitæ huiusmodi Euangelii ministris necessariam, videlicet iugi oratione, & fiducia in Deum, Charitate, & beneficientia erga proximos; castitate, & abdicatione rerum temporalium; & aliis virtutibus, late idem qui vt supr. Thomas de Iesu lib. 4 par. 2.

De priuil. Circa priuilegia tamen illorũ Missionariorũ notandum, quod licet illa variè olim ab aliquibus extensa fuerint, præsertim à Thoma de Iesu *de Conuers. infid. lib.* 12. Andrea Castellana Minorita in lib. cui titulus *Missionarius Apostolicus par.* 4. *quæsito penult. pag.* 54. his tamen temporibus præter ea priuilegia, gratias, aut concessiones, quę singulis Missionariis in litteris specialibus suæ missionis conceduntur, sunt valde limitata, & restricta, propter decreta Sac. Congregationis de Propaganda fide refert relato Verricelli in *suo opere de missionib. Apostolicis, præsertim tit.* 17. corrigens ea, quæ scripserat *tit* 4 *eiusdem operis*. Vnde in principio eiusdem operis, hæc admonet circa huiusmodi priuilegia.

Priuilegia Regularium in partibus Infidelium absoluendi ab Hæresi, Apostasia, aliisque casibus Bullæ cœnæ, ac legendi hæreticos libros abrogata sunt; similiter cessarunt priuilegia cõsecrandi calices, Altaria, atque alia, in quibus interuenit vnctio. Neque hodie possunt conferre minores ordines; neque dispensare in irregularitatibus sæcularium; neque in gradibus matrimonij, neque in votis simplicibus castitatis, & Religionis; neque cum exerceant munia Parochialia possunt fulminare censuras. Præterea Missionarij Sacræ Cõgregationis non possunt absoluere ab hæresi lapsos in locis vbi hæreses non grassantur, & deinde conferentes se ad loca missionũ. Neque possunt ijdem extra loca missionis suæ vllis omnino in itinere vti priuilegijs. Priuilegia abrogata.

Vtilissimum etiam erit in præsenti afferre declarationes quasdam Sacrę Congregationis de Propaganda Fide, à Qualificatoribus Sacræ Congregationis Sancti Officii primum qualificatis; deinde vero ab Innocentio Decimo fælic. recordat. anno 1645. die 12. Septembris approbatas, & ad conseruandam vniformitatem in prædicatione Euangelii, eiusque praxi, omnibus & singulis Missionariis cuiuscunque Ordinis, Religionis, & Instituti, etiam Societatis Iesu in Regnis Sinarum, aut Chinæ pro tempore existentibus, vel extituris, obseruari iussis sub pœna excommunicationis latæ sententię Sanctitati suæ specialiter reseruata. Quarum exemplar authenticum habet Thomas Hurtadus *in resolutionibus Ortodoxis de martyrio pag.* 495. Quas etiam sparsim magna ex parte refert Verricelli *in lib. relato de missionibus Apostolicis tit.* 1. *de fide quæst.* 20. *& sequentib.* Ex eis enim habebunt Missionarii isti formã prędicandi Euangelium, iuxta doctrinam antiquam Apostolicam, & cathechesim vsitatam

1. Ecclesia tales porro sunt.

Quæsita. Quæsita Missionariorum Chinæ, seu Sinarum Sacræ Congregationi de propaganda fide exhibita, cum responsio ad ea Romæ ex Typographia Sacræ Congregationis de propaganda fide 1645. Superiorum permissu.

Propositiones. Infrascriptæ propositiones à Sacræ Congregationis de propavanda fide ad Sanctum Officium transmissæ fuerunt à Patribus qualificaroribus eiusdem Sancti Officij qualificatæ, vt infra.

Prima propositio. PRimo, Vtrum Christiani Chinenses sint obligati ad obseruantiã Iuris positiui, quantum ad Ieiunia, confiteri semel in anno, & communicare, festa seruare eo modo quo obligantur Indi in noua Hispania, & in Insulis Philippinarum, iuxta dispositionem Papæ Pauli 3. pro Indis Occidentalibus, & Meridionalibus.

Responsio. Censuerunt, Ius propositiuum Ecclesiasticum de ieiuniis absolutè obligare Chinenses Christianos, & à Missionariis hoc esse illis enuntiandum; attenta vero Regionum, & personarum qualitate, locum esse, si Sanctissimo placuerit, dispensationi, quæ fuit alias à fœl. record. Paulo 3. Indis concessa; qua obtenta, satagant Missionarii Sanctæ Matris Ecclesiæ pietatem illis patefacere, quibus ea, quæ in vniuersum indixit, magna ex parte benignè remittit, & indulget. Censuerunt etiam præfatos Chinenses obligari ad Sacramentalem confessionem semel in anno: & Missionarios huiusmodi obligationem debere eis notificare. Idem prorsus censuerunt, quoad Sacram Communionem semel in anno sumendam: quod verò ad executionẽ tempore statuto, hoc est in Paschate, id esse intelligendum, nisi legitimum adsit impedimentum, aut graue periculum immineat: curandum tamen, vt intra duos, vel tres menses, ante, vel post, Paschati proximos, quatenus sine discrimine fieri possit; sin minus alio quouis tempore intra decursum vnius anni à Paschate inchoandi omnino communicent. Demum censuerunt, Chinenses ad fidem conuersos teneri omnino festa seruare: Missionarios etiam teneri hoc eos notificare; locum tamen esse, si Sanctissimus annuat, limitandi eis numerum dierum festorum, iuxta formam priuilegij à Paulo tertio Indis concessi:

Notatio. De hoc decreto, seu declaratione Sac. Congregationis latè differit Hurtadus *supra relatus à pag.* 475. vtpote, quia doctrina ipsius conformis est menti, & praxi Ecclesiæ Catholicæ. Non video tamen hic agi de quinto Ecclesiæ præcepto, scilicet de solutione decimarum, seu primitiarum, quia forte Sacra Congregatio noluit grauare teneram illam Christianitatem Chinensium hoc onere, cum id non videatur in illis partibus necessarium, neque pro Catechumenis, aut recenter conuersis, neque pro Ecclesiasticis, qui illis administrant Sacramenta.

Secunda. Secundò, vtrum in prædicto Regno Ministri Euangelici, pro nunc saltem, in Sacramento Bap-

Baptiſmi poſſint abſtinere ab imponendo mulieribus Oleum Sanctum Catechumenorum, ſputum in auribus, & ſal in ore: inſuper & non adminiſtrare eiſdem mulieribus *Sacramentum* extremæ Vnctionis? Et ratio dubitandi eſt, quia Chinenſes magno zelo ducuntur erga vxores, filias, & alias mulieres, & ſcandalum ſument ex huiuſmodi actionibus.

Reſponſio. Cenſuerunt, & Sacra mentalia Baptiſmi mulierum eſse adhibenda, & extremam Vnctionem eſse mulieribus conferendam: nec ſufficere motiuum in dubitatione expreſſum, vt Miſſionarij quantum in ſe eſt ab his abſtineant. Curandum ergo, vt tam ſalubres ritus, & cœremoniæ introducantur, & obſeruentur, ac Miſſionarij tali circumſpectione illa adminiſtrent, hominesque talibus inſtruant documentjs, vt ab omni ſuſpicione inhoneſtatis liberentur.

Annotatio. De hac etiam Sac. Congregationis declaratione plura idem, qui, vt ſupra, Hurtadus à pagina 480. Sed ſufficiat eã eſſe ſecundum antiquiſsimum Eccleſiæ morem, & haberi veluti ex traditione; ac poſſe ritus iſtos, & cœremonias obſeruari non ſolum ſine ſcandalo, ſed etiam cum ædificatione, ſi Chinenſes inſtruantur à Miſsionarijs de myſterijs, quæ in ipſis latent, & præfigurantur. De ſimili etiam cathecheſi pro baptizandis legenda quę habet ex Rituali Cardinalis Sancti Seuerini noſter Thomas de Ieſu *de conuerſ. omnium gent. cap.* 21.

Tertia interrogatio. Tertiò, in præfato Regno lege ſtabilitum eſt, vt mutuo triginta pro centum accipiantur, abſque reſpectu lucri ceſſantis, aut damni emergentis. Quæritur vtrum Chinenſibus ſit licitum pro pecuniarum ſuarum mutuo, licet non interueniat lucrum ceſſans, aut damnum emergens, prædictam pro centum triginta quantitatem Regni lege taxatam accipere? Et cauſa dubitationis eſt, quia in recuperanda pecunia eſt aliquod periculum, ſcilicet, quod qui accipit mutuatam fugiat, vel quod tardet in ſoluendo, vel, quod neceſſarium ſit coram Iudice repetere, vel propter alia huiuſmodi.

Reſponſio. Cenſuerunt, ratione mutui immediatè, & præcisè nihil eſſe accipiendum vltra ſortem principalem: ſi verò aliquid accipiant ratione periculi probabiliter imminentis, prout in caſu, non eſſe inquietandos, dummodo habeatur ratio qualitatis periculi, & probabilitatis eiuſdem, ac ſeruata proportione inter periculum, & id quod accipitur.

Notatio. Elucidat hanc reſponſionem Sacræ Congregationis, ſicut & duas alias ſequentes Hurtadus ſupra pagina 483. Aliqua etiam de huiuſmodi vſuris infidelium tractat Thom. de Ieſu ſupra *libro nono par. ſecunda capitulo tertio*. Plura ad intentum nos tomo ſequenti.

Quarta. Quarto, in vniuerſo Chinarum Regno domos publicas vſuris deputatas repereri res eſt vſitata, in quibus vſurarij publicī, facta ſub pignorum cautione, pecuniam ſuam ſumpto lucro ad vſuram dare ſolent, ea tantum conditione, vt pro vno ducato ſingulis menſibus tantum quid accipiant, & ſi tantis

tis elapsi annis pignorum dominus pro eisdem recuperandis pignoribus, soluta principali pecunia, cum lucro non redierit, actionem, & dominium, quod habebat in suis pignoribus, illico amittat. Istæ autem domus Reipublicæ necessariæ sunt, & quamuis vsurarij vitam vsurariam dimittere velint, à non desistendo à prædictis vsuris, iudicis auctoritate compelluntur. Quæritur, vtrum si huiusmodi vsurarij conuerti velint ad fidem, possint baptizari, manendo in suo statu vsurario, propter causam supradictam? vel quidnam in tali casu agendum sit?

Responsio. Censuerunt, Chinenses in statu vsurario manentes, baptizari non posse. Si verò Iudicis auctoritate compellantur ad proprias pecunias mutuandas, possent aliquid accipere, etiam recepto pignore, vltra sortem principalem, tum ratione oneris, quod subire coguntur, tum ratione curæ in custodia pignorum, lucri quoque cessantis, & damni emergentis: tempore autem præstituto, si ex venditione pignorũ aliquid supersit sorti principali, & lucro ex causis prædictis iuste acquisito, domino pignorum esse restituendum.

Quinto. Quintò, vtrum prædictorum vsurariorum filij, si quando in hæreditatibus eorum succedunt, iam Christiani existunt, teneantur ad restitutionem eorum, quæ pater ex vsuris accepit, in toto, vel in parte, iuxta male acceptorum excessum? Et, si huiusmodi vsurariorum filij hæredes iam Christiani à Republica, vel à Iudice compellantur ad publicas vsurarum domus patrum aperiendas, & substentandas, quid in hoc casu Ministri Euangelici pro sanandis istorum conscientijs facere debent?

Responsio. Censuerunt, filios hæredes vsurariorum teneri à patribus ex vsuris illicitè acquisita restituere, certis quidem dominis, si certi sunt; sin minus iuxta regulas à Doctoribus traditas; actualem verò restitutionem à doctis, pijs, & prudentibus viris esse dirigendam. Quoad secundam partem huius dubitationis, iam responsum est in proximè superiori resolutione.

Sexto. *Sexto*, in populis, & ciuitatibus illis Regni mos est imponendi quasdam distributiones, quæ a populis vicinis exigantur, vt in Pascha noui anni in sacrificijs, & dæmoniorum suorum idololatris, & inuitationibus, ac conuiuijs, in eorundem templis præparatis; simulque in festiuitatibus, alijsque indifferentibus pro populi lætitię demonstrationibus expendantur. Quæritur, vtrum Christianis, ac Ministris eorum, a quibus etiam tanquam a populis vicinis postulantur, licitum sit pro nunc saltem pro huiusmodi rebus contribuere? Nam si Christiani ad hoc non contribuerint, tumultus aliquis contra Christianos inter

ter gentiles fiet.

Reſponſio. Cenſuerunt, poſſe Chriſtianos Chinenſes pecunias contribuere, dummodo per huiuſmodi contributiones non intendant ad actus idololatricos, & ſuperſtitioſos concurrere, ſuppoſita cauſa, quæ narratur in dubio: præſertim præmiſſa, ſi commode fieri poteſt, proteſtatione, quod impoſita tributa præſtant in ordine tantum ad populi lætitiam, & ad actus indifferentes, vel ſaltem cultui Religionis Chriſtianæ non repugnantes.

Annotatio. Hanc etiam Sacræ Congregationis reſolutionem latè defendit Hurtadus *ſupra pagina 485. & ſequentibus*. Qualiter etiam ſit maximè elaborandum huiuſmodi Miſsionarijs, vt omnem Idololatriç amorem ab infidelibus raeuellere dicitur conentur, rectè notant Ioſeph. Acoſta *lib. 5. cap. 9.* & Thomas de Ieſu *ſupra lib. 11 par. 2. cap. 1.*

Septima. Septimo, in omnibus illis Regni Ciuitatibus, & villis templa cuidam Idolo Ghacimchoan dicto, erecta, ac dicata reperiuntur, quod fingunt Chinenſes eſſe Protectorem, Regentem, & cuſtodem ciuitatis: ſtabilitaque Regni lege, ordinatur, vt omnes Gubernatores Ciuitatum, & villarum (quos Mandarinos vocant) quando Regiminis poſſeſsionem aſſumunt, & anni decurſu bis in menſe ſub pœna priuationis ab officio templa adeant præfata, ibique ante dicti Idoli altare proſtrati, genibus flexis, capiteque ad terram vſque inclinato, idolum illud adorent, ac veneręntur; eidem candeles, odoramenta, flores, carnes, vinumque in ſacrificium offerant: & cum ſui Regiminis poſſeſsionem accipiunt, ante prædictum idolum iurant de rectè adminiſtrando, & ſi contra fuerint, ſe ſubmittunt ſupplicio ab idolo infligendo: ſimulque ab illo petunt modum benè gubernandi, & alia huiuſmodi. Quæritur, vtrum iſtius generis fragilitates tolerari poſſint pro nunc, quando tales Gubernatores Chriſtiani deferant quandam Crucem, quam occultè inter altaris idoli flores, vel in manibus propriis reponant, & facere, intentione non ad idolum, ſed ad Crucem directa, omnes illas genuflexiones, reuerentias, & adorationes ante altarę illud, exterius tantum, & fictè, omnem cultum interius, & in corde, ad Crucem dirigendo; quia, ſi huiuſmodi Gubernatores cogantur ad hoc non faciendum, prius apoſtatabunt à fide, quam relinquant officium regiminis.

Reſponſio. Cenſuerunt, nullatenus licere Chriſtianis huiuſmodi actus publicos, cultus, & reuerentiæ tribuere idolo, prætextu, vel intentione Crucis, quam vel manu geſtant, vel in altari inter flores abſcondunt.

Corroboratio. Certiſsima eſt doctrina huius reſolutionis, & vt talis elucidatur ab Hurtado *ſupra pagina 486.* Verricelli *ſupra quæſt. 18. & 20.* & nos aliqua diximus *ſup. Tract. 1. diſp. 4 de actu exteriori fidei.* Legendus Thomas de Ieſu *ſupra lib. 5. par. ſecunda ferè per totam*.

Octauo,

Octauus. Octauo, in prædicto Regno habent Chinenſes quemdam Magiſtrum in Philoſophia morali litteratum, qui olim diſceſsit à vita, vocatum *Keumfucu*, qui ob doctrinam, regulas, & documenta, adeo in toto Regno acceptus eſt, vt tam Reges, quam omnes alii cuiuſcunque conditionis, & gradus ſint, ſibi proponant imitandum, & ſequendũ, ſaltem quoad ſpeculatiuũ, & tanquam Sanctum venerantur, & laudãt, in omnique Ciuitate, & villa præfato Magiſtro templa ſunt erecta. Gubernatores verò bis in anno tenentur in eius templo ſolemne ſacrificium offerre, ſacerdotis ipſimet gerentes officium, & ſine ſolemnitate in anni decurſu bis in menſe: concurruntque cum illis aliqui ex litteratis pro adminiſtratione eorum, quæ in tali ſacrificio offerunt, quæ quidem ſunt ſus vnus integer mortuus, capra vna integra, candelæ, vinum, flores, odores &c. Item, omnes litterati, quando accipiunt gradum debent ingredi templum iſtius Magiſtri, & facere genuflexiones, & offerre ante eius altare ex candelis, & odoribus. Totus iſte cultus, ſacrificium, & reuerentia ſecundum omnium illarum gentium formalem intentionem, dirigitur in gratiarum actionem pro bonæ ipſius relictis doctrinæ documentis, atque vt ab eo impetrent ex ipſius meritis optimi ingenii ſelicitatẽ, ſapientiæ, & intellectus. Quæritur, vtrum gubernatores, qui Chriſtiani ſunt, vel fuerint, vel litterati vocati, & coacti poſſint ingredi præfatum templũ, facere tale ſacrificium, vel aſſiſtere huiuſmodi ſacrificio, vel facere genuflexiones ante altare illud, vel accipere aliquid de idolotytis, & oblationibus illis; maximè, quia putant illi infideles, quod quicunque manducarit ex talibus idolotytis, habebit progreſſum magnum in ſuis litteris, & gradibus: etſi portantes Crucem in manibus poſsint licitè facere eo modo, quo dubitatione ſuperiori dictum eſt: quia ſi hoc illis prohibetur, erit tumultus in populo, Miniſtri Euangelii in exilium mittentur, & conuerſio animarum impedietur, & extinguetur.

Cenſuerunt, non licere, nec poſſe aliquo prætextu contento in dubio Chriſtianis permitti. Reſponſio

De hac quoque Sacrę Congregationis reſponſione, eiuſque comprobatione agit relatus Hurtadus *pag.* 486. Verricelli autem *ea quæſtione* 20. defendit factum cuiuſdam Patris Ieſuitæ aliquando accedentis ad templum & ſacrificium huius Confutij, bona fide videlicet, quia exiſtimabat id non fieri propter aliquam diuinitatem aut ſanctitatem ipſius, ſed ob cultum ciuilẽ in ſignum grati animi ob eius exiſtimam doctrinam. Prudentius tamen notat id non fieri poſſe poſt huiuſmodi declarationem Sacrę Congregationis. Annotatio.

Nonò; inuiolabilis obſeruantiæ mos eſt apud Chinenſes, tanquam doctrina à ſupra- Nona.

pradicto Magistro Keum-fucum tradita, quod in omnibus Chinæ populis templa constructa habeant; auis, & progenitoribus solemnia sacrificia faciant magno cœremoniarum apparatu, & in altari multis candelis, floribus, & odoribus adornato, imaginem, siue effigiem parentis, vel aui defuncti collocant: in quo sacrificio inuenitur, & qui facit sacerdotis officium, & ministri illius, offeruntque carnes, vinum, candelas, odoramenta, capita caprarum &c. hoc autem sacrificium ex communi illarum gentium intentione dirigitur, vt præfatis eorum progenitoribus gratias reddant, honorem, & reuerentiam exhibeant ob beneficia ab eis accepta, & ob illa, quæ ab eis accipere sperant: vnde ante altare prostrati, multas deprecationes faciunt, postulantes sanitatem, longam vitam, abundantiam fructuum, filiorũ multiplicationem, prosperitatem magnam, & vt ab omnibus aduersitatibus liberentur. Quod quidem sacrificium in domibus suis, & in sepulchris mortuorum etiam fit, minore tamen solemnitate. Quæritur, vtrum Christiani fictè, & exterius tantum, vt supra dictum est, possint assistere huiusmodi sacrificio, vel exercere aliquod ministerium in illo cum infidelibus commixti, siue in templo, siue in domo, vel sepulchro publicè, vel priuatim? Vel quonam modo hoc poterit permitti Christianis illis, ne si omnino prohibeantur hoc facere, fidem perdant, vel, vt melius dicam, auertant se ab actionibus exterioribus Christianorum.

Censuerunt, Christianis Chinensibus nullatenus licere fictè, vel exterius assistere sacrificijs in honorem progenitorum, neque eorum deprecationibus, aut quibuscunque ritibus superstitiosis gentilium erga ipsos: multo minus licere etiam circa præfata ministerium aliquod exercere. Responsio

Hanc responsionem, sicut & tres sequentes spectantes ad obsequia exhibita Chinensibus suis defunctis, etiã commendant, & elucidant Hurtadus *supra à pagina* 488 & Verricelli *ea quæst.* 10. & meritò sanè, quia verè Idololatriam, vel saltem superstitionem magnam redolent, in dignam Christiani nominis professoribus. Ad eam etiam euellendam deseruient, quæ tomo sequenti de vitijs Religioni oppositis dicemus. Corroboratur.

Decimò, Chinenses Christiani asseuerant quod in oblationibus supradictis solummodo intendunt progenitoribus suis defunctis illam exhibere reuerentiam, & illa offerre, ac si eisdem viuentibus exhiberentur, & in memoriam tantũm, ac reuerentiam progenituræ, & generationis, & si illi viui extitissent, eadem illis præsentarent, vt illis oblatis vescerentur, vel sustentarentur, & ea offerunt absque alia intentione, vel rogatiuarum spe, cum sciant illos mortuos esse, illorumque animas in inferno Decima;

ctitatem nullatenus po sse.

N. tatio

Pariter etiam de prudentissima hac Sacræ Congregationis resolutione differunt prælatus Hurtadus *pag.* 493. & Verricelli *supr. quæst.* 21. ex PP. & Doctoribus.

Quintade cima.

Quintodecimo, in multis templis Idolorum illius Regni inuenitur vna tabula deaurata, & collocata super vnam mensam, vel altare, & omnibus ornamentis, candelarum, rosarum, adornamentorum munita, & ornata, qua in tabula scripta sunt litteræ, vel characteres sequentes: *Honam ty vàn fù y vàn vàn fù y*; hoc est: Viuat Rex Chinarum ad multa annorum millia: & antè prædictam tabulam mos est inter illos idololatras, sacrificare bis, vel ter in anno, & facere genuflexiones in honorem, & reuerentiam illius. Quæritur si Ministri Christi Domini possimus in nostris Ecclesiis collocare huiusmodi altare cum tabula, & circumstantiis prædictis, & hoc ante altare vbi Sacerdotes Dei sacrificant oblationem immaculatam.

Responsio

Censuerunt, exclusis sacrificiis, et altari verè, et propriè dicto, cætera quæ redolent tantummodo cultum ciuilem, aut possunt ad illum reduci, permitti posse.

Annotatio

Idem etiam qui vt supra Verricelli *quæst.* 22. copiosè differit de hoc auxilii cultu Chinarum Regibus exhiberi solito, ex variis etiam authoribus. Certum autem, quod nisi in Idololatricum, aut superstitiosum prolabatur, licitum & honestum esse posse. Sicut & omnes alios ritus, & cæremonias, quæ non aduersentur fidei Catholicæ, aut rectæ rationi. De quo Thom. de Iesu *supra lib 7. par 2. cap. 7.*

Decimasexta.

Sextodecimo quæritur, si in illo Regno licebit Christianis orare, & sacrificium facere Domino Deo nostro pro suis defunctis, qui in sua infidelitate ab hac vita discedunt?

Responsio

Censuerunt, si verè in infidelitate decedunt, omnino non licere.

Et verè ita est, cum secundum Catholicam doctrinam damnati omnino incapaces sint fructus huiusmodi suffragiorum, seu orationum, vt latè tractatur in materia de Suffragiis, & Indulgentiis. Præsertim, quia in terminis huius responsionis Sac. Congregationis Nicolaus Primus Papa *in respons. ad Bulgaros* dixit. *Pro parentibus vestris, de quibus consulitis, qui infidelesmortui sunt, propter peccatum incredulitatis orare non licet secundum illud Ioannis Apostoli dicentis: Est peccatum ad mortem, non dico vt oretur pro eo, peccatum quippe ad mortem est in eodem peccato morientibus.* Verricelli *supr. quæst.* 22.

Decimaseptima.

Decimoseptimo, si tenemur Prædicatores Euangelii prædicare in illo Regno Christum Crucifixum, et ostendere eius Sanctissimam imaginem, maximè in Ecclesiis nostris? Causa huius dubitationis est, quod Gentiles scandalizantur ex tali prædicatione, et ostensione, et iudicant maximam esse stultitiam.

Responsio

Censuerunt, nulla prudentia, aut prætextu differendam esse doctrinam passionis Christi post Baptismum, sed omnino præmittendam: ad actualem verò prædicationē Christi crucifixi, licet non teneantur Ministri Euangelici in singulis

con-

cionibus, ſed ad proponendum verbum Dei, ac diuina myſteria prudenter, et opportunè, et ad illa pro Cathecumenorum captu explicanda; non tamen à ſermonibus paſsionis Domini noſtri abſtinere tenentur ea ratione, quod Gentiles inde ſcandalum ſumant, aut ſtultitiam putent. Cenſuerunt etiam conueniens, vt in Eccleſijs imagines habeantur Chriſti crucifixi, et ideo curandum, vt quod opportunè fieri poteſt exponantur.

Corroboratio. Reſponſio hęc Sacrę Congregationis Sanctiſſima eſt, & adeo certa, vt mirum ſit in dubium reuocari potuiſſe: dicente maximè Apoſtolo 1. Corinth. 1. *Nos autem prædicamus Chriſtum Crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam.* Quamuis autem pro ea confirmanda plura dici poſſent, ab ijs pro nunc abſtinemus, vt extraneis ad intentum huius diſputationis; remittimus tamen Lectorem ad Dominicum Grauina *tom. 3. Catholicar. præſcript. lib. 4. quæſt. 1, artic. vlt.* & *Tract. de viſionib. par. 2. lib. 2, cap. 2* & Verricelli *ſupra quæſt. 7. per totam*, vbi late, & doctè de hac re.

ſpecialiter inſtitutæ, Sacra Congreg. Eminentiſsimorum DD. Congregatio de proganda fide, præfata reſponſa, & reſolutiones approbauit & eadem Congregatione ſupplicáte Sanctiſs. Dominus Noſter ad conſeruandam vniformitatem in prædicatione, eiuſque praxi omnibus, & ſingulis Miſſionarijs cuiuſcunque Ordinis, Religionis, & inſtituti, etiam Societatis Ieſu, in Regnis Sinarum, aut Chinæ pro tempore exiſtentibus, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Sanctitati ſuæ, & Sanctæ Sedi Apoſtolicæ ſpecialiter reſeruata, diſtrictè præcipiendo mandauit; quatenus præfata reſponſa, & reſolutiones diligenter obſeruent, illiſque in praxi vtantur, ac ab alijs, ad quos pertinebit obſeruari, & practicari faciant, donec Sanctitas ſua, vel Sancta Sedes Apoſtolica aliud ordinauerit.

A. Cardinalis Caponius.

Loco ✠ Sigilli.

Franciſcus Angellus Secretarius.

DECRETVM
Sacræ Congregationis de Propaganda Fide.

12. Septembris 1645.

Decretum. REferente Eminentiſs. Domino Cardinali Ginetto, ſupraſcripta quæſita, vna cum reſpõſis, & reſolutionibus Congregationis Theologorum ad eorundem quæſitorum examen

Quæstio quinta.

De gratia gratis data, gratia sanitatum *dicta*.

Gratia sanitatum

HAec gratia, quę, prout ait Fortunatus Scacchus *de not. & sign. sanctit. sect.* 8. *cap.* 1. *in princip.* primam sedem tenet inter gratias gratis datas ad proximorum vtilitatem, iuxta doctrinam Diu Thom. 1. 2 *quæst.* 111. *artic.* 4 consistit *in operibus miraculosis ad salutem corporum* spectantibus; ad differentiam alterius dictę *operatio virtutum*, quę consistit in operibus miraculosis, quæ ordinantur *ad solam diuinæ potestatis manifestationem, sicut quod sol stet, aut tenebrescat, quod mare diuidatur &c.* Vide ipse S. Doctor 2. 2. *quæst* 178 vtramque gratiam sub gratia faciendi miracula comprehendit. Et non est aliud vtraque gratia, nisi ipsa potentia obedientialis creaturæ, quam Deus eleuat, vt ipsa mediante, curetur infirmus, vel fiat aliud miraculum Granadus *in* 1. 2. *controu.* 3. *de gratia Tract.* 5 *disp.* 1.

Quæsit.

De illa igitur, consequenter ad dicta in superioribus de tribus præcedentibus gratiis gratis datis, dicendum primo, eam regulariter loquendo, non esse aliquid per modum habitus, sed per modum actus, & transeunter, iuxta beneplacitum Dei, & pro illis occasionibus, in quibus secundum ipsius prouidentiam est conueniens, & ad vtilitatem aliquorum, concedere huiusmodi gratiam ad sanandum morbos. Dixi *generaliter loquendo*, quia si sermo sit de Apostolis, illis videtur fuisse concessa hęc gratia per modum habitus, non quidem, quia ea esset aliquis habitus elicitiuus physice sanitatis; non enim est fundamentum aliquod sufficiens ad ponendum talem habitum: sed quia aderat decretum, seu voluntas efficax Dei volentis concedere talem sanitatem, non quidem omnino pro arbitrio ipsorum, sed pro omnibus occasionibus, in quibus ex speciali motione Dei ipsi iudicabant esse opportunum, & pro vtilitate Ecclesiæ id facere. Id enim colligi videtur ex generali facultate concessa à Christo ipsis Apostolis ad curandum infirmos, Luc 9 & Math 10. Et hoc significauit S Petrus cum Actor. 3. dixit claudo: *Quod autem habeo, hoc tibi do, in nomine Iesu Christi surge, & ambula*. Verbum enim illud *habeo*, denotat facultatem istam generalem faciendi huiusmodi miracula, dicto saltem modo, Diu. Thom. 2. 2. *quæst.* 178. *artic.* 1. *ad* 1. Suarez *tom.* 1. *de gratia prologom.* 3. *cap* 5 *num.* 19. Videndi etiam Salmanticenses nostri *in Arbore virtut. num.* 166.

An concedatur peccatoribus.

Similiter consequenter ad dicta quæstionibus præcedentibus de aliis gratiis gratis datis dicendum secundo de ista, quod licet, spectata natura gratię gratis datæ, concedi possit hominibus etiam peccatoribus, aut infidelibus; prout in specie de hac gratia gratis data supponit Vualdensis noster tom. 3. de Sacramentalib. tit. 8. de pœnit. Sacram. cap. 72. vt in plurimum tamen solis sanctis, & iustis concedi soleat. Prima pars probatur ex dictis eo loco, & quia nec ista nec aliæ gratiæ gratis datæ habent vllam connexionem necessariam cum sanctitate, aut virtutibus: præsertim etiam, quia non tam in bonum habentis, quam in vtilitatem aliorum concedantur, vt diximus etiam *in superioribus*. Ad quod accedit, quod de facto concedi credatur hęc gratia sanitatum Regibus Franciæ solo tactu sanantibus scrophularum morbum, vt habet Raphael de Torre *in* 2. 2. S. *Th. quæst.* 96. *artic.* 2. *disput.* 7. 9 *ad secundum respondetur*. Imo etiam vulgaribus hominibus, *Salutatores* apud Hispanos appellatis; illis saltem qui piè, honestè, & sinè lucro temporali ea vtuntur. Ita fermè Nauarr. *Summ. Latina, & Hispana cap.* 11. *num.* 36. Margarita Confessorum *q. moral. fol.* 185. Castannega *lib. de superstit cap.* 12. Palacios *Summ. verb. Incantationes*, Azor *tom.* 1. *lib.* 8. *Instit. moral. cap* 25. *quæst.* 2. Delrius *lib.* 1. *disquisit. Magic. cap.* 3. Sanchez *lib.* 2. *in decalog. cap.* 40. *num.* 49. fauent Bonacina *disp.* 3. *de legib. quæst.* 5. *par.* 4. *num.* 20. Mazuchelli *de casibus Mediol. disp.* 2. *cap.* 10. *num.* 84. Bordonus *de Sacr. Tribunali cap.* 18. *num.* 38.

Probatio.

Secunda etiam pars constat ex dictis de aliis gratiis datis in quæstionibus præcedentibus; ac præsertim ex eo quod ex miraculis curationũ infirmitatum, quæ pertinent ad hanc gratiam crebrissimè, imo fere semper vtitur, & vsa est Ecclesia ad beatificationem, vel Canonizationem SS. quod ne-

uti-

Digitized by Google

Rotatio. Nota tamen, quod ſi miraculum eſſet talis naturæ, vt ſolum per vnicum teſtem probari poſſet, vt contingit in reuelationibus, ſeu viſionibus, tunc ſufficeret vnicus teſtis. Rotę in relationibus Sancti Raimundi, & Sanctæ Fraciſcę, Sancti Caroli, Sancti Ignatii, & Sanctę Thereſiæ, quas affert, & ſequitur Contelorius *de Canonizatione Sanctorum cap. 18. num. 18.* Idem dico ſi teſtis notabiliter eſſet fide dignus. Prour ex pluribus Doctoribus, & facto Leonis Tertij in Canonizatione Sancti Succiberti, Innocentii tertij in Canonizatione Sancti Homoboni, & Bonifacii Noni circa miracula Sanctæ Brigittæ probat idem Contelorius *ſupra* n. 17. Videndi Panuinus *ſecunda par. articulo quarto*. Bordonus *ſupra num. 37.* Quod maximè procedit in caſu quo indicium Canonizationis, ſeu Beatificationis non fundaretur in tali miraculo, niſi ſolum acceſſoriè, & minus principaliter. Paſqualigus in additionibus ad Lauretum *num. 1184. & 1186.*

Corollatiũ Ex dictis autem infertur primo, quod cum miracula pro Canonizatione, vel Beatificatione Sanctorum deſeruientia petant exactam probationẽ, vt dictum eſt, ideo teſtes de illis deponentes debent rationem reddere ſuæ ſcientiæ, quomodo videlicet ſciant tale miraculum accidiſſe; an ſcilicet viſu, auditu &c. & de ſingulis circunſtãtiis illorum, ſcilicet tempore, loco, loco loci &c. Talis enim eſt ſtylus Sacræ Congregationis Rituum, & conſentiunt Iura, & DD. Baldus *in l. ſolum, C. de teſtibus?* Abbas, & alii *in capitulo venerabili de teſtibus*. Maſcardus *de probationibus concluſ. 1060.* Bordonus *ſupra* num. 38.

Secundo infertur intelligentia communis illius doctrinæ, quia dicitur, miracula non poſſe probari directè. De qua plura Contelorius *de Canonizatione Sanctorum cap 18. num. 1.* Canoniſtæ namque apud eundem Contelorium dicunt id eſſe, quia ſubiectum, in quo fiunt miracula, non habent principia. Sed hoc eſt valde obſcurum, quid enim eſt ſubiectum miraculorum non habere principium? Quare dicendum cum Baldo, quem ſequitur idem Contelorius, miracula non poſſe probari directè, ſed indirectè, quia probatio directa eſt illa, quę attingit immediatè rem vt eſt in ſe, qualis eſt probatio viſus, guſtus, tactus, vel aliorum ſenſuum; miracula autem non ſic probantur, ſed per rationem, ſeu diſcurſum. Vel cum Rota pro Canonizatione Sancti Andreæ Corſini in meo Conſulto num. 224. poſt alios, Archidiacono, Ioanne Andreæ, Dominico, & Caſtellano, quos refert, & ſequitur Caſtellinus *de dilat. Canonizat. par 2. pagina 86.* quia non probantur per principia naturalia; eo quod ſint præter ordinem totius naturæ. Vel cum Paſqualigo *ſupra num. 1189.* quia cum ſint ſupra totum ordinem naturę, deberet, vt probarentur directè, totus iſte ordo cognoſci, quod fieri non poteſt, & ita ſolum indirectè id fit. Vel denique clarius, & in terminis Theologicis, quia principium illorum eſt ſola omnipotentia Dei, quæ non cognoſcitur à nobis in hac vita à priori, ſed ſolum à poſteriori, & per effectus, ſecundum illud Pauli ad Roman. primo: *Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt &c. intellecta, conſpiciuntur*, & ideo miracula dicuntur, ſolum probari poſſe indirectè, non directè.

Secundũ.

Tertio infertur ſolutio illius vulgaris difficultatis, qua quæritur, an fit de ratione miraculi, quod fiat ſubito, aut

Tertium.

in instanti. In qua inter oppositas DD. sententias, ea nobis tenenda, quam sequitur Rota relata pro Canonizatione S. Andreæ Corsini in eo Consulto num. 193. & 194. & Contelorius *supra cap. 17. num. 10.* & indicat Maluetius *de Canonizat. SS. dub. 3. num. 51.* quod videlicet, quando factum, quod creditur miraculum, est talis naturæ, quod cursu temporis fieri posset, prout sunt curationes aliquarum infirmitatum, febrium, dolorum, vel similium, quę temporis cursu contingere solent, tunc ad hoc quod pro miraculo habeatur, requiritur talis instantaneitas, vel subitanea curatio: alias existimari posset naturaliter contigisse. Propterea enim in Euangeliis & Actibus Apostolorum sępius in similibus miraculis denotatur facta fuisse statim, vel subito, vt videlicet credantur vera miracula fuisse, & non processisse ex operatione naturę. Quando verò è contra existimatum miraculum talis naturę est, vt nullo modo per interuallum, aut cursum temporis contingere possit, vtputa illuminatio cœci à natiuitate, resurrectio mortui, & similia, tunc non requiritur talis instantaneitas, sed etiam si successiuè, & per temporis interuallum fiat, pro vero miraculo haberi debet; cum illa successio temporis nihil potuerit conferre ad illum effectum. Vnde resuscitationes puerorum narratæ in Sacra Scriptura tertio Regum 17. & quarto Regum 4. vt factæ propter merita nostrorum Prophetarum Elię, & Elisei, omnino, & perfectè fuerunt miraculosæ, quamuis per aliquod temporis interuallum factæ fuerint. Videndus Castellinus *de dilatione Canonizat. pag. 64. & sequentibus*.

Quartum. Quartò quoquè infertur ex dictis solutio similis dubii, quo quæritur, an de substantia miraculi sit quod nullum ministerium, medium, seu remedium humanum pro illo adhibitum sit. Dicendum namque cum Rota relata *num. 195.* & in relatione S. Francisci de Paula in fin. Maluetio *supra num. 92.* Contelorio *supra num. 20.* post alios, quod quando illud ministerium, seu remedium adhibitum est aliquo modo proportionatum cum effectu secuto, tunc tollitur auctoritas miraculi, quia credi potest ex vi illius prouenisse. Quando verò non est vllo modo proportionabile ad producendum illum effectum, prout erat lutum ex sputo, quo vsus est Christus Dominus Ioannis 9. ad illuminationem cęci, & pallium, quo vsi sunt S. Franciscus de Paula, & S. Raymundus in transferando mari, tunc non tollitur vis miraculi; si quidem adhuc perseuerat, quod fuerit effectus omnino superans totum ordinem naturę, in quo consistit ratio, & essentia miraculi.

Quintò infertur differentia, quæ est inter quosdam effectus mirabiles, præsertim sanitatum, qui communiter appellantur *gratiæ*, & vera miracula, illi enim sunt beneficia quędam, quę piè creduntur à Deo collata per intercessionem aliquorum Sanctorum propter preces ad illos, vel ipsorum Imagines factas, quę licèt alias mediis humanis, vel réporis, cursu euenire possent, ex speciali tamen Dei prouidentia, & intercessione eorum Sanctorum citius, vel facilius, quam secundum ordinarium cursum, & prouidentiam euenire solent, eueniunt. Miracula autem sunt veri effectus supernaturales, quę nullo modo euenire possent, nisi Deo supra totum ordinem naturę operante. De iis, Fortunatus Scacchus *de nouit. & fign. sanctit. sect. 8. cap. primo, §. sunt insuper*, Bordon. *supra num. 26.* & 27. Pasqualigus *supra num. 1202.* & Castaldus *de potest. Angelic. tom. 1. pag. 215.* Quinum.

Quæstio sexta.

De gratia gratis data, appellata operatio virtutum.

CVm iuxta dicta *quæstione præcedenti*, solum differat hæc gratia à *gratia sanitatum*, quod etsi vtraque importet gratiam miraculorum, nihilominus gratia *sanitatum* denotat gratiam faciendi miracula spectantia ad sanitatem corporum, at verò hæc, de qua in præsenti denotat generaliter gratiam patrandi miracula ordinata *ad diuinæ potestatis manifestationem*; ideo plura dicta ea quæstione præcedenti de *gratia sanitatum* applicari possunt ad gratiam quæ dicitur *operatio virtutum*: Notatio

Primo,

Digitized by Google

Alia. Primò videlicet, eam *regulariter* loquendo non esse habitum, aut aliquid per modum permanentis, aut actus Primi; sed per modum transeuntis, iuxta beneplacitum Dei, & pro illis occasionibus, in quibus secundum ipsius prouidentiam conueniens est, & ad vtilitatem aliquorum, huiusmodi miracula patrari. Dixi autem *regulariter* loquendo, quia si sermo sit de Apostolis, aut primis Euangelii Prædicatoribus dici potest hanc gratiam per modum habitus ipsis fuisse concessam; non quidem quia esset aliquis habitus elicitiuus miraculorum, sed quia aderat decretum efficax Dei ea faciendi sæpius, quoties videlicet ipsi ex speciali Dei motione opportunum esse ad Ecclesiæ vtilitatem iudicabant fieri, iuxta dicta *quæstione præcedenti*. Idque colligi videtur, tum à simili de Moyse legislatore, cui propter publicationem legis veteris, & ad ipsam stabiliendam concessa videbatur hæc potestas illo modo. Tum specialiter ex illo Marci vltimo: *Prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*, & Matt. 10 *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos eurate, dæmones ejicite, gratis accepistis gratis date.* An verò alij Sancti, aut Prædicatores Euangelij licitè possint à Deo postulare miraculum, saltem pro aliqua occasione, pro qua iudicatur conueniens ad vtilitatem Ecclesiæ, & conuersionem fidelium, latè tractat Verricelli *in tract. de mission. Apostol. quæst 36. & 37.*

Alia. Secundò etiam, iuxta dicta ea quæstione præcedenti, quod licet spectata natura gratiæ gratis datæ cõcedi possit à Deo hũodi potestas faciẽdi miracula, quæ in præsenti *operatio virtutum* dicitur etiam peccatoribus, & infidelibus, cum non tam in bonum ipsorum, quam in vtilitatem aliorum concedatur: accedente maximè eo, quod dixit Christus de quibusdam peccatoribus, Matthæi septimo, dicturos videlicet ipsi in die Iudicij: *Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus*: ac ipsum eisdem respondisse: *Nunquam noui vos, discedite à me*. Quod etiam constabit ex dicendis infra de gratia expellendi dæmones, quæ multis peccatoribus dicetur concessa. Nihilominus de facto, & regulariter loquendo, non conceditur, nisi iustis, & eximiè Sanctis; cuius signum est, quod vna ex notis veræ sanctitatis sumirut ex miraculorum patratione, ita vt pro Canonizatione, seu beatificatione ipsorum requiratur, prout dixi in eo Consulto *de Canonizatione Sanctorum num.* 10. & *sequentibus*, ac constat ex vsu, & praxi Ecclesiæ. Notat autem Fortunatus Scacch. *de not. & sign. sanctitatis sect.* 8. *cap.* 1. oportere, quod talia miracula ab Ecclesia examinata, & approbata sint, prout constat ex *cap. Audiuimus de reliq. & vener. Sanctor.* & ex aliquibus historijs, ex quibus habetur aliquos, de quibus dicebatur miracula patrasse, inuentos postea fuisse improbos, & illusores.

De electione dæmoniorum. Vlterius etiam præter dicta *quæstione præcedenti* de gratia sanitatum, quæ, vt dixi, huic gratiæ appellatæ *operatio virtutum* applicari possunt, alia etiam specialiter addenda, de aliquibus, quæ ad hanc gratiam reduci solent. Videlicet primo de electione dæmoniorum, à corporibus energumenorum, seu obsessorum ab illis: quæ, etsi ab aliquibus reduci videatur ad gratiam sanitatum, inter quos est Raphael de Torre *in* 2. 2. *quæst* 90. *artic.* 2. *disp* 2. *num.* 4. nihilominus communius reducitur ad operationem virtutum, prout ex Occumenio, Ambrosio, Anselmo, & Hieronymo affert Suarez *tom.* 1. *de gratia prologomeno* 3. *cap.* 5. *num* 16. Et de diuturna, ac per multum tempus abstinentia à cibo & potu, seu inedia. Quærimus ergo, an illa inter miracula censeri debeant maximè in ordine ad Canonizationem, vel beatificationem.

An sit miraculosa. Et quoad primum de electione dæmonum à corporibus obsessorum, videtur nullo modo esse miraculosam, ac proinde ad Canonizationem, vel beatificationem SS. deseruire non posse Primo, quia hæc potestas competit ex Christi institutione Exorcistatui, qui est vnus ex Ordinibus minoribus, & Exorcismis, quibus vtitur. Ea enim colligitur ex Matt. 10 illis verbis: *Conuocatis duodecim discipulis dedit illis potestatem spirituum immundorum, vt ejicerent eos*. Et infra, *dæmones ejicite*. Et Lucę 10. discipuli dicebant Christo: *Domine etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo*, & Christus ad illos. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur*. Et Marci vltimo: *Signa autẽ eos qui crediderint hæc fe-*

sequentur; in nomine meo dæmonia ejiciunt &c Effectus autem Sacramentorũ etiam si sint supernaturales, nihilominus inter miracula non numerantur eo quod non sunt rara, & insolita, sed sæpius contingentia, prout dixi Consulto *de Canonizz. Sanctor. nu.* 105. Secundò, quia eadem potestas eiiciendi dæmones à corporibus obsessorum ad posteros deriuata fuit, vt cõstat ex Cælestino Papa epistola prima ad Episcopos Galliæ, & ex Concilio Carthaginensi 4. *cap.* 7. & Aquisgranensi, & ex Patribus relatis à recentioribus. Tertio, quia potestas hæc competebat olim aliquibus etiam laicis, siquidem de quibusdam militibus narrat Tertullian. *lib. de corona militis cap.* 11. & *lib. de Idolatria cap.* 11 Dæmones è corporibus expulisse, filiosq; à parentibus exorcizari solitos, ergo non est miraculosũ. Quarto quia etiam competebat infidelibus. Narrat enim Iosephus *lib* 8. *antiquitat. cap.* 2. se propriis oculis vidisse præsente Vespasiano, & eius filiis annulo radicem habente sub signaculo à Salomone monstrato, quemdam à dæmonibus vexatum, curatum fuisse. Constat etiam ex Actibus Apostolorũ cap. 16. Filios Sceuæ Principis Sacerdotum, qui erant Iudæi, & infideles, in nomine Iesu dæmonia eiecisse. Quintò, quia dæmones potentiores possunt aliis minus potentes à corporibus obsessorũ eiicere, vt colligitur ex Matt. 12. & Luc. 11. vbi cum Christus eiecisset dæmonium ex quodam homine, qui ab ipso torquebatur, quidam dixerũt *In Beelzebub Principe dæmoniorũ ejicit dæmonia*. Dæmones autem miracula parare non possunt. Sexto, quia hanc virtutem fugandi dæmones habere dicuntur lapides quidam pretiosi, scilicet lapis Calcedonius, Chrysolitus, Adamantus, & Corallium, teste Francisco Ruco medico *in opusc. de gemmis*. Imo, aliquæ herbæ, vt sunt Artemisia, Saluia, Pulegium, & alia apud Raphaelem de la Torre *supr. disp.* 17. Quin etiam generaliter in rebus sensibilibus & naturalibus esse virtutem abigendi dæmones elicitur ex Burgensi 1. *Reg* 16. Lullio 2. *lib. quinta essentia*, Ioanne de Rupescissa *lib de consecrat. quinta essentia*, & Paulo Grillando *de Sortilegijs quæst.* 3. *num.* 23.

Veritas certa.

Veritas nihilominus certa est, eiectionem dæmoniorum à corporibus obsessorum veré miraculosam esse, & inter miracula computandam, Ita sentiunt communiter DD. qui vno ore eam ad gratiam gratis datam miraculorum referunt, etsi alii ad gratiam sanitatum, alii vero ad gratiam istam, quę *operatio virtutum* dicitur, eam reducant, vt videmus. Colligitur primò ex communi etiam PP. DD. & Expositorum Sacræ Scripturæ, consensu, qui similes hominum à dæmonum vexatione liberationes in eadem Sacra Scriptura commemoratis, apud Euangelistas præsertim, miracula vocant, imo inter Christi Domini miracula, magis conspicua, & illustria. Secundo, ex innumeris fere historijs, seu legendis SS. in quibus similes ipsorum operationes pro miraculis, etiam egregijs, illorum referuntur. Specialiter legenda vitæ Sancti Triphonis, qui fuit circa tempora Apostolorum, S. Hilarionis Abbatis, Sancti Gregorij Thaumaturgi.

Tertio pro basi.

Tertio, ex Bullis Summorum Pontificum pro canonizatione SS. in quibus huiusmodi expulsiones dæmonum à corporibus energumenorum meritis Sãctorum effectę inter miracula eorum referunt. Prout constat ex *Bulla Ioannis Decimiquinti* pro Canonizatione S. Vdalrici Episcopi Augustani, data anno *993. in primo tomo Bullary p.* 43 Et *in Bulla Innoc.* 3. pro Canonizatione S. Homoboni Cremonẽsis *in eod. tom.* 1 *Bullar. pag.* 72. vbi specialiter fit mentio de liberatione cuiusdam energumenę. Et *in alia Innoc.* 4. pro Canonizatione S Petri Martyris, *eod. tom. pag.* 99. & pro Canonizatione S. Stanislai pag. 103. Eugenii 4. pro Canonizatione S Nicolai Tolentini *eod. tom.* 1. *pag.* 278. & Pii Secundi pro Canonizatione S. Vincentii Ferrerii *in Bullis eiusdem tom pag.* 278. Leonis Decimi in Bulla pro Canonizatione Sancti Francisci de Paula *eidem tom. pagina* 446.

Quarto.

Quarto, veluti à priori, ex natura miracuri, quod est, vt diximus in præcedentibus, opus supernaturale totum natura ordinem excedens, & à solo Deo procedens: cum enim dæmonis potestas naturalis, maxima, imo summa in ordine naturę sit, quia de ipso dicitur Iob. 41. *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei*, non poterit eiici à corpore in quod intrauerit, nisi à solo Deo, vel per potestatem aliquã supernaturalem concessam ab ipso.

Solutio ad argumenta.

Vnde ad obiecta in contrarium respondendo, dico ad primum, Exorcismum non competere per se ex natura sua,

Digitized by Google

ſua, aut Chriſti inſtitutione expellere dæmones actualiter, & infallibiliter à corporibus obſeſſorum, ſed ſolum importare poteſtatem adiurandi ſolemniter, & ex officio dæmones; ac eos expellendi, ſi Diuinæ placuerit voluntati, vt patet ex forma huius Ordinis, & Cathechiſmo Romano, vbi agitur de Exorciſtatu. Et conſtat euidentiſſima experientia, qua ſæpiſſimè videtur plurimos Exorciſtas, nihil prodeſſe ad hunc finem expellendi dæmones ab energumenis, & è contra ſæpius alios merè laicos illos actualiter expellere ſuis precibus, & piis actionibus. Quod adhuc manifeſtius conſtat in pluribus ſaltem fœminis, quæ habuerunt hanc gratiam profligandi dæmones, quæ tamen incapaces ſunt huiuſmodi Exorciſtatus ordine: quales fuerunt Sancta Anatolia, Sancta Birgitta, Sancta Catharina Senenſis, & aliæ, prout conſtat ex ipſorum hiſtoriis. Et 1. à docent Torre *ſupra dicta diſput. ſecunda num. 6.* Caſtaldus *tom. 3. de poteſt. Angel. diſt. 9. pag. 64.* Vnde, quando Exorciſtę, mediis ſuis exorcismis dæmonia eiiciunt actualiter, & in actu exercito, hoc faciunt propter hanc miraculoſam gratiam gratis datam illis à Deo ea occaſione conceſſam. Sic colligo ex Iuſtino Martyre quæſtione 40. ad Gent. dum eam vocat *vim quandam, quæ ſub ſenſum non cadit qua ſimorum locum ſit ea monibus, cum ab Eccleſia imperantur.* Et Diu. Augustin. lib. 83 quæſt 79. eam vocante *Paulicam, & Imperialem legem, & ſummi Dei poteſtatem.* Quæ teſtimonia Suarez *to. 3. in tertiam par. diſp. 15. quæſt. 4. §. Sed adhuc* ait, *intelligi poſſe de gratia gratis data qua interdum ſanctis hominibus conceditur, vt imperent infimis poteſtatibus.* Colligo etiam ex Diu. Thom in 4. diſt. 24 quæſt. 2. ar. 2. ad vltimum, & expreſſè tenent Torre *ſupra quæſt 16 num 7.* & Caſtaldus *to 3. de poteſt. Angelica diſt. 7. pag. 64.* & clarius pag. 73. ac pag 79 & 80. Vide Tyreum *diſputat. de damoniacis cap. 38. & 39.*

Ad ſecundum.

Ex quo etiam patet ad ſecundũ. Admitto, n. huiuſmodi poteſtatẽ expellẽdi ſpiritus malignos deriuatam eſſe ad Apoſtolorum poſteros, & ſucceſſores; ordine tamen aſſignato, quod ſcilicet quatenus importat poteſtatem adiurandi illos, publicè, ſolemniter, & ex officio ſolum conuenerit Exorciſtis: quatenus autem importat miraculoſam hanc facultatem eiiciendi actualiter, & in actu exercito ipſos, conueniſſe aliquando, tam aliquibus Exorciſtis, quam aliis nullo Ordine initiatis, iuxta Dei videlicet beneplacitum, & fines ſuę prouidentiæ: vt etiam infra dicetur. Imo non ſolum in lege Euangelica, ſed omni etiam tempore, fuiſſe hanc poteſtatẽ in Eccleſia ſatis probabiliter ſuadetur ex eo quod cum dæmones infeſtiſsimi inimici ſint hominibus, & potentiſsimi ad ipſis mala plura infligendum, maximè in ipſorum corpora ingrediendo; eaque torquendo, ad diuinam prouidentiam ſpectat, vt ſuis fidelibus aliquod remedium prouiderit pro ipſis abigendis Et quod attinet ad legem ſcriptam id conſtat manifeſte ex Luca vndecimo, vbi cum Chriſto Iudęi obiecíſſent, quod dæmonem quemdam in Beelzebub virtute eiecíſſet, hanc calumniam retundens eis dixit: *Si ego in Beelzebub ejcio dæmonia, filij veſtri in quo ejciunt?* Per filios intelligens Exorcistas, qui erant inter Iudæos ad hoc munus eiiciendi dæmones addicti. Prout verius, & communius tenent huius loci Expoſitores, ſpecialiter Abulenſis, Toletus, Ianſenius, Barradas, Lucas Burgenſis, Cornelius à Lapide, quos refert, & ſequitur noſter Silucira, fauente etiam ex notis antiquioribus Guidone. Et ſpecialiter à Salomone Deo docente id habuiſſe illum populum, ſic teſtatur Ioſephus lib. 8. antiquitat cap. ſecundo; *Præſtitit Deus Salomoni, vt contra dæmones artem ad vtilitatem hominum, & eorum curas ediſceret, & incantationes inſtituit, quibus adſtricti dæmones, nunquam denuo redeant effugantur, & hæc cura hactenus apud nos multum præualere dignoſcitur.* Item Epiphanius contra Ebionęos *cap 3.* inquit, *Non tantum Iudæos, mediis his artibus à Salomone acceptis, dæmones expulíſſe, verum etiam adhibito nomine Dei Tetragrammaton, cui enim illud ſcire, aut fari licuiſſet ea poteſtate ad dæmonia profligenda potiebatur.* Silucira *ſupra*, Torre *ſupra diſputatione ſecunda numero ſeptimo, & octauo.* Marchinus *de Sacramẽt. Ordin. tractat. ſecundo par. quarta cap. 1.* Caſtaldus *de poteſtate Angelica tom. 3 pagina 65.*

Ad tertiũ.

Ex quo etiam ad tertium admittendum, quod in eo dicitur, ſcilicet hanc poteſtatem laicis etiam antiquitus à Deo conceſſam fuiſſe. Nec inde ſequitur miraculoſam non eſſe, quia etiam laicis illa conceſſa ſæpius à Deo eſt, vt

eſt, vt patet in Triphone illo ſuperius relato, qui merè laicus erat, & paſtor ouium, prout ex eius hiſtoria habetur. Imo in primitiua Eccleſia, frequenter, & communiter videtur fuiſſe fidelibus communicata, vt ſumi poteſt ex Tertulliano *lib. de corona milit. cap.* 11. & *lib. de idololatria cap.* 11. & *in Apolog. cap.* 23. vbi à *quibuſlibet Chriſtianis* adiurari ſolitum fuiſſe dæmonem denotat, & ex Iuſtino dialogo cum Triphone, & oratione pro Chriſtianis, ac Athanaſio de incarnat. Verbi, quos ſequitur Suarez *tom.* 1 *de Religion. lib.* 4. *de adiurat. cap.* 2. *num.* 11. Legendus Caſtaldus ſupra pag 61.

Ad quartũ

Similiter ad quartum admittendum poteſtatem, iſta etiam infidelibus concedi à Deo potuiſſe, nec inde ſequi miraculoſam non eſſe. Quia, iuxta dicta quæſtione præcedenti, aliquando per peccatores, & infideles fieri ſolent à Deo miracula virtute diuina propter ſpecialem Dei prouidentiam, & ad manifeſtationem alicuius veritatis, ſeu confirmationem alicuius virtutis. Quod ſpecialiter procedit in huiuſmodi miraculis, quæ pertinent ad gratias gratis datas, cum illa fiat in vtilitatem aliorum, veluti non habito reſpectu eorum per quę fiunt.

Ad quintũ

Ad quintum dico, dæmones adhuc potentiores non poſſe eiicere alios minus potentes à corporibus obſeſſorum, coactiuè, per vim, & prout ſibi placet, aut ſine illa reſiſtentia ipſorum; hoc enim eſt proprium infinitæ potentiæ Dei, miraculoſum, & ad iſtam gratiam gratis datam, de qua in præſenti, ſpectans. Quod, inter alia, colligitur ex eo, quod dixit Chriſtus loco relato in argumento: *Si Satanas Satanam eiicit* (ideſt, coactiuè, per vim, & vt ſibi placet) *quomodo ergo ſtabit Regnum eius?* Quaſi ſcilicet, vt eodem loco dixit: *Regnum in ſe ipſo diuiſum deſolabitur.* Solum ergo eos eijciunt ſuaſiuè, & quaſi imperatiuè propter maiorem authoritatem quam habent ſuperiores ſupra inferiores fundatam in natura perfectiori. Imo hoc faciunt ex quadam colluſione & pacto, quod eſt inter ipſos, vt homines ad Magos, & Magiam inclinent. Faciunt hoc etiam cum reſiſtentia dæmoniorum, quę eiiciuntur, prout conſtat ex caſu Komæ fecuto, quem refert Cornelius à Lapide ſuper caput vndecimum Luca verſ. 26. de quodam dæmone reſiſtente alteri ſe ſuperiori, variaque in ipſum probis conficiente, Abulenſis *quæſt. 61. in* 12. *cap.* Matth. Pyrhæus par. tertia cap. 34. *de dæmoniacis*, Cornelius *ſupra*, Torre ſupra diſput. 3. Caſtaldus to. 3 pagina 40. & to. 1. pagina 619. & alibi.

Ad ſextum, vno verbo dicendum, ſen Ad ſextũ tentias illas in argumento adductas de expulſione dæmonum per cauſas naturales, omnino falſas eſſe. Cum enim ipſi ſint omnino ſpirituales nihil pati poſſunt à rebus corporalibus; cum res corporeę nullam habere poſſint efficaciam, aut virtutem contra ſpirituales. Pro quo videnda quæ diximus tom. 1. Tract. 6. diſputatione prima quæſt. tertia. Torre in argumento relatus, cum alijs, quos refert.

Corollar

Ex dictis autem, prout ad praxim, & ſtylum Sacræ Congregationis Rituum deſeruire poteſt, elicitur; quod cum hæc gratia, non ſolum excommunicatione gratię gratis datę, ſed etiam ex modo, quo à Deo ſpius hominibus, iuxta dicta, communicata eſt, non ſolum iuſtis, ac Sanctis, ſed etiam peccatoribus, & infidelibus communicari poſſit, prout in ſpecie affert Vvaldenſis noſter *to.* 3. *de Sacramentalib. tit.* 8. *de Sacram. pœnit. cap* 72. propterea ex ipſa præciſè ſumpta tali ſum ſignum accipi poſſe ſanctitatis, maximè in ordine ad Beatificationem, vel Canonizationem. Niſi ſolum quando cum illa coniuncta ſunt alia ſanctitatis indicia, ſcilicet, exacta obſeruantia mandatorum vitæ auſteritas, orationis iuge ſtudium, profunda humilitas, paupertas ſpiritus, & rerum terrenarum contemptus; ac præſertim *ardens amor in Chriſtum*; prout Sanctus Antonius Abbas, teſte Diu. Athanaſio in ipſius vita, inculcare ſolebat. Thyræus *diſp. de dæmoniacis par.* 3. *cap.* 39. Caſtaldus *tom.* 3. *relato pag.* 85.

De diuturna inedia

Circa ſecundum, quod in hac quæſtione diſcutiendum propoſui, an videlicet diuturna, ac per multum tempus inedia, ſeu abſtinentia à cibo, & potu inter miracula, quæ ad hanc gratiam gratis datam, quæ *operatio virtutum* appellatur, vt diximus, reducitur, cenſeri debeat, maximè in ordine ad Beatificationem, ſeu Canonizationem Sanctorum vera potius pro miraculo haberi non debeat; ex eo quod per cauſas naturales accidere poſſit: credo dicendum, quod quantumuis diuturna ſit, aut per multum tempus durans, pro miraculoſa haberi non debeat, maximè in ordine ad Beatificationem, vel

Cano-

Canonizationem alicuius ſerui Dei, niſi in ipſo concurrant magna alia ſanctitatis indicia, qualia ſunt, vt proximè dixi, exacta obſeruantia mandatorum, Orationis iuge ſtudium, profunda humilitas, paupertas ſpiritus, & rerum terrenarum contemptus.

Soluſio. Ad id moueor primo ex eo quod ſecundum Hyppocratem *in lib. de carnibus*, & Macrobium *lib. 1. in ſomnium Scipion. cap. 6.* homo ſine cibo poteſt naturaliter ſaltem per ſeptem dies durare. Quod Daniel Sennertus *in medicin. practic. tom. 2. lib. 4. ſect. 2. cap. 2.* vltra ſeptem dies extendit. Plinius *lib. 11. cap. 24.* ad vndecim dies. Alii etiam ad plures menſes, comedendo videlicet quandam herbam apud Indos *Cocam*, ſeu *cacaore* appellatam, quæ ore geſtata famem repellit, prout ex Petro Chieza *par. 1. hiſtor. Peru. cap. 96.* & Auguſtino Zarate *lib. 1. hiſtor. Peru. cap 8.* refert Martin. Delrius *lib. 2. Diſquiſit. Magic. cap. 21. S. vltimum erat.*

Exempla. Exempla porro a bſtinentium per plures dies affert Caſtaldus *ſupra pagina 266.* vbi etiam ex Alberto Magno de fœmina quadam, quæ per 30. dies ſine cibo vixit: & de viro quodam qui per ſeptem hebdomades, plura etiã cum multis aliis referunt authores infra citandi. Huius autem plurium dierum ieiunij Delrius relatus cauſam naturalem ſic deſignat. *Si vel à morbo præcedente vel alia ex cauſa ſit in corpore vehidus humor flegmaticus, crudus, lentus, atque viſcoſus, illo calor naturalis vtetur pro alimento donec totus humor abſumatur. Idem futurum, ſi ex ſumma cerebri humectatione materia quadam ſubtilis, & pituitoſa caperet in corpus deſcenderit, atque interea corpori in alimentum cederet. Tunc enim quicquid à corpore exſpiraretur, vel difflueretur continuo ab hoc humore in alimentum conuerſo reſtitueretur, nec cibus homini opus foret, donec hic humor penitus conſumeretur.* Ex hac porro doctrina creditu facile eſt, quod Caſtaldus *de poteſt. Angelica to. 2. pag. 268. n. 28.* affert de quadam no biliſſima virgine in Italia, quæ ſine cibo, & potu per 40. dies vixit, eo quod humore pituitoſo abundabat.

Secundo, quia non ſolum ad plures dies, ſeu menſes, ſed ẽt ad plures annos eiuſmodi inediam naturalem poſſibilem extendunt graues authores plurima afferentes exempla de hominibus, quorum aliqui ad viginti, aliqui etiam ad triginta acceſſerint, nihil cibi ſumentes. Hi ſunt Cœlius Rhodiginus, Baptiſta Fulgoſus, Andreas Eborenſis, Rogerius Baconius Torrebl. Martinus Delrius, Fortunius Licetus, Daniel Sanertus, Benedictus Aquilanus, Petrus Paſſi, & alii. Quomodo autem id fieri potuerit naturaliter, non eſt meum diſputare. Quidam ad cœli conſtellationem recurrunt. Alii ad conſuetudinem vel habitum. Alii ad aerem ambientẽ. Nonnulli ad humorem malencolicum, in quem calor naturalis vix agere poteſt. Medici plures ac Philoſophi credunt prædictos abſtinentes nutritos fuiſſe non aere puro ſed mixto, alii elementis. Nec deſunt qui putent ex coliquamẽtis partium internarũ, vel ex portione ſanguinis ab vtero materno ſibi communicati, & reconditi id prouenire. Dicunt nonnulli prædictos odoribus, ſeu exhalationibus aeris permixtis ex corporibus ſublunaribus alitos fuiſſe. Sũt quoq; qui dicãt ipſos aquę potu veluti alimẽto ad modum plantarum vſos eſſe. Terra, vel calce clam ingeſta ea fieri potuiſſe, aliqui exiſtimant, de quibus & aliis authores relati. Solum dicam inter rationes ab Authoribus iſtis aſſignatas, propter quas hæc longa inedia accidere potuit, mihi probabiliorem eſſe eam quam de Martino Delrio ſupra attuli, videlicet potuiſſe id contingere ratione alicuius humoris flegmatici, pituitoſi, crudi, lenti, & viſcoſi ex natura, vel morbo prouenientis, qui calore naturali agente in hominum alimentum ſufficeret. Aliam affert Fortunius Licetus relatus *in lib. de ijs, qui viuunt ſine alimento*: ſcilicet, quia exiſtimat viuentia omnia poſſe naturaliter etiam per multum tempus abſque eo quod nutriantur: eo quod nutritio non ſemper ſit neceſſaria. Quam tamen alii reiiciunt.

Sed quicquid de his omnibus ſit, euidenti alio argumento, probatur tertiò noſtra ſententia, quod videlicet diuturna inedia non ſit inter miracula computanda, niſi ex parte perſonarum magnæ ſanctitatis ſigna concurrant. Quia videlicet eſto quod ſpectatis cauſis naturalibus corporeis, & ſenſibilibus impoſſibile ſit hominem multo tempore ſine alimenti ſumptione viuere, ſpectata tamen potentia dæmonum certum eſt id fieri poſſe; ac per conſe-

Aliud ſum damenti.

Aliud

quens citra miraculum, cum dæmon causa naturalis sit, & miraculum debeat esse opus, siue effectus cuiuscunque causæ naturalis facultatem excedens. Dæmonem autem posse hominem sine alimento per plures annos conseruare, ipsi applicando causas naturales ad id aptas, & congruas, colligo ex Abulensi *in cap. 7. Exod.*, Delrio *supra citato*. Torreblanca *lib. 2. de magia cap. 21.* & Castaldo *eo tom. 2. pag. 267.* Et colligitur primo, ex fere summa, & mirabili ipsius potentia in corpora sub lunaria, mixta, & viuentia; de qua plura ijs mirabilitora creduntur, & experientia comprobantur. Secundo specialiter quantum ad præsens de conseruatione hominis sine alimento ex casu, quem ex B. Prospero affert Delrius *lib. 6. Magic. disquisition. cap. 2. sect. 3. quæst 3 §. de ce mirabili*, videlicet de quadam iuuencula Arabæ à dæmone arrepta, quæ *nullum cibum, nullumque potum per 70 ferme dies totidemque noctes traijciens* &c. *Hoc tantum puella fatebatur, autem quandam noctis medio apparere quæ sibi ore nescio quid infunderet*. Quo manifeste denotatur dæmonem infundendo ore *nescio quid* posse hominem sine cibo, & potu alium conseruare. Tertio ex eo quod ex plurimorum etiam sententia, quam sequitur Torreblanca *sup. c. 22.* exēplis eā confirmans, potest homini somnum immittere, qui per multum tempus eum occupet. Iisdem enim mediis quibus somnum immittere potest, similiter in diam causabit: siquidem certum est, quod homines dum dormiunt, à cibo, & potu abstinent. Posse autem dæmonem hunc diuturnum somnum hominibus conciliare, probat inter alia singulariſſimum exemplum *Epimenidis Cretensis, qui cum quærens ouem meridiano, æstu, speluncam ingressus sopore graui victus 77. iuxta Pausaniam, vel 47. iuxta Eudæmum, paulo pauciores secundum alios, quietis annos experrectusque postea natus se parum indulsisse somno pergebat ouiculam quærere*. Ita Delrius loco relato superius ex *lib. 2. quæst 21. §. Cæterum*, hunc casum potestati dæmonis asscribens. Secundo, quia non minus ignis requirit pabulum, seu materia circa quam agat comburendo, quam homo requirat alimentum ad sui sustentationem: sed potestate dæmonis fieri possunt lucernæ, seu lampades, semper, & continuo ardentes, absque materiæ combustibilis additamento, prout ex pluribus historiis, & authoribus comprobat post alios, Castaldus in superioribus relatus eo 2. *tomo* de potest. Angelica *à pag. 270.* ergo etiam quod homines per plures annos sine alimento viuant.

Denique pro his, quæ diximus, & pro reuerentia Sanctis hominibus debita, qui miraculose per multum tempus à cibo, & potu abstinuisse dicuntur, Dei solius virtute, notanda, quę relatus Delrius ea *quæst. 21.* scripsit, quē imitatur Torreblanca *sup. Sedulo tamen cauendum, ne Sanctorum hominum naturam, excedentia istiusmodi in hanc classim referamus, vt D. Maria Aegyptiacæ, D. Catarinæ Senen.* SS. *Lutgardis, Mariæ Oigniacensis, Christinæ mirabilis, apud Surium Simonis Stos. Kÿ, quem in Carmelo sex annis Dei para cœlesti manna pauit apud Monasterium Rasarium, & Rolandum Bouchiarium in eius vita. Deus enim tum qui creauit eos virtute sua sine corporali substentat cibo.* Idem dicendum de septem illis vocatis Dormientibus, quos Surius, & alii asserunt, sub Decio Imperatore, ob sęuissimę persecutionis metum in antrum quoddam aufugisse, ibique vsque ad tempora Theodosii secundi Imperatoris dormisse, & à cibo, & potu abstinuisse per annos 200. circiter. Ac forsan de aliis septem, vel quinque Christianis in alio antro penes vltimas Regiones Germaniæ per multum tempus dormientibus; quos refert Paulus Diaconus *in histor. Longobardorum lib. primo. Et* de multis qui ad instar Christi, Moysis, & Eliæ per 40. dies ieiunium seruarunt, vt fuit Simeon illi Stylites apud historicos celeberrimus super columnam viuens. Quibus piè etiam annumerandos censeo plures, qui sola sumpta Eucharistia per multum tempus ieiunarunt, quorum nonnullos refert Torreblanca *supr. quæst. 21.* Quando videlicet, vt superius dixi, ipsorum sanctitas talis fuerit, vt merito credatur Dei fauore id contigisse, non vero aliqua humana arte. Notatio

Quid porro sentiendum de singulariſſima abstinentia Nicolai Flue Eremitæ Helueti, qui à 150. circiter annis per 20. vel 19. in Eremo quadam sine cibo, aut potu vixisse describitur; & an ista abstinentia casu quo probetur miraculosa censeri debeat, Sanctæ Sedis Apostolicę, & Sacræ Congregationis Rituum sapientissimo iudicio reseruatum manet. De abstinentia Nicolai Flue

Quæst. 7.

Digitized by Google

Quæstio septima.

De gratia gratis data, Prophetia *dicta*.

Prophetia

HAec gratia est vna ex potissimis, quibus Deus ad stabiliendam suã fidem homines decorare solet. Est autem *Prophetia* quoad nominis ethimologiam græcè idem quod *prædictio*. Dici etiam potest dictam esse a *pro*, id est *procul*, & *fanos*, quod est *apparitio*, quia per ipsam ea quæ sunt procul apparent. Diu. Thom. *quæst.* 171. *artic.* 1. Salmanticenses nostri *in Arbore virtut, num.* 169. Quo ad rem vero, omissis variis acceptionibus Prophetiæ, quæ in Sacra Scriptura reperiuntur, & de quibus ipsius Expositores, in præsenti sumitur pro prædictione rerum occultarum, quę scilicet longe distant à sensu, & naturali cognitione hominum. Definitio autem illius, pront ad præsens attinet, scilicet, prout est quædam gratia gratis data, talis est. *Cognitio ex diuina reuelatione indita, qua res occultissima alicui manifestantur, vt alijs illas annuncient.* Ita Suarez *in tract. de fide disputatione octaua sect. tertia num. secundo, & nono.* Est quoque conformis aliis definitionibus, quæ ex Cassiodoro in præfat. ad Psalm. & Diu. Thom. 2. 2. quæstione 171. articulo primo, ac Bachonio nostro *lib.* 3. *Quodlibet. quæst. prima articulo primo* habentur. Nomine autem *cognitionis* intelligitur cognitio non quidem naturalis, quęcumque illa sit, sed supernaturalis, & diuina, cum sit gratia gratis data, quę debet esse donum supernaturale, & diuinum. Præsertim, cum 2. Petr. 1. dicatur: *Non enim voluntate humana allata est prophetia, sed Spiritu Sancto inspirante.* Vnde cum dicitur *ex diuina reuelatione indita* denotatur prophetiam solum à Deo communicari posse, itaut quæcunque alia cognitio rerum occultarum ab homine quantumuis sapiente proueniens, vel etiam à Magis, dæmone, aut similibus, nullatenus prophetia vocari possint, esto, quod sub diuinationis nomine aliquando comprehendi soleant. Præterea, quod dicitur, *qua res occultissima alicui manifestantur*, denotat non solum ad prophetiã in hac acceptione spectare cognitionem futurorum, præsertim contingentium, eorum maximè, quę ex libera Dei, aut hominis voluntate, pendent, sed etiam ea præterita, quorum nec memoria, nec certa signa extant; imo etiam præsentia loco distantia, & occulta; ac internas cordium cogitationes: hæc enim omnia occultissima sunt. Dicitur quoque, *vt alijs illas annuncient*, quia cum gratia gratis data sit in vtilitatem aliorum, iuxta doctrinam Apostoli sępius repetitam, oportet, quod res reuelata à Deo illis annuncietur sermonę, vel opere, aut alio signo externo.

Notatio.

Pro quorum intelligentia notãdum, ad hanc gratiam duos præsertim actus interiores requiri; vnus est apprehensio, per prophetiam cognoscenda est; alius est assensus, & iudicium de sensu, seu veritate talis rei sic propositæ, seu apprehensæ. Vterque est supernaturalis, cum habeat obiectum formale supernaturale, scilicet Deum vt primam veritatem reuelantem, vt dicemus inferius. Vterque etiam efficitur à Deo cum intellectu, vel immediatè à solo ipso, vel mediante aliquo lumine, vel auxilio habituali, vel actuali, de quo etiam postea. Similiter, cum sint actus intellectus indigent speciebus proportionatis rei illi, quo repræsentatur mediis quibus repræsentetur. Differunt tamen, quod primus est prępparatio, & dispositio ad secundum: cum certum sit, apprehensionem obiecti præparare intellectum ad iudicium de illo: quia nemo potest iudicium de aliqua re ferre, nisi illam, & rationem, seu mediũ assentiendi illi sufficienter apprehendat. Vnde solum est prophetia imperfecta, & inchoata. Secundus vero est ipsa prophetia formaliter, essentialiter, & perfectè. Et ita primus solum vocatur *instinctus prophetieus, inspiratio*, & prophetia impropriè, & imperfecta; secundus vero vocatur propriè, absolutè, & perfectè *prophetia, & reuelatio*. Et ratio est, quia cum actus propheticę debeat esse certus, & infallibilis, vt docet Sanctus Thom. secunda secundæ quæst. 171. articulo sexto, & quia, vt dicemus, innititur diuinæ reuelationi; ideo oportet, quod perfecta prophetia non sit quęcunque cognitio, sed cognitio non solum diuinę reuela-

,tionis, ſed etiam ipſius rei reuelatæ, ſenſus illius; & quod ea ſit reuelata à Deo: ad quod non ſufficit, quod ſit apprehenſio, aut qualiſcunque conceptio rei reuelatæ, ſed perfectum iudicium de ipſa. Diuus Thomas ſecunda ſecundæ quæſtione 173. articulo quarto, Baconius noſter lib. 3. *Quodlibetorum quæſtione prima* §. 2. Suarez *tom.1. de gratia Prologomen.3. cap. 5.nu.22.* & *Tract. 1.de fide diſput. 8. ſect.4.num. 2. 3. & 4.* Tannerus *diſp 1 de fide quæſtione 7.dub. 6. num. 144.* Fortunatus Scacchus *de notit. & ſign ſanctitat. ſect. 8. cap. 2. § ſed quia.* Amicus de Fide *diſp.12 ſect.2 num.37.* & Salmanticenſes ſupra *num. 173.* Vnde aduertit bene Suarez ex Diuo Auguſtino, Epiphanio, Gregorio, & Diuo Thoma, & ſequuntur Tannerus, & Amicus hanc eſſe cauſam, ob quam Pharao, Nabuchodonoſor, Balthaſar, & Caiphas, qui in Sac. Scriptura dicuntur habuiſſe notitiam rerum occultarum in ſomno, vel Dei reuelatione, non poſſunt dici Prophetæ, aut habuiſſe hanc gratiam Prophetiæ, ſed quendam inſtinctum illius, aut inchoationem Prophetiæ; quia ſcilicet, eſto quod habuiſſent aliquam notitiam apprehenſiuam illarum, ſenſum tamen illarum non intelligebant.

Prophetiæ diuiſio.

Diuiditur Prophetia, primo ex parte luminis, per quod cognoſcuntur reuelata à Deo. Illud enim aliquando eſt clarum, prout fuit in Chriſto, ſcilicet, vel lumen gloriæ, vel lumen ſcientiæ infuſæ, vel aliud ſimile. Aliquando vero eſt obſcurum, prout ſæpius contingit in Prophetis, qui non ſemper clarè cognoſcebant, quæ prophetabant, prout de multis probat Suarez *ſupra* ſect. 5. num.2. & 3. Secundo, ex parte obiecti cogniti, in Prophetiam *comminationis, præſcientiæ, & prædeſtinationis*. Prima eſt per quam Deus reuelat aliqua futura, quæ erunt quantum eſt ex vi cauſarum, cum hac tamen conditione, niſi impediantur. Secunda eſt, per quam reuelat futura dependentia à libero arbitrio. Tertio, per quam reuelat ea, quę ipſe facturus eſt ipſe, dumtaxat, Diu. Thom. quæſt. 174. articulo primo. Salmanticenſes *ſupra num.* 173. Tertio, ex parte medii, ſeu ſpecierum, quibus res reuelatę à Deo repręſentantur, diuiditur in *intellectualem, imaginariam, & corporalem*. Prima eſt, quando id fit ſecundum repræſentationem omnino intellectualem, independentem à ſenſibus internis, & externis, & per ſpecies omnino intelligibiles, & nullo modo ſenſibiles. Secunda, quando fit per ſenſationem internam, & ſpecies imaginarias. Tertia, quando fit ſecundum exteriorem ſenſationem; vt ſi oculis corporalibus aliqua ſpectacula appareant, vel auribus voces percipiantur, indeque ad imaginationem, & intellectum ſpecies tranſeant. Diu. Thom. quæſt. 174. articulo primo, Bachonius *ſupra* articulo ſecundo, & tertio, Tannerus *ſupra* num. 147. poſt Diuum Auguſtinum, Iſidorum, & Gregorium, Salmanticenſes *ſupra* n. 171. & 174. & alij.

Dubium

Si quæras, quod nam ſit obiectum Prophetiæ, reſpondeo, loquendo de obiecto materiali, eſt omne id, quod ſub diuina reuelatione cadere poteſt. Ita communiter Doctores, ſpecialiter Amicus *ſupra num.* 23. & Salmanticenſes *ſupra num.* 172. & patet à ſimili de fide, quia eſt eadem ratio quantum ad hoc de fide, & Prophetia. Loquendo vero de obiecto formali Prophetiæ, dicendum, eſſe primam veritatem, vel diuinam auctoritatem aliquid reuelantem, vel teſtificantem. Diu. Thom. quęſtione 171. articulo tertio ad 3. Suarez loco relato dicta diſputatione octaua ſect.4. num.10. Colligitur ex S. Scriptura Luc.1 *Locutus eſt* (Deus) *per os Sanctorum, qui à ſæculo ſunt Prophetarum &c.* 2. Petri 1. *Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt &c.* Et ad Hebræos 1. *Olim Deus loquens Patribus in Prophetis*. An autem in obiecto formali Prophetiæ diſtinguendum ſit duplex illud obiectum formale *quod*, & *quo*, ſicut loquendo de obiecto formali fidei diximus *Tract.1 diſput.1. quæſtione* 2. dubiæ quæſtionis eſt, & à nullo, quod viderim, diſcuſſa: probabiliter tamen dici poteſt diſtinguendas eſſe iſtas duas rationes obiecti, ita vt dicamus, obiectum formale *quo* Prophetiæ eſſe diuinam reuelationem ſeu primam veritatem reuelantem, obiectum autem formale *quod* ſit aliquis Dei effectus ordinatus ad vtilitatem credentium, ad quem omnia alia per prophetiam reuelabilia ordinentur. Pro quo videnda quæ diximus eo *Tract. 1. diſput.1. quæſt. 3.* & D. Tho. ibi relatus.

Præcipuum dubium de Prophetia eſt, an illa ſit habitus, vel aliquid permanens, an potius aliquid per modum tranſeuntis. Et non procedit de Chriſto, qui fuit principaliſſimus Propheta, & caput

Aliud.

& caput Prophetarum : quia certum eſt, quod cum in illo eſſet lumen gloriæ, & lumen ſcientiæ beatæ, per illa poterat cognoſcere omnia reuelabilia per prophetiam, ad ſuum beneplacitum, & quando voluiſſet, nulla expectata alia reuelatione, vel locutione diuina; ac per conſequens, quod in illo prophetia eſſet per modum habitus, & permanenter. Solum ergo procedit de alijs Prophetis. Et de illis omnino tenendum, Prophetiam ſolum fuiſſe per modum tranſeuntis, quandiu ſcilicet durabat actualis locutio, & motio Spiritus Sancti ad cognoſcendũ occulta. Diuus Thom. quæſtione 171. articulo ſecundo. Abulenſis 1. *Regum* 10. *quæſt.* 5. Matth. 23. *quæſt.* 59. & communiter Theologi, conformiter etiam ad doctrinam Diui Hieronymi, & Gregorij. Et ratio eſt manifeſta, quia ex Sacra Scriptura cõſtat Prophetas, etiam præcipuos, non ſemper habuiſſe ſpiritum propheticũ, aut cognouiſſe aliquas veritates, niſi ſolum quando Deus illis loquebatur, aut eas ipſis reuelabat; quod eſt ſignum euidens, Prophetiam eorum non fuiſſe per modũ habitus, quia alias ſemper illã habẽrẽt: quia habitibus vtimur cũ volumus. Exempla vero Sacræ Scripturæ, ſunt primò, ex Exod 33. vbi Moyſes, etiam ſi familiariſſimè loqueretur cum Deo *facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum*, nihilominus neſciebat quis eſſet futurus ille, cum quo eductus eſſet Populũ de Aegypto. Et primo Regum 16. etiam ſi Samuel ſciret, quod vnus ex filiis Iſai futurus eſſet Rex in Iſrael, nihilominus neſciebat in particulari quis ille eſſet, donec Deus de Dauide illi dixerit: *Surge, unge eum, ipſe eſt enim*. Et lib. 4. cap. 3. Pater Eliſeus neſciebat euentum belli, donec adducto Pſalte, *facta eſt ſuper eum manus Dñi*: clarius c. 4. eiuſdẽ libri, dũ de morte filii Sunamitidis ait: *Dominus celauit à me, & non indicauit mihi*. Et Danielis 2. ipſe ignorabat myſterium de ſtatua oſtenſa Nabuchodonoſor, donec poſtea à Deo ipſi reuelatum eſt. Et Dianelis 4. idem conſtat in ſomnio Nabuchodonoſor de exceſſa arbore præciſa. Idem conſtat de aliis exemplis relatis à DD.

Aliud. Aliud dubium eſt, an Prophetia ſolum iuſtis, & Sanctis, an etiam peccatoribus à Deo concedatur. Et quidem, ſi loquamur de Prophetia imperfecta, *inſtinctus Propheticus* appellata, certũ eſt, concedi etiam peccatoribus, vt patet in Pharaone, Nabuchodonoſor, Balthaſſare, & aliis relatis. Loquendo verò de Prophetia perfecta, videlicet iudicatiua de ſenſu, & veritate rei reuelatę, quamuis conſequenter addicta de aliis gratiis gratis datis, generaliter dici poſſet quantum eſt ex vi, & natiure gratiæ gratis datę poſſe concedi à Deo etiam magnis peccatoribus : eo quod ipſa non pertineat ad gratiam gratum facientem, nec habet aliquam repugnantiam cum peccato, præſertim, cum ſolum detur in vtilitatem aliorum ; & quia adſunt exempla talis conceſſionis generaliter in illis, qui dicturi ſunt Chriſto Math. 7. *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus* ; cum tamen Chriſtus illis dicturus ſit: *Nunquam noui vos, diſcedite à me*. Et ſpecialiter in Balaam, qui, iuxta Eugubinum in Numeror. 22. & Torreblanca in Epitome delictor. lib. 1. c. 1. n. 44. erat Propheta Dei, quamuis plures apud Cornelium eo *cap.* 22. *verſ.* 5. id negent dicentes fuiſſe Magum. Et maximè in Sybillis, (aliquot ſaltem ex illis) quę etſi Ethnicæ, ob virginitatis tamen commẽdationem, prout receptum eſt à pluribus, Dei Prophetiſſæ fuerunt, alioquin quomodo poſſent de Chriſto prophetare. De illis infra dicam. Numerant etiam aliqui inter iſtos Saulem, qui 1. Reg. 10. cum cuneo Prophetarum *prophetabat*. Sed Saul bonus eo tempore erat, non peccator: deinde (quod aliqui non animaduertunt) illud *prophetare* non erat futura prædicere, ſed laudes Dei canere, quod erat proprium inſtitutum illorum Prophetarum, qui erant Religioſi illius temporis. Verius id dici poteſt de Mercurio Triſmegiſtro apud Aegyptios, qui etſi infidelis, fuit Propheta. Dicitur id quoque de Zoroaſtre apud Perſas, Orphæo apud Græcos, Abari apud Hyperboreos, & Zamolxi apud Getas. Quamuis non ſit ita certum. Videndus Eugubinus ſupra.

Reſponſio Nihilominus de facto, & regulariter, à Deo ſapientiſſimo prouiſore ſolum conceditur hominibus vitę probitate claris. Quales fuerunt in veteri teſtamento Iob, Samuel, Dauid, noſtri Principes Elias, Eliſeus, & aliqui ex filiis Prophetarum ; quatuor Maiores Prophetæ, & 12. Minores dicti, & ex fœminis Delbora, Olda. Et in nouo, Deipara Virgo Regina Prophetarum, Elizabetha, Zacharias, Ioannes Baptiſta,

&

& Euangelista, Petrus quoque Apostolorum Princeps, Polycarpus, vt de eo scribit Eusebius in historia, Antonius, vt de eo ēt scribit Athanas. Macharius apud Paladium, Io: Monachus in Sozomeno, Iulianus Sabbas in Theodoreti historia, Euthymius apud Cyrillum Eremitā, Paulus Eremita, & Hilarion, referente Diuo Hieronymo, Martinus Turonensis apud Seuerum Sulpitium, & fere innumeri alii, quorum historiæ passim habentur apud Metaphrastem, Lippomanum, Surium, Petrum de Natalibus, & Agiologos authores. Quibus iungam ex Carmelitarum Diuis Angelum, & Cyrillum Eremitam futurorum sæculorum statum prædicentes.

De alio dubio.

Ex quo etiam ad aliud dubium, de quo similiter quæst. præcedentib. disputauimus, videlicet an ex Prophetiæ dono alicui concesso eliciatur, euidens nota, seu signum sanctitatis, maximè in ordine ad Beatificationem, vel Canonizationem. Dicendum enim, consequenter ad dicta illis locis, desumi posse tale argumentum, si tamen in personis de quibus id refertur, inueniantur alia signa veræ sanctitatis. *Inter quæ* (vt ait Fortunatus Scacchus *de not. & sign. sanctit. sect.* 8 *cap.* 2. §. *de prædictionibus*) *præcipuum locum tenent terrenorum bonorum & diuitiarum contemptus; bonorum, & dignitatum fuga, veritatis ardor absque respectu Principum cum aliquid fuerit prædicendum, ita vt ad hæc Dei serui procedant, etiam cum euidenti capitis discrimine, quemadmodum veros Dei Prophetas non semel fecisse legimus in Sacris libris.* Nam à Deo illuminati ex eius cōsortio humilitatem, & veram despectionem addiscunt, iuxta illud Christi: *Discite à me quia mitis sum, et humilis corde.* Etiam erit verę Sanctitatis, & Prophetię signum, si in talibus cernatur zelus de Dei gloria, fidei Christianę propagatione, peccatorum conuersione, & hæreticorum reductione. Scacchus supra.

Corroboratio

Hoc aūt manifestè cōspicitur ex Actis ipsorū; ac maximè ex Bullis Summorum Pontificum circa canonizationes Sanctorum, Præsertim Bonifatij 9. pro Canonizatione S. Brigitę viduæ *to.* 1. *Bullarij noui pag.* 227. de ipsa dicentis meruisse *spiritu prophetico multa prædicere quorum nonnulla effectu completa fuere.* Et Pauli 5. pro Canonizatione Sanctæ Franciscæ Romanæ in Bulla quæ extat *tom.* 3. *Bullar. noui pag.* 171. Et in actis pro Canonizatione B. Andreę Auellini apud Conteloriū de Ga*nonizz. Sanctor. cap.* 25. *num.* 94. ibi: *Item ponunt quod spiritum prophetiæ habuerit.* Et infra: *quod suam mortem vario prædixit*,

Prędictiones Magicę

E contra verò magicę, aut dæmoniacæ prædictiones dignoscuntur. Primò, ex persona, & eius impietate, hęresi, v.g. aut alio graui, & publico peccato. Quales fuerunt plures, de quibus postea. Secundò, ex crebra alienatione, & abstractione à sensibus cum deordinatione prędicentis, sicut aduertit Diu. Thom. *quæst.* 173. *artic.* 3. *in corpore*, quod frequenter cō ingit in arreptitijs & furiosis. Quinimo hi qui magicis studijs dant operam, arripiuntur à dæmone, cui ex pacto seipso tradiderunt, ea propter, vel verbis indigna proferunt, vel motibus corporeis inhonesta faciunt. Talis fuit Fanaticus ille Basilacius, apud Nicetam *lib.* 3. *Chronic.* qui ab Imperatore ad eum veniente salutatus, nec respondit, nec etiam capitis nutu reselutauit; sed furiosi hominis instar saltans præsentibus maledixit; quinimo, nec ipsi Imperatori parcens, scipione, quem manibus gestabat, in ipsius imaginē, quæ ibi erat, insiliebat. Tertiò, quod sæpius enigmaticè, amphibologicè, & obscurè loquantur, *cum suas prędictiones proferunt*, ita vt in vtramque partem inflecti, ac interpretari possint. Exempla afferunt Grillandus; Psellus, Eusebius, & alii, de quo Cic. *de diuinat.* Socrates *lib.* 4. *histor. Ecclesiast.* vt illud quod Creso responsum fuit, *Perdet Cresus Halym transgressus maxima regna.* Et aliud: *Ibis, redibis non morieris in bello.* Quarto, ex fine Magicæ prædictiones sese manifestant: cum non aliud magi intendāt, nisi vel lucrum, vt Balaam in libro Numerorum, & in Actis Apostolorum cap. 16. puella Pythonissa, quæ item magnum quæstū prædabat dominis suis diuinando: & à qua diabolum eiecit Paulus: vel ambitionem & lucrum simul, nam vt gloriam adipiscantur Magi & auctoritatem apud Principes, futura, vel procul posita se prædicere profitentur, vt Elimas in Actibus Apostolorum, & Simon Magus in historiis Ecclesiasticis. Plura ad intentum Torreblanca *supra cap.* 28. *fere per totum.*

Pseudoprophetæ

Inter huiusmodi etiam pseudoprophetas recensentur Basilaceus Panaticus modo nominatus. Ab aliquibus etiam Orpheus, quamuis non fit ita certum vt supra dixi. Thyresias, Sosipatra, Musęus, Atticus, & similes, de quibus Lactant. *lib.* 4. *Instit. cap.* 25. Ruffin. *lib.* 2.

Digitized by Google

lib. 2. Eccleſiaſt. hiſtor. cap. 4. Talis Pythia Delphius, vt tradit Cæl. Rodigin. *lib. 13. antiq. lect. cap. 33.* Tales fœminæ Dodonides, vt docet Natal. Comes *lib. 6. Mytholog. cap. 10.* & puella pythoniſa, de qua Act. Apoſtol. cap. 16. & nos ſupra. Talis Nicoſtratæ mater Euandri, quæ ex furore, vulgo dicebatur Carmenta, vt tradit Plutarch. *in Romul.* talis Caſſandra filia Priami, vt narrat Lycophon in Caſſand. Tales Mõtani veteres, qui falſas reuelationes ſimularunt, vt tradit Euſeb. *lib. 5. Eccleſiaſt. hiſtor. cap. 15. 16. 17.* & 18. tales Colophonii, Trophonii, Soractini, & Paredri, de quibus Pauſan. in Arith. Talia fuere oracula, & prophetiæ, quibus illuſi Meſſalini gloriabantur, apud Theodoret. *lib. 4. de hæretic. fab.* Tales ſimiliter Iuliani Apoſtatæ, & ſectatorum. Marci Magi, vt narrat Ireneus *lib. 1. cap. 8. & cap. 9.* Talis] iuuencula quædam de ſecta Lolhardorũ, quam refert Vvaldenſis noſter *tom 2. de Sacrament. de Sacrament. Euchariſt. cap. 28.* quæ ſe Sacerdotiſſam fingebat. Tales noſtro ſeculo prophetiæ Anabaptiſtarum apud Campanos, & Magdalenę de la. Gruz apud Bæticos Cordubę, vt tradit Ribadeneyra *in vita B. Ignatij lib. 1. cap. 10.* Tales diuinationes Indorum. qui ſumpto Gabobæ ſemine externuntur, & mox ceſſante furore vaticinantur, de quibus Petr. Ghieza *par. 2. hiſtor. Peruan. cap. 17.*

De alijs. Ad hanc claſſem refert Torreblanca ſupra citatus libro primo capitulo vndecimo numero 32. Sybillas Manto, Daphnem filiam Tyreſiæ, Xenocleam, Meleſſam, & Lampuſam, & alias huiuſmodi, quibus meminit Strabo libro 14. Geograph. Non tamen alias, quæ ſpecialiter Sybillę ſunt appellatæ. Nam licet Gentiles, donum tamen prophetiæ obtinere potuerunt: ex quo eorum ſcripta, vt diuina commendat Lactantius lib. 1. cap. 6. & lib. 4. cap. 15. eaque Virginitatis meritis tribuit, Diu. Hieronym. contra Iouinian. Nam quæ de Chriſto naſcituro, & redemptionis myſteriis prædicarunt, non niſi diuino lumine affequi potuerunt, nam ea dęmoni omnino funt incognita, vt illi, cui myſteria fidei, & futura contingentia ſunt denegata. Diu. Auguſtin. *lib. de natur. damon. cap. 5. 6. & 7.* Torreblanca relatus, qui etiam *cap. 16. eiuſdem primi libri*, agit de pœnis, quibus à Deo & hominibus puniuntur iſti Magi, & qui ab ipſis reſponſa quærunt.

Ad hanc etiã ſeriem pſeudoprophetarum ſpectant illi diuinatores, qui de rebus occultis abſentibus, vel de præſentibus, internis tamen, quales ſunt cogitationes cordiũ, aliqua pro certis enunciant. Quos inter nominatiſſimus fuit ille Apollonius antiquiſſimus, qui cum eſſet Epheſi exclamauit eo tempore Romę interfici Domitianum, teſte Philoſtrato in eius vita. Plura ſimilia exempla ex variis Scriptoribus afferunt Torreblanca ſup. cap. 30. num. 34. & Caſtaldus *de poteſt. Angelica to. 3. pag. 319.* incertum tamen, quo ſpiritu aliqui iſtorum hæc prænũciauerint. Inter eos etiam qui cordis arcana penetrare crediti ſunt, celebris fuit quidam Scotus Parmenſis Magus anno Domini 1579. in Curia Imperatoris Caroli Quinti, qui gloriabatur ſe arte prædictum penetrandi cogitationes ſecretiſſimas: dicebat enim, cogita quod volueris, & cogitationem diuinabo. Quia ſtatim dæmon importuniſſimam aliquam cogitationem homini immittebat: & cum inter intellectum & phantaſiam, adeò arcta ſit colligatio, & homine intento alicui obiecto, phantaſia etiam circa illud tendat; ideo dæmon videns, quæ phantaſia verſabantur, conijciebat quæ intellectus cogitabat, ſaltem quando importune id faciebat. Sic ferme ex Caſtaldo relato *ſup. pagina 318.* Diuinatores

In calce notandum, ad hanc gratiam gratis datam, reduci ſomnia diuina, ea ſcilicet, quæ à Deo ipſo, vel bonorum Angelorum miniſterio hominibus immittuntur; ad ſignificandum rem aliquam occultam, futuram &c. Quale fuit ſomnium Ioſeph de manipulis, ſole, luna, & ſtellis, Geneſ. 37. de pincerna, & magiſtro piſtorum Pharaonis, Geneſ. 40. & ſomnium ipſius Pharaonis de ſeptem ſpicis, Geneſ. 41. de ſtatua Nabuchodonoſoris Da niel. 2. de arbore magna, Daniel. 4. & de quatuor ventis, & quatuor beſtiis Daniel ſeptimo. Sic enim colligitur ex illo Iob 33. *Quãdo irruit ſopor ſuper homines, & dormiunt in lectо, tunc aperit aures virorum, & erudiens eos inſtruit diſciplina.* Et Ioel. 2. *Senes veſtri ſomnia ſomnia bunt*, & quia etiam per ſomnia diuina poteſt & ſolet Deus manifeſtare occulta. Torreblanca *ſup. cap. 25. à num. 30.* Somnia diuina

Quæstio octaua.

De gratia gratis data, dicta Discretio spirituum.

Discretio spirituum

HAc est septima gratia gratis data ab Apostolo numerata, *discretio spirituum* dicta. Quæ quidem si solum denotet cognitionem occultarum cogitationum cordium, prout Diu. Thom. *p.2. quæst.111 artic.4.* verbis relatis à nobis *supra quæst.1.* huius disputationis, reduci potest ad gratiã Prophetiæ, de qua *quæstione præcedenti*; eo quod, prout in ipsa diximus, Prophetia, non solum versatur circa futura, sed etiam circa præsentia occulta. Eo etiam quod in Sacra Scriptura *spirituum* nomine significari solent interni motus animi, iuxta illud 1.Ioan. 4. *Probate spiritus an ex Deo sint*. Et ita illam gratiam ad prophetiam reducunt Salmanticenses nostri *in Arbor. virtut. num.169.* & Tannerus *tom. 3. disp. 1. de fid. quæst. 7. dub. 6. num 32.* Quia tamen Prophetia, quasi per antonomasiam solum accipi solet pro cognitione futurorum, ideo merito Apostolus discretiones spirituum quasi distinctam gratiam à Prophetia recenset. Et quia habet maximam vim ad mouendum hominem ad credendum ea, quę proponuntur à Prædicatore Euangelico. Quomodocunque id sit, cum gratia gratis data sit, ea, quæ aliquibus communicatur, non propter eorum sanctificationem, sed propter vtilitatem aliorum, cum hoc habeat hæc cognitio, discretio spirituum appellata, non solum erit gratia gratis data, sed etiam meretur quod de ipsa specialiter agatur.

Primum dictum.

Primò igitur dicendum, esse peculiare donum Spiritus Sancti ad discernendum internos motus animi, à quo spiritu proueniant, malone, an bono. Hanc credo esse communem mentem PP. & DD. præsertim Expositorum Pauli super primam epistolam ad Corinth. cap. 12. Ex quibus Chrysostomus hom.29. ait, discretionem spirituum esse. *Nosse quis sit spiritualis, & quis non spiritualis, & quis impostor.* Et Hieronymus ibid. *Vt qualis, vel quo spiritu veniat, vel loquatur, intelligat.* Et Ambros. etiam *ibid. Vt intelligat, & iudices quod dicitur an Spiritus Sancti sit an mundi*. Recte etiam Cornelius sic exponens illud Apostoli: *Alij discretio spirituum: Cogitationum scilicet, & intentionum cordis, & consequenter actionum, & sermonum, vt sciat, an à natura, an à damonis, an à Dei, vel Angeli spiritu, & instinctu profisciantur*. Inter Theologos specialiter videndus Suarez *tom.1. de gratia prologomeno 3. cap. 5. à num. 38.* bene notans in sequentibus, quod licèt huiusmodi discretio spirituum possit fieri per humanam, seu potius Christianam prudentiam, vtendo videlicet regulis ab Ecclesia traditis, vel probatis, quales sunt doctrina ipsius Ecclesię, Sacræ Scripturæ, traditionum &c. siquidem hoc videtur supponere Apostolus, dum generaliter fidelibus inquit 1.ad Thessalonic.5. *Prophetias nolite spernere. Omnia autem probate, quod bonum est tenete, ab omni specie mala abstinete vos*; & Ioannes 1. epist. cap. 4. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus an ex Deo sint*, nihilominus non est hęc discretio spirituum pertinẽs ad hanc gratiam gratis datam, nisi ea, quę per speciatem instinctum, & motionem Spiritus Sancti in vtilitatem aliorum datur aliquibus particularibus fidelibus.

Secundò

Dico secundò, materia propria huius gratię gratis datæ comprehendit omnem humanę mentis excitationem, impulsum, aut motionem inducentem ad aliquid credendum, vel agendum, quod sit dubium an sit bonum, vel malum. Ratio est, quia omnia ista sunt, quę in præsenti vocantur *spiritus*; non solum quia sunt res spirituales, sed etiam quia possunt procedere à bono, vel malo spiritu, Sathana videlicet transfigurante se in Angelum lucis: & deseruire ad profectum, vel damnum spirituale aliorum.

Tertiùm

Dico tertiò, hęc cognitio, seu discretio spirituum, seu cogitationum cordis, non est regulariter loquendo, euidens, sed obscura: est tamen aliquo modo certa, & infallibilis. Ita Suarez supra nu. 43. & sequentib. Et probatur prima pars, quia non habetur per euidentiam rei in se; aut per euidentiam causę, aut effectus ipsius: non per euidentiam rei in se, cum potius res ipsa, scilicet cogitatio interna cordis ex natura sua sit occulta, & latens; multo minus causa, à qua

qua procedit, scilicet Angelus, bonus, vel malus est clarus, & manifestus; est enim etiam latens, & incognitus: effectus etiam vnde cognosci posset, si aliquis talis datur, similiter est occultus, quia alias cogitatio ipsa non esset mere interna, nec ad illam necessaria gratia gratis data, quia ex tali effectu veluti signo cognosci posset: ergo ex nullo capite potest esse euidens. Dixi autem *regulariter loquendo*, quia non repugnat fieri per speciem aliquam impressam quidditatiue, & intuitiue illam representantem: imo etiam per lumen euidens, & clarum, quale est lumen gloriæ, vel scientiæ infusæ, prout in Christo contigit; quo casu cognitio esset euidens. Secunda etiam pars probatur, quia esto quod hæc cognitio, seu discretio non sit certa, & infallibilis ex parte motiui formalis, cui innititur, quia non innititur in Dei testimonio, aut alio motiuo infallibili; sed in coniecturis, & regulis communibus applicatis prudenter ad talem materiam; nihilominus cum sit ex instinctu Spiritus Sancti, qui non potest mouere ad rem incertam, & fallibilem, sed infallibilem, & certam, ideo ex parte illius, oportet quod habeat aliquam certitudinem, & infallibilitatem.

Dubii solutio

Ad dubium autem cõmune de gratijs gratis datis, an scilicet sint per modum habitus, respondendum quoad istam gratiam spectat, quod esto quod in Christo Domino propter eius infinitam dignitatem aliquid habituale fuerit, lumen scilicet gloriæ, & lumen scientiæ infusæ, cum per illa facile omnes internas cogitationes cordium, & differentias spirituum, ex quibus procedebant, clarè etiam cognoscere poterat: de alijs autem, etiam eximijs Sanctis, Doctoribus, aut Prædicatoribus non videtur admittendum: vt & in hoc inferiores Christo sint, & quia ad id munus præstandum in casu necessario sufficienter prouideri à Deo ijs poterat per actualem instinctum, aut motionem Spiritus Sancti, in qua, vt diximus hæc gratia consistit. Quæ resolutio ex dictis in superioribus circa alias gratias gratis datas magis roboratur.

Alterius

Ad aliud etiam dubium commune alijs gratijs gratis datis, an videlicet peccatoribus communicari possit, consequenter ad dicta in præcedentibus quæstionibus, de ista gratia loquẽdo dicendum est, quod quamuis, spectata natura gratiæ gratis datæ, non repugnet ipsam à Deo quibuslibet hominibus tribui, quantumuis peccatoribus; cæterum, regulariter loquendo, solum dari hominibus pijs, & Sanctis. Primum istorum probatur ex dictis eisdem locis. Addit Suarez *supra num. 46. Potest Spiritus Sanctus ad ostensionem potentiæ, & gratiæ suæ donum hoc etiam peccatori homini conferre, & fortasse interdũ id facit propter bonum aliorum, maxime quando ratione muneris, vel doctrinæ hæc discretio per eum fit, qui bonus, vel spiritualis reputatur, etiam si apud Deus talis non sit.* Secundum etiam constat ex dictis, & specialiori ratione ea procedunt in ista gratia; eo quod expediat eã non conferri, *nisi bis qui possint de qualitate spiritus coniecturam facere.* Suarez ibid. Vnde Diu. Gregorius 4. *Dialogor. cap.* 48. inquit: *Sancti viri inter illusiones, & reuelationes ipsas, visionum voces, & imagines, quodam intimo sapore discernunt, vt sciant, quid à bono spiritu recipiant, & quid ab illusore patiantur.*

In multis fuit.

Vnde hæc gratia discernendi spiritus in pluribus Sanctis insignibus fuisse cernitur. In Sancto Hilarione, teste D. Hieronymo in eius vita; in Sancta Monica Sancti Augustini Matre apud eundem Augustinum *lib. 3. Confess. cap.* 11. in Sancto Macario, ex Palladio *in vit. Patr. cap.* 19. *in* Sancto Eulogio singulariter, & mirabiliter apud eundem Palladium *in v. t. PP. cap.* 75. Siquidem de eo dicitur: *Tantum accepit gratiam cognitionis, vt vnius cuiusque ex ijs qui accedebãt monachis mẽtem cognosceret. Is cum sepe vidisset aliquos monachos ad aram accessuros, eos retinuit dicens: Quomodo audetis ad sancta accedere Sacramenta cum habeatis malas cogitationes? Et tu quidem hac nocte animo versasti turpem fornicationis cogitationem; alius autem animo suo reputauit, dicẽs nihil referre an peccator, an iustus accedat ad Dei gratiam; alius autem de dono dubitauit dicens: Numquid me accedentem sanctificabit?* Et in Sancto Euthimio apud Cyrillum Eremitam in ipsius vita, vbi mirabilia quoque de ipso. Et in Sancta Christina Virgine mirabili, prout constat ex ipsius vita cap. 17. Innumeros alios prætereo.

Pro Canonizatione

Hinc apud Sanctam Sedem Apostolicam, cum de sanctitate aliquorum Seruorum Dei agitur, magni ponderis est consideratio de huiusmodi gratia discretionis spirituum, quia videlicet ex ipsa (concurrentibus tamen magnis

aliis ſignis ſanctitatis) non leue deſumitur argumentum ad Beatificationem, vel Canonizationem ipſorum. Vt videre eſt circa Canonizationem Sanctæ Brigittę viduæ *in Bulla Bonifacij 9. in 1. tom Bullarij noui pag. 226.* vbi de ea dicitur: *Hæc generoſa vitua per gratiam Sancti Spiritus promeruit multis eorum cogitationes & affectiones intimas & geſta ſecretiſſima propalare*. Et in Bulla Pauli 5. pro Canonizatione Sanctæ Franciſcæ Romanę *in 3. tom Bullar. noui pag.* 171. vbi hac gratia cognoſcendi ſecreta cordium claruiſſe dicitur. Et pro Canonizationem Beati Andreæ Auellini in Actis apud Contelorium *de Canonizatione Sanctorum cap.* 25. dum agitur de prudentia, ſic habetur: *De ſpiritum diſcretione, & affectionibus moderandis maximam habuit ſcientiam*. Et infra: *Item ponunt quod occultas cogitationes cordis cognoceret, maximè occultas delicta*. Quod ſupra declaratur variis exemplis.

Notatio. Dixi autem concurrentibus *magnis aliȝs ſignis ſanctitatis*, quia ſi hæc non adſint, res eſt valde dubia, an ex bono ſpiritu cognitio iſta internarum cogitationum, quæ diſcretio ſpirituum appellatur, procedat. Angelus enim Sathanæ etſi internas, & omnino in animo manentes cogitationes non certo cognoſcat, quia ſoli Deo reſeruantur, qui *ſcrutatur renes, & corda* Sapient. *cap.* 1. ſignis tamen exterioribus, illis etiam, quæ ab hominibus cognoſci non poſſunt, illas coniicit. Torreblanca *in epitom. delictor. lib.* 1 *de magia cap.* 30, *num.* 38. ex Diu. Auguſtin. & Theologis alijs. Tum etiam, quia poteſt diabolus phantaſiam humanam phantaſmatibus immiſſis ita turbare vt nihil aliud vix cogitare queat, quam quod ab eo ſuggeſtum eſt; & ita quaſi diuinare internas hominum cogitationes ſoli Deo cognitas, Raphael dela Torre *in 2. 2. quæſt. 95. artic. 7. diſp.* 1. & 2. Torreblanda *ſupra num.* 39. Si ergo hæc manifeſtet ſuis amicis, illi videbuntur habere diſcretionem ſpirituum. Quemadmodum fingebat Scotus ille Parmenſis tempore Caroli Quinti, vt dixi *quæſtione præcedenti*, qui hoc artificio vtebatur. Vide alia infra *quæſt.* 12.

Quæſtio nona.

De gratia gratis data, quæ vocatur genera linguarum.

GRatia iſta, quę importat donum linguarum, ſeu facultatem loquendi *varijs linguis*, quemadmodum de Apoſtolis dicitur feciſſe in die Pentecoſtes Actor. cap. 2. & de quo etiam plura dicit Apoſtolus 1. Corinth. 14. duobus modis intelligi poteſt. Vno modo ex parte audientium, alio modo ex parte loquentium. Prior erit ſi is cui conceditur, vna tantum lingua, & vno ſolo idiomate loquens, ſimul ab omnibus audiẽtibus diuerſarum linguarũ intelligatur. Poſterior vero, ſi loquens, hanc facultatem habeat, loquendo non vna lingua, aut vno idiomate ſolum, ſed pluribus. Prior modus explicandi hanc gratiam poteſt tribui Diuo Cypriano, Baſilio Seleucienſi, Nicætę Oecumenio, & Dionifio Carthuſiano: poſterior vero Gregorio Nazianzeno, Cyrillo Hieroſolymitano, Chryſoſtomo, Auguſtino, Gregorio, Leoni, Bedæ, Anſelmo, maxime Diu. Thom. 2. 2. *quæſt.* 176. *artic.* 1. *ad* 2. Videndi Salmanticenſes noſtri *in Arbor. virtut. num.* 168. & Expoſitores Actuum Apoſtolorum cap. 2. circa illa verba de Apoſtolis dicta: *Cæperunt loqui varijs linguis prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis*.

Quid importet gratia illa

Quidquid autem ſit de modo quo eo tempore contingerit huiuſmodi gratiæ vſus, prout tamen ad præſens intentum attinet, dicendum vtroque modo poſſe explicari; ita vt aliquando à Deo concedatur priori modo, frequentius tamen poſteriori. Prima pars probatur exemplis plurium SS. quibus tali modo conceſſa dicitur. Hi ſunt SS. Vincius Ferrer. Antonius Patauinus, Bernardinus Senenſis, & Franciſcus Xauerius, quos refert Fortunatus Scacchus *de not. & ſign. ſanctit ſect.* 8. *cap.* 6. & alii, quos affert Thomas Bozius *de ſign. Eccleſ. lib.* 6. *cap.* 5. qui ſua lingua loquentes à pluribus diuerſę nationis

Quomodo intelligenda

Digitized by Google

tionis, & linguæ intellecti dicuntur. Quod fuit maxima gratia, & ad nullam aliam ſpectans niſi ad iſtam. Secunda vero, quia id videtur denotari in Sacra Scriptura, dum eſt ſermo de gratia iſta, veluti Marc. 16. *Linguis loquentur nouis*, & 1. Corinth. 14. vbi Apoſtolus dicit: *Gratias ago Deo meo, quod omnium veſtrum linguam loquar*, & Actor. 10. ibi: *Audiebant enim illos loquentes linguis*; & c. 19. ibi: *Et loquebantur linguis*; Etenim loqui linguis, non eſt vna ſola propria vti, & ab aliis intelligi, ſed eſt vti ipſorum, qui audiunt, linguis.

Dubium. Eſt autem dubium circa hanc gratiam gratis datam, ſimile aliis, quę circa alias propoſuimus: an ſcilicet impoſſet adquiri per modum habitus, aut ſolum per modum actus ſecundi, aut motionis Spiritus Sancti. Et dicendum, quod ſi priori modo ſumatur, ſcilicet vt vna vox loquentis à pluribus diuerſas linguas callentibus intelligatur, non videtur conceſſa per modum habitus; ſed ſolum per actualem mutationem factam à Deo in tali voce loquentis quando ad audientium aures perueniet. Quia non videtur vllo modo neceſſarius talis habitus, nec eſt intelligibile, quod aliquis impreſſus loquenti, aut eius voci habeat talem virtutem. Si vero hæc gratia ſumatur poſteriori modo à nobis aſſignato, nempe quod loquens varijs linguis loquatur, dici poteſt dari per habitum, vel habitus aliquos à Deo per accidens infuſos, qui præbeant illam faculeatem, ſicut ſimiles habitus naturaliter adquiſiti illam præbent. Ita colligo ex D. Th. *quæſt. 176. artic. 2. ad 3.* vbi hoc ponit diſtrimen inter prophetiam, & donum linguarum, quod ſicut ſit habitus, illud vero non. Suarez *tom. 1. de gratia Prolegomen. 3. cap 5. num. 54.* Tannerus *diſput. 2. de fide quæſt. 7. dub. 6. num. 156.*

Aliud. Ad aliud autem dubium à ſimili in præcedentibus de aliis gratiis gratis datis propoſitum, de communicatione videlicet huius gratiæ peccatoribus; conſequenter ad dicta eis locis dicendum, quod quãuis ſi ſolum conſideretur natura gratiæ gratis datæ poſſit etiam competere improbis, & peccatoribus, cum non pertineat ad eorum ſanctitatem, ſed ad aliorum vtilitatem: nihilominus regulariter, & vt in plurimum non conceditur à Deo, niſi piis, & ſanctis hominibus, Prædicatoribus videlicet Euangelii, vt poſsint illud per exteras nationes diſſeminare. Sic enim colligitur accomodando ea, quę in ſuperioribus diximus ad preſens inſtitutum.

Ex quo etiam ad aliud dubium, de quo etiam in præcedentibus, dum de aliis gratiis datiis loqueremur, dicendum namque, ex plurium linguarum vſu non poſſe elici argumentum efficax ad comprobaudum alicuius ſerui Dei ſanctitatem, maximè in ordine ad Canonizationem, ſeu Beatificationem ipſius, non ſolum propter dicta, quod ſcilicet tale donum abſolutè loquendo poteſt à Deo concedi peccatoribus, propter fines videlicet ſuę prouidentię, ſed etiam quia de facto dæmones hominibus obſeſſis hanc facultatem tribuunt, per ipſos videlicet loquentes, voces, & verba efformantes. Et ita tradunt Godronich. Piell. & Fernellus quos refert, & ſequitur Fortunatus Scacchus *de not. & ſign. ſanctit. ſect. 8. c. 6. §. Prioris.* Adde aliquos eſſe apud Delrium ab eodem Fortunato relatum, qui naturaliter id contingere poſſe in aliquibus atra bili exagitatis, dicunt. Qui etſi merito reijciantur cum potius tales, ſi qui ſunt, diaboli opę credendum eſt id efficere, cum atra bilis diaboli veluti ſedes ſit, & peſſimus humor, quo vti ſolet ad ſimilia ſpectra efformanda, nihilominus ex eo ſaltem conuincitur, ſimile donum non eſſe ſanctitatis ſignum; quod confirmat antiquum exemplum Mitridatis, de quo dicitur, quod cum Rex fuiſſet duarum & viginti gentium, totidem linguis iura dediſſe, & pro concione ſingulas ſine interruptione affatum, & eorum omnium narrationibus, reſponſum dediſſe ſine interprete. Vt natrat Plinius lib. 7. cap. 24. & ex eo Torreblanca lib. 2. de Magia cap 13. num. 3. Explicatio doctrinæ

Cæterum, ſi hæc facultas loquendi varijs linguis in hominibus alias notæ ſanctitatis, & virtutis reperiantur, & qui ea vtantur non ad res ridiculas, vanas, aut inutiles, ſed ad Dei gloriam ſpectantes, qualiter illi qui actor. 2. varijs linguis vtentes loquebantur *Magnalia Dei*: nec ad oſtentationem, ſeu auram popularem captandam, ſed ad vtilitatem proximorum, ità vt ipſis applicari poſsit illud Ioann. 7. *Qui à ſemetipſo loquitur gloriam propriam quærit, qui autem quærit gloriam eius qui miſit eum, hic verax eſt, & iniuſtitia in illo non eſt*, vtique ex tali variarum

Digitized by Google

aliis signis sanctitatis) non leue desumitur argumentum ad Beatificationem, vel Canonizationem ipsorum. Vt videre est circa Canonizationem Sanctæ Brigittæ viduæ *in Bulla Bonifacij 9. in 1. tom Bullarij noui pag.* 226. vbi de ea dicitur: *Hæc generosa vita per gratiam Sancti Spiritus promeruit multis eorum cogitationes & affectiones intimas & gesta secretissima propalare*. Et in Bulla Pauli 5. pro Canonizatione Sanctæ Franciscæ Romanæ *in 3. tom Bullar. noui pag* 171. vbi hæc gratia cognoscendi secreta cordium claruisse dicitur. Et pro Canonizationem Beati Andreæ Auellini in Actis apud Contelorium *de Canonizatione Sanctorum cap.* 25. dum agitur de prudentia, sic habetur: *De spirituum discretione, & affectionibus moderandis maximam habuit scientiam*. Et infra: *Item ponunt quod occultas cogitationes cordis cognoceret, maximè occultas delicta*. Quod infra declaratur variis exemplis.

Notatio. Dixi autem concurrentibus *magnis aliis signis sanctitatis*, quia si hæc non adsint, res est valde dubia, an ex bono spiritu cognitio ista internarum cogitationum, quæ discretio spirituum appellatur, procedat. Angelus enim Sathanæ etsi internas, & omnino in animo manentes cogitationes non certo cognoscat, quia soli Deo reseruantur, qui *scrutatur renes, & corda* Sapient. *cap.* 1. signis tamen exterioribus, illis etiam, quæ ab hominibus cognosci non possunt, illas coniicit. Torreblanca *in epitom. delictor. lib.* 1 *de magia cap.* 30. *num.* 38. ex Diu. Augustin. & Theologis alijs. Tum etiam, quia potest diabolus phantasiam humanam phantasmatibus immissis ita turbare vt nihil aliud vix cogitare queat, quam quod ab eo suggestum est; & ita quasi diuinare internas hominum cogitationes soli Deo cognitas, Raphael dela Torre *in* 2.2. *quæst.* 95. *artic.* 7. *disp.* 1. & 2. Torreblanda *supra num.* 39. Si ergo hæc manifestet suis amicis, illi videbuntur habere discretionem spirituum. Quemadmodum fingebat Scotus ille Parmensis tempore Caroli Quinti, vt dixi *quæstione præcedenti*, qui hoc artificio vtebatur. Vide alia infra *quæst.* 12.

Quæstio nona.

De gratia gratis data, quæ vocatur genera linguarum.

GRatia ista, quę importat donum linguarum, seu facultatem loquendi *variis linguis*, quemadmodum de Apostolis dicitur fecisse in die Pentecostes Actor. cap. 2. & de quo etiam plura dicit Apostolus 1. Corinth. 14. duobus modis intelligi potest. Vno modo ex parte audientium, alio modo ex parte loquentium. Prior erit si is cui conceditur, vna tantum lingua, & vno solo idiomate loquens, simul ab omnibus audiẽtibus diuersarum linguarũ intelligatur. Posterior vero, si loquens, hanc facultatem habeat, loquendo non vna lingua, aut vno idiomate solum, sed pluribus. Prior modus explicandi hanc gratiam potest tribui Diuo Cypriano, Basilio Seleucien si, Nicætę Oecumenio, & Dionisio Carthusiano: posterior vero Gregorio Nazianzeno, Cyrillo Hierosolymitano, Chrysostomo, Augustino, Gregorio, Leoni, Bedæ, Anselmo, maxime Diu. Thom. 2.2. *quæst.* 176. *artic.* 1. *ad* 2. Videndi Salmanticenses nostri *in Arbor. virtut. num.* 168. & Expositores Actuum Apostolorum cap. 2. circa illa verba de Apostolis dicta: *Caperunt loqui variis linguis prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis*.

Quid importet gratia ista

Quidquid autem sit de modo quo eo tempore contingerit huiusmodi gratiæ vius, prout tamen ad præsens intentum attinet, dicendum vtroque modo posse explicari; ita vt aliquando à Deo concedatur priori modo, frequentius tamen posteriori. Prima pars probatur exemplis plurium SS. quibus tali modo concessa dicitur. Hi sunt SS. Vincius Ferrer. Antonius Patauinus, Bernardinus Senensis, & Franciscus Xauerius, quos refert Fortunatus Scacchus *de not. & sign. sanctit sect.* 8. *cap.* 6 & alii, quos affert Thomas Bozius *de sign. Eccles. lib.* 6. *cap.* 5. qui sua lingua loquentes à pluribus diuersę nationis

Quomodo intelligenda

Digitized by Google

tionis, & linguæ intellecti dicuntur. Quod fuit maxima gratia, & ad nullam aliam ſpectans niſi ad iſtam. Secunda vero, quia id videtur denotari in Sacra Scriptura, dum eſt ſermo de gratia iſta, veluti Marc. 16. *Linguis loquentur nouis*. & 1. Corinth. 14. vbi Apoſtolus dicit: *Gratias ago Deo meo, quod omnium veſtrum linguam loquar*, & Actor. 10. ibi: *Audiebant enim illos loquentes linguis*; & c. 19. ibi: *Et loquebantur linguis*: Etenim loqui linguis, non eſt vna ſola propria vti, & ab aliis intelligi, ſed eſt vti ipſorum, qui audiunt, linguis.

Dubium. Eſt autem dubium circa hanc gratiam gratis datam, ſimile aliis, quę circa alias propoſuimus; an ſcilicet imponet adquid per modum habitus, aut ſolum per modum actus ſecundi, aut motionis Spiritus Sancti. Et dicendum, quod ſi priori modo ſumatur, ſcilicet vt vna vox loquentis à pluribus diuerſas linguas callentibus intelligatur, non videtur conceſſa per modum habitus; ſed ſolum per actualem mutationem factam à Deo in tali voce loquentis quando ad audientium aures peruenit. Quia non videtur vllo modo neceſſarius talis habitus, nec eſt intelligibile, quod aliquis impreſſus loquenti, aut eius voci habeat talem virtutem. Si vero hæc gratia ſumatur poſteriori modo à nobis aſſignato, nempe quod loquens variis linguis loquatur, dici poteſt dari per habitum, vel habitus aliquos à Deo per accidens infuſos, qui præbeant illam faculeatem, ſicut ſimiles habitus naturaliter adquiſiti illam præbent. Ita colligo ex D. Th. *quæſt. 176. artic. 2. ad 3.* vbi hoc ponit diſcrimen inter prophetiam, & donum linguarum, quod iſtud ſit habitus, illud vero non. Suarez *tom. 1. de gratia Prolegomen. 3. cap 5. num. 54.* Tannerus *diſput. 2. de fide quæſt. 7. dub. 6. num. 156.*

Aliud. Ad aliud autem dubium à ſimili in præcedentibus de aliis gratiis gratis datis propoſitum, de communicatione videlicet huius gratiæ peccatoribus; conſequenter ad dicta eis locis dicendum, quod quãuis ſi ſolum conſideretur natura gratiæ gratis datæ poſſit etiam competere improbis, & peccatoribus, cum non pertineat ad eorum ſanctitatem, ſed ad aliorum vtilitatem: nihilominus regulariter, & vt in plurimum non concedatur à Deo, niſi piis, & ſanctis hominibus, Prędicatoribus videlicet Euangelii, vt poſsint illud per exteras nationes diſſeminare. Sic enim colligitur accomodando ea, quę in ſuperioribus diximus ad præſens inſtitutum.

Solutio alterius. Et quo etiam ad aliud dubium, de quo etiam in præcedentibus, dum de aliis gratiis datiis loqueremur, dicendum namque, ex plurium linguarum vſu non poſſe elici argumentum efficax ad comprobaudum aliquius ſeruì Dei ſanctitatem, maximè in ordine ad Canonizationem, ſeu Beatificationem ipſius, non ſolum propter dicta, quod ſcilicet tale donum abſolutè loquendo poteſt à Deo concedi peccatoribus, propter fines videlicet ſuę prouidentię, ſed etiam quia de facto dęmones hominibus obſeſſis hanc facultatem tribuunt, per ipſos videlicet loquentes, voces, & verba efformantes. Et ita tradunt Godronich. Ptell. & Fernellus quos refert, & ſequitur Fortunatus Scacchus *de not. & ſign. ſanctit. ſect. 8. c. 6. §. Prioris.* Adde aliquos eſſe apud Delrium ab eodem Fortunato relatum, qui naturaliter id contingere poſſe in aliquibus atra bili exagitatis, dicunt. Qui etſi merito reijciantur cum potius tales, ſi qui ſunt, diaboli ope credendum eſt id efficere, cum atra bilis diaboli veluti ſedes ſit, & peſſimus humor, quo vti ſolet ad ſimilia ſpectra efformanda, nihilominus ex eo ſaltem conuincitur, ſimile donum non eſſe ſanctitatis ſignum; quod confirmat antiquum exemplum Mitridatis, de quo dicitur, quod cum Rex fuiſſet duarum & viginti gentium, totidem linguis iura dediſſe, & pro concione ſingulas ſine interruptione affatum, & eorum omnium narrationibus, reſponſum dediſſe ſine interprete. Vt natrat Plinius lib. 7. cap. 24. & ex eo Torreblanca lib. 2. de Magia cap 13. num. 3. Explicatio doctrinæ.

Cęterum, ſi hæc facultas loquendi variis linguis in hominibus alias notæ ſanctitatis, & virtutis reperiantur, & qui ea vtantur non ad res ridiculas, vanas, aut inutiles, ſed ad Dei gloriam ſpectantes, qualiter illi qui actor. 2. variis linguis vrentes loquebantur *Magnalia Dei*: nec ad oſtentationem, ſeu auram popularem captandam, ſed ad vtilitatem proximorum, ità vt ipſis applicari poſsit illud Ioann. 7. *Qui à ſemetipſo loquitur gloriam propriam quærit, qui autem quærit gloriam eius qui miſit eum, hic verax eſt, & iniuſtitia in illo non eſt*, vtique ex tali variarum

linguarum locutione vitæ probitas, & ſanctitas ſic loquentium inferri poterit.

Quæſtio decima.

De gratia gratis data, quæ vocatur Interpretatio ſermonum.

Neceſſitas huius gratiæ.

HIuſmodi gratiæ neceſſitas recte aſſignatur à noſtris Salmanticenſibus *in Arbore prædicamentali virtutum num* 169 quia videlicet gratia linguarum ſolum idiomatum, & verborum dat notitiam, & ita quia adhuc poterat remanere difficultas, & obſcuritas circa ſenſum illorum, propterea ſuperaddenda fuit noua iſta gratia *Interpretatio ſermonum* dicta, per quam mens illuſtretur ad intelligenda ea, quæ in dictis verbis obſcuritatem habent, ſiue propter res ſignificatas per ipſa, ſiue propter methodum, & modum loquendi, ſiue propter metaphoras, & figuratas locutiones.

Dupliciter contingit.

Huiuſmodi autem interpretatio duobus modis fieri poteſt, Vnus eſt, vt ſolum ad ſignificationem verborum referatur talius eſt, vt ad ſenſum & myſteria in verbis inclusa extendatur, Quia ergo vtroque modo eſt neceſſaria hæc gratia ad vtilitatem fidelium, ideo ſemper fuit in Eccleſia, etiam primitiua. Vnde Chriſtus id munus geſſit Luc. 24. dum dicitur: *Incipiens à Moyſe, & omnibus Prophetis interpretabatur in illis omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant*. Et infra diſcipuli dicebant: *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?* Et inferius. *Tunc aperuit illis ſenſum, vt intelligerent Scripturas*. Erant etiam interpretes ad id munus deſignati. Suarez *tom.1.de gratia prolegomeno 3. cap.5 num.55.* Horum autem interpretum officia, iuxta Cornelium *in epiſt.1. Pauli ad Corinth. cap.12.verſ.10, erant*, interpretari. *Primò, eos, qui in cœtu Eccleſiæ ex dono linguarum peregrina lingua prophetabant, vel hymnos canebant. Secundò, illos qui obſcura, & alta myſteria afflati Spiritu Sancto eructabant. Tertio, epiſtolas Sancti Pauli, & aliorum ad plebem ſuam miſſas, publicè exponere. Quartò, eas vertere in alias linguas ſicuti multi cenſent. Sanctum Clementem epiſtolam ad Hebreos, ex Hebreo in Græcum vertiſſe.*

Qui habuerunt hanc gratiam,

Hanc ſine dubio gratiam habuit in veteri teſtamento Prophera Daniel, dũ Daniel quinto, Balthaſſari Regi in cõuiuio lautè bibenti, *apparuerunt digiti, quaſi manus ſcribentis, in ſuperficie parietis, & ſcriptura erat: Mane, Thecel, Phares*; quam ſolus ipſe Daniel interpretari potuit, hoc modo: *Mane: numeravit Deus Regnum tuum, & complevit illud. Thecel: appenſus es in ſtatera, & inventus es minus habens. Phares: diviſum eſt Regnum tuum, & datum Medis, & Perſis*. Et 72. Interpretes, qui Sacram Scripturam ex Hebraico Idiomate in Græcum interpretando tranſtulere, ſpecialiſſima Dei prouidentia, imo prophetice, prout Cyrillus Hieroſolymitanus, Auguſtinus, Epiphanius, & alij ex antiquioribus, quos ex recentioribus plures ſequuntur, tradunt. Et in nouo teſtamento non ſolum Apoſtoli, ſed etiam egregij alij Eccleſiæ Doctores: quia ſine dubio neceſſaria erat pro nouis profertim fidelibus ad Chriſti gregem venientibus. Forſan etiam ille, cui, cum reuelatum eſſet Mauritium Imperatorem occidendum ſore, & priuandum Imperio ab eo cuius nomen à PH. incohabatur, per eum intel'exit Phocam, ex milite creatum Imperatorem, qui Mauritium trucidauit, ſed patientem, & gratias agentem Deo, ac dicentem: iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum. Baron. *ann. Chriſti* 602. ex aliis.

An per modum habitus

Credibile etiam in multis ſaltem illorum fuiſſe hanc gratiam per modum habitus: eo quod in humanis ſimilis interpretatio ſcripturarum per habitum aliquem effici ſoleat: & ita illud in præſenti admittunt Tannerus *diſp.1. de fide queſt.7. dub.6. num.56.* & Cornelius *in caput 12 primæ epiſtolæ ad Corinthios verſ.* 10. Quod maximè procedere videtur in iis, qui veluti ex officio, & permanenter tenentur aliis fidei Dogmata, Sacram Scripturam, vel Concilia interpretari ad ipſorum vtilitatem, quales ſunt Epiſcopi, Doctores, & Prædicatores Euangelici.

An detur peccatoribus

Poſſe etiam conferri peccatoribus, eſto quod regulariter ſolum iuſtis conferatur, ac proinde ex hoc dono nullum veræ ſanctitatis indicium, maximè ad

Digitized by Google

Canonizationem, vel Beatificationem Sanctorum deseruiens elici posse; eo quod prę-ijs causis veram, & solidam sanctitatem Ecclesia requirat pro comperto omnibus esse, Sic colligo ex Fortunato Scaccho de not. & sign. sanctit. sect. 8. cap. 5. 3. videndum nunc. Quod maxime roboratur ex eo, quod dęmonum ope aliquando Magos obscuras scripturas interpretatos fuisse constat. Vt enim ait Socrates lib. 4. cap. 15. cum Valens Imperator Negromanticum quemdam interrogasset, quis post se regnaturus esset, respondit, fore illum, cuius nominis primę litteræ sunt, Theod (indicabat dæmon Theodosium Imper.) Quare Valens omnes qui Theodori, vel Theodosij, vel Theoduli vocabantur, occidi iussit. Ad quod deseruiant quę q. 3 annotauimus ex vita Sancti Norberti apud Surium sexta Iun. nempe diabolum idiotas quoddammodo *falsa sua illusionis sapientia repleuisse, vt qui prius in choro vix legere nouerant, iam exhorti magna quędam interent*, idest interpretarentur, vel explanarent. Quod idem intelligo de eo qui dicitur eodem loco, quod *Danielis Prophetiam se scire asserebat, & de ea quasdam, dure mendacio, loquamur*. Ac de Anabaptistis sumptione potus, vel cibi scripturę magnam partem edissentibus, Diabolo doctore, vt eo loco dixi, ex Martino Delrio. Signa porro huiusmodi interpretationis ex diabolica arte profectæ, sunt, vt idem Fortunatus eo capite subiungit: primum, si talem facultatem interpretandi, nullo studio quis comparauit: necessario enim ab aliquo spiritu bono, vel malo illi proueniet, etsi non constat ipsius vitæ probitatem oppositum postulare, à maligno spiritu verendum est id prouenire. Secundum, ex fine talis facultatis interpretatiuę: si enim fuerit ad Dei contemptum, damnum proximorum, subuersionem Religionis; Sacrorum Canonum, & dogmatum; ad lucrum denique populorum, auram, gratias Principum, aut aliquod aliud bonum temporale, procul omni dubio causam, atque auctorem diabolum agnoscere possimus. Tertium, si talis facultas solum ipsis competere cernatur statis solum diebus, vel horis; ijs, vel illis cæremonijs, aut ritibus, vel similibus circumstantijs, in suspicionem diabolicæ fraudis venire possumus, quia Pytonissarum mos talis antiquitus erat.

Quod tamen minime obstat, quod in egregiæ famæ Dei seruis talis gratię indicia pro ipsorum Canonizatione ipre deseruire possit. Sic animaduerto, quod in Bulla Ioann. 22. pro Canonizatione Sancti Thomę Aquinatis in 1. tom. Ballar. noui pag. 175. notatur verba illa Psalmi. 103. *Rigans montes de superioribus suis de fructu operum tuorum satiabitur terra*, ab eodem Sancto Doctore de se ipso ex diuina reuelatione interpretata dici.

Annotatio

Quamuis autem, cum donum hoc, seu gratia *interpretationis sermonum*, omnino sit supernaturalis, à Deo hominibus concessa, quando, & eo modo quo sibi placet, regulis aliquib' alligata non sit; quia tamen potest illam Deus mediis aliquibus naturalibus documentis vtendam communicare, placuit aliqua in medium proferre pro obscurarum scripturarum interpretatione vtilia. Primum, id sit, quod cum huiusmodi obscuritas pleramque ex tropis, & figuris quibus scriptura scatet prouenire soleat, ideo solum ab eis, qui huiusmodi stigmata perfectè calleant hoc munus assumi debeant, alias liber ille pro ipsis veluti signatus, & clausus habendus, qualis erat ille de quo Isaię cap. 29. dicitur, *Hę verba libri signati, quem cum dederint scienti litteras, respondebit non possum, signatum est enim*. Vnde Origenes homil. 13. in Numeros, *Signatus liber dicitur pro eo quod figuris perplexus, est, & ænigmatibus inuolutus*. Secundo, huiusmodi obscuritatem sępius non ex tropis, figuris, aut ænigmatibus, quibus scriptura perplexa fit oriri, sed ex inuersione, seu commutatione litterarum alphabeti, vnam videlicet pro alia commutando. Sic enim Iulius Cæsar, Authoribus Suetonio, & Dione Casio in ipsius vita, litteras sic numerabat, vt pro qualibet non ipsam, sed quæ quarto sequebatur loco assumeret, videlicet D, pro A, & E, pro B. Augustus autem, testibus eisdem Suetonio, & Dione, ac Diuo Isidoro lib. 1. Ethimologi. cap. 25. alias sua tegebat cõsilia, vt scilicet pro A, B, pro B, C, & sic de cæteris sumeret. Est quoque tertio, alia scripturarum obscuritas non alio modo, nisi quod pro dictione assumatur prima litera initialis, qualis est familiaris illa Romanorum inscriptio S. P. Q. R. idest, *Senatus, Populusque Romanus*. Et in titulo, qui superponitur Crucі Christi, I. N. R. I. *Iesus Nazarenus Rex Iudæorũ*.

Alia

Et

Et illa, apud Patres Iesuitas familiaris A.M.D.G. ideſt : *Ad Maiorem Dei Gloriam*, quæ Symbolum Sancti Ignatij de Loyola eorum Fundatoris dicitur fuiſſe. Quarto, alia obſcuritas eſt, quando ſingulæ litteræ ex quibus vox aliqua conſtatur, & conſtat pro dictione aliqua integra ſupponuntur. Quomodo quatuor litteræ quæ componunt, nomen A D A M, totidē voces indicāt quæ quatuor mundi plagas oſtendunt. Ita Auguſt. in tract. 9. ſuper Ioannem. Cyprianus in tract. de Sina, & Sion, Beda in commentariis ſuper Ioannem. Sic etiam nonnulli, quibus fauent Alexander Angelus in ſumma par. 6. cap. 33. & Cornelius in caput 5. Danielis cap. 5. verſ. 8. explanare videntur nomen ROMA per ſingulas litteras ſic explicando, videlicet ſit ; quod RADIX OMNIVM MALORVM AVARITIA. Sed hæc, etſi Romæ Ethnicæ applicari queant, quæ Orbis totius gemmas, aurum, argentum, & lapides pretioſos ſibi accumulauit, non tamen Romę Chriſtianæ ſub Chriſti Vicariis, qui quātum poſſunt, litteris, diplomatibus, pœnis, & ſuppliciis hoc vitium deteſtantibus, & grauiſſimè punientibus contra ipſum procedunt, prout à paucis annis in Innocentio Decimo viſum fuit, & in Sanctiſs. Alexandro VII. Eccleſiæ clauum nunc fœliciter moderante conſpicitur.

Quæſtio vndecima.

An gratiæ gratis datæ ſolum hominibus virtutes heroicas habentibus concedantur.

Annotatio

QVæſtioni iſti anſam præbent ea, quę in præcedentibus diximus de huiuſmodi gratiis gratis datis, videlicet, quod licet ſpectata natura ipſarum concedi à Deo poſſint omnibus hominibus etiam peccatoribus ; ita vt in hoc etiam verificetur illud Ioann. 3. *Spiritus vbi vult ſpirat*, Et illud 1. Corinthiorum 12. dum agitur de huiuſmodi gratiis gratis datis : *Hæc omnia operatur vnus, & idem ſpiritus diuidens ſingulis prout vult.* ſpectatæ tamen iuſtiſſima, & ſuauiſſima Dei prouidentia regulariter loquendo, ſolum cōcedantur hominibus eximię ſanctitatis, & virtutis. Propterea enim quærimus an iſti, quibus concēduntur, adeo eximiæ virtutis, & ſanctitatis eſſe debeant, vt heroicis virtutibus ſint pręditi, ita vt ſolum à Deo concedantur hominibus illas habentibus.

Ethimologia

Pro quo primò, ſupponendum quo ad ethimologiam nominis *Heroicas*, quod licet circa ipſam ſint varia authorum placita, de quibus Tarquinius Galliucius in cap. 1. lib. 7. Moral. Ariſt. quæſt. 1. Nihilominus duas ex ipſis congruentiores videri, & ad intentum præſens aptiores. Prima eſt dicentium virtutes iſtas *heroicas* appellari ab *era* græcè, quæ eſt Iuno, Gentilium Dea ; à qua voce præclariores in Republica viri *Heroes* dicebantur, Diuus Auguſtinus *lib. 10. de Ciuitat. cap. 21.* Ethimologiæ autem cauſa etiam erat, quod nimirum aer Iunoni à veteribus dicatus eſſet, & *Heroas* nimirum animas illorum, qui alicuius meriti in Republica conſerentur, aerem incolere vereres arbitrarentur ; quamobrem à Regione, quam inhabitabant vocabulum ſortitos fuiſſe putabant ex Pythagoricorum ſententia. Sic ex Hierocle Fortunatus Scacchus *de not. & ſign. ſanctit. ſect. 2. cap. 4. §. at qui iam*. Secunda eſt aientium deriuari à voce græca *Erotis* id eſt, *amor*, ve l quia Heroes ex mutuo deorum, & hominum amore orti veteres crediderunt vel melius, quia Heroes iſti diuino flagrabrant amore, & ad Deum amandum alios prouocabant. Sic ex Hierocle, Fortunatus ſupra. Heroes autem illos illos fuiſſe, quos veteres *Semideos*, ideſt dupliçi permixtos genere, humano ſcilicet, & diuino lemine fabulabantur, Plura etiam de illis ſcribens late ſupra diſſ. tit Tarquinius.

Diuiſio virtutis heroicæ

Diuiditur autem virtus heroica in *Poeticam*, *Philoſophicam*, & *Theologicam*. Prima eſt, qua Poetę canunt prędictos fuiſſe illos, quos *Heroes*, aut *ſemideos* appellant : *Philoſophica*, ea, de qua Ariſtoteles Plotinus, Macrobius, & alij Philoſophi ſcripſerunt ; *Heroes* appellantes viros eximios in virtutibus naturalibus, & moralibus ; *Theologica* vero ea, quæ à Theologis conſideratur, quia videlicet per ipſam in Deum, vt finem ſupernaturalem modo excellentiſſimo homines tendunt. De hac diuiſione Tarquinius ſupra.

Omiſſa

Digitized by Google

Virtutis heroicæ definitio.

Omissa autem virtute heroica *Poetica*, quia illa ficta omnino est, & chimærica, vtpote magna falsem ex parte in peccatis fundata, loquendo de *Philosophica*, & Theologica, dicendũ, posse definiri hoc modo in communi loquendo: *Est virtus excellentissimo modo naturam excedens, ad Dei similitudinem accedens, & quodammodo diuina*. Hęc definitio, quod attinet ad primum, excellentissimum modum, ab omnibus admittitur; propterea enim vocatur *heroica*, quod denotat istam præexcellentiam. Sumitur etiam ex dictis Diu. Thom. 1. 2. quæst. 54 articulo 3. & quæst. 61. artic. 5. & 3. p. q. 7. artic. 2. ad 2. & in cap. 5. Mathæi sup. illa verba *Beati pauperes spiritu*, & sup. Ethic. Arist. lib. 7. lect. 1. Quod sit *naturam excedens* sumitur ex ijs quę dicit idē S. Th. *in c. 5. Mathæi* relatum, Quod vero sit *ad Dei similitudinem accedens*, ex loco relato ex 1. 2. eo art. 5. in corpore, & relato cap. 5. Mathęi. Quod denique *quodammodo sit diuina*, id dicit cum Aristotele locis relatis ex 3. p. & ex 1. 2. q. 54. artic. 3. & ex 1 Ethic. Consonant etiam huic definitioni Macrobius, & Plotinus à Diu. Thom. eo loco ex 1 2. quæst. 61. relati. Maximè etiam ipse Aristoteles loco relato, vbi non solum virtutem Heroicam appellat *diuinam*, sed de hominibus, in quibus reperiuntur dicit esse *Deos*. Adhęrent etiam Aspasius Ephesinus in commentario ad Aristotelem dum ait: *Heroica vero, & diuina hæ virtus est. cum omnem virtutem supra omnem hominem exercet quispiam*. Rursusquoque: *Huiusmodi autem virtus hominibus conuenit, qui vel cum Deo tam uniti, dij quoque ipsi adoptione effecti sunt; vel sanctarum, virtutum operationi cæteris omnibus antecellunt. Heroica appellata, eo quod heroibus. idest semideis propria cum sit, naturam humanam excedere, atque ob id admiratione maxima digna esse videatur*. Et Piccolomineus in oper. de moribus gradu 6 c. 2. inquiens. *Heroes sunt illustres homines, qui per eximiam aliquam virtutem, conditionem sunt adepti super humanam refulgentem, per quam vel præclaram ducunt vitam, vel vitæ functi per ora hominum celeberrime circumferuntur. Hi dicuntur supra hominis conditionem eleuari, quia (vt homini licet) deijs similes præstiterunt*. Tarquinius etiam superius citatus ait. *Heroes ea virtute præditos esse, quæ non omnino diuina esset, sed, quæ tamen humanam vincret omnem, ac prope diuinam videretur attingere*. Fortunatus etiam supra ex Diu. Bonauentura afferens, quod habitus heroici *faciunt hominem proximum Deo, & conformem ipsi gloriæ summæ*. Consonat Augustinus Niphus in opusc. de sanctitate lib. 1. Eustratium sequens. Accedit noster Chrysostophorus Siluestranus *in 4. sent. dist. 49. pag. 15.* vbi loquens de virtute præstantissima secundum mentem Aristotelem, inquit: *Perfectissima virtus dicitur esse virtus heroica, id est, diuina, quæ bestialitati, & immanitati opponitur, & qua bono viuit secundum rectam rationem, & sit Dei puer*. Idest, vt expono, Deo familiaris, & coniunctus.

Heroicitas.

Ex quo dicendum secundo, Heroicitatem formaliter consistere in quodam fulgore, perfectione, eminentia, seu excellentia quadam, forme diuina, virtutis, qua naturam excedit, & ad Dei similitudinem, quatenus homini possibile est, accedit. Sic enim colligitur ex definitione tradita, & authoribus relatis: imo, id, vt Fortunatus sup. ait: *Quot quot de virtute heroica tractant affirmant*. Tarquinius etiam supra quæst. 2. de ipsa ait, quod sit *fulsiquam quoddam, apexque virtutis, quem plerique virtutis eminentiam, & fulgorem appellant*, Si aũt viterius quis quærat in quo hũodi *fulgor, perfectio, eminentia*, seu *excellentia* posita sit, præterquam inferius cum de ipsis virtutibus heroicis in particulari dicetur, explicabitur, nunc dicimus explicari posse veluti à priori, tum ex singularitate extraordinaria ipsius, vt enim Tarquinius *in cap. 1. lib. 7. Aristotel Ethic. quæst. 2.* ait importat *insuspitam excellentiam, & veluti exuperantiam quandam*; tum ex superexcedentia supra communes alias virtutes eiusdem etiam generis. Vide Cabrera in *3. par. Sanct. Tom. quæst. 7. artic. 2.* inquit ecelsitudinẽ secundum quã virtus heroica distinguitur à virtute communi non attendi *tantum secundum intensionem, sed etiam secundum accidens quoddam diuinum, quo præstat virtuti communi*. A posteriori vero ex eo quod præ aliis virtutibus fortius, & vehementius rapiat homines in sui admirationem. His enim de causis Abrahæ fidē, Isaac obedientiam, Ioseph castitatem, & Eliæ zelum in veteri testamento, & plures alias virtutes Sanctorum in nouo, omnes inter heroicas virtutes computandas censent. Hæc autem, præter dicenda etiam inferius, tobur accipiunt

ex

ex præci Sanctæ Sedis Apostolicæ circa inquisitionem virtutum pro Canonizatione, seu Beatificatione Sanctorum.

Tertium dictum

Nunc tertio dicendum consequenter ad dicta, heroicam virtutem non esse aliquam specie distinctam ab aliis virtutibus, sed esse omnem, & quamcunque virtutem, quatenus importat illam fulgorem, illam excellentiam, seu eminentiam, naturam humanam excedentem, & ad similitudinem diuinæ velati accedentem. Hic est communis sensus Doctorum, pro quo Tarquinius *in cap 3 lib 4 moral. Aristotelis quæst. 2. §. de virtute vero*, aliquos refert, & in primis Gualt. Burleum in 7. *Ethicor. Arist.* dicentem: *Notandum circa virtutem heroicam, quod ipsa non est specie distincta à virtutibus communiter dictis; scilicet à fortitudine, mansuetudine, temperantia &c. nam in specie cuiuslibet virtutis super excellentia supra communem modum est virtus heroica.* Iungo Eastratium atentem: *Si quis fiat fortis super omnem fortem, eius fortitudo est fortitudo heroica, & diuina: & si aliquis fuerit temperatus vltra omnem temperatum, eius temperantia est temperantia heroica, & sic de aliis speciebus virtutis. Vnde in qualibet specie virtutis moralis est reperire virtutem heroicam, vt liberalitatem heroicam, mansuetudinem heroicam.* Et Augustinum Niphum supra Eastratium sectantem. Ac Aspasium Ephesinũ supra, dum dicit: *Heroica verò & diuina hæc virtus est cum omnem virtutem supra omnem hominem quemcumque quispiam: siquis enim supra omnes iustos iustitia præditus fuerit, omnes fortes fortitudine supra omnes temperantes, temperantia, is heroicam, & diuinam virtutem habere non immeritò dicetur.* Lambinũ in Scholijs ad caput 1. libri 7. moral. Aristotelis, dicentem: *Heroicæ virtutes non differunt ab humanis virtutibus, præterquam sola excellentia: proinde quot sunt species humanarum virtutum, totidem, & heroicarum: erit igitur fortitudo heroica, temperantia heroica &c.* Colligitur etiam ex communi sententia DD. discrimen virtutes politicas, purgatorias, & purgati animi, (in quas diuiduntur virtutes Cardinales, iuxta Plotinum Philosophiæ Principem, quem sequitur Diu. Thom. 1. 2. quæst. 61. artic. 5.) non differre essentialiter, sed solum accidentaliter, secundum diuersos status; ita vt vna numero virtus in principio dicatur *politica*, in profectu vocetur *purgatoria*, in consummatione autem vocetur *purgati animi*, seu (quod idem est) *heroica*. Quia videlicet, vt Plotinus dicebat, & Diu. Thom. affert eo art. 5. ad 2. passiones *politicæ virtutes molliunt, ideſt ad medium reducunt: secundæ, scilicet purgatoriæ auferunt: tertiæ, quæ sunt purgati animi, obliuiscuntur.* Ex hoc enim sequitur heroicã virtutẽ non esse aliquã specie distinctã ab aliis virtutibus, sed esse quamcunq; virtutem, quatenus importat illam perfectionem, seu eminentiam quam diximus. Ita ex Diu. Tho. ex 2. par quæst. 7. artic. 2. ad 2. dum dicit: *Habitus heroicus, vel diuinus, non differt à virtute communiter dicta, nisi secundum perfectiorem modum.* Quem modum esse illum *animi purgati*, de quo loquitur Plotinus, indicat immediate ipse Sanct. Doctor, & ex eo colligunt Conradus, & Salmanticenses relati. Et ex Scoto in 3. dist. 35. in fin. dicente, quod Aristoteles *in omni virtute assignat quatuor gradus, qui sunt eiusdem habitus in specie, scilicet perseuerantiam, continentiam, temperantiam, & heroicam.* Vnde concludit: *Perfectissima igitur virtus in eadem specie manens est heroica.* Et ita Conradus circa quæst. 54. artic. 3. in 1. 2. Sanct. Thom. colligit, Scotam idem sentire cum Sanct. Tho. Adhærent etiam Caietanus 2. 2. *quæst.* 138. & 3. *par. quæst.* 7. *artic.* 2. Conradus loco citato, *& in eadem prima secundæ quæst.* 61. *artic.* 5. Cabrera in 3. par. Sanct Thom. quæst. septima articulo secundo dicens: *Virtutem heroicam non differre à communi differentia specifica, sed tantum accidentali secundum magis, & minus perfectum in eadem specie.* Didacus Aluarez circa eam quæst. 61. artic 5. *disp* 106. Gregor. Martinez *dub* 1. Salmanticenses ibidem, & Tarquinius Gallaccius *in cap.* 1. *lib.* 7. *Ethicor. Aristotel. quæst.* 2. & *cap.* 3. *lib.* 4 *quæst.* 2.

Probatio ex rationibus

Efficaciter etiam rationibus probatur hoc assertum. Prima est, quia neq; in Patribus Aristotele, Philosophis antiquis, aut Sancto Thoma, inuenitur talis limitatio, aut coarctatio, vt scilicet ratio virtutis heroicæ alligata sit alicui virtuti in specie: imo generaliter loquendo, oppositum videtur manifestum: cum excellentia, seu eminentia illa, in qua diximus heroicitatem consistere, reperiri suo modo possit in qualibet specie virtutis; nec sit maior ratio quare

re in vna, & non in alia reperiri dicatur. Secunda, quia ex communi ſententia DD cum Diuo Thoma prima 2. quæſt. 67. virtutes morales, & Theologicæ (fide, & ſpe exceptis) eædem ſpecie, quę fuerunt in via manent etiam in patria in Beatis: cum ergo in illis non maneant niſi virtutes heroicæ, quia hoc pertinet ad perfectionem illius ſtatus, neque in illis ſint virtutes politicæ, aut purgatoriæ, ſed ſolum purgati animi, propter eamdem rationem, manifeſtè ſequitur heroicitatem eſſe perfectionem veluti traſcendentem, quæ competere poſsit cuilibet virtuti ſecundum ſuam ſpeciem. Tertia, quia ſimiles virtutes, & eiuſdem ſpeciei, ac illæ, quæ reperiuntur in puris hominibus, fuerunt etiam in Chriſto Domino, vt dicetur in tractat. de gratia Chriſti. Cum ergo in illo fuerint in gradu heroico, & depuratæ ab imperfectionibus, quas habent in puris hominibus, propter paſſiones v.g. inordinatas ipſorum, rectè ſequitur heroicitatem poſſe competere cuilibet virtuti ſecundum ſuam ſpeciem: ita vt propterea virtus heroica, vt talis eſt, non diſtinguatur ſecundum ſpecie, niſi ſolũ accidentaliter ab alijs virtutibus.

Obiectio. Eſt tamen contra hoc obiectio deſumpta ex Ariſtotele cap. 1. illius libri 7 *Ethicorum*, vbi heroicam virtutem conditinguit à feritate, ſeu beſtialitate: cum enim feritas ſit ſpeciale vitium ab alijs vitijs diſtinctum, etiam virtus heroica ſpecialis virtus erit diſtincta ab alijs virtutibus, & non veluti perfectio per illas vagans. Reſpondeo tamen nomine *feritatis*, ſeu *beſtialitatis*, quam Ariſtoteles ait eſſe vitium contrarium virtuti heroicæ, non intelligere vitium ſpeciale *feritatis*, aut *beſtialitatis*, quia videlicet *feritas* iſto modo eſt vitium ſolum oppoſitum *clementiæ*, & *beſtialitas* vitium oppoſitum *caſtitati*. Sed nomine *feritatis*, & *beſtialitatis* intelligere congeriem, ſeu aggregationem vitiorum, quæ faciunt hominem ferinum, veluti belluam, & beſtialem; ideſt adeo deditum bono delectabili, & ſenſibili, vt nunquam de Deo curet, quemadmodum beſtiæ, & belluæ faciunt: & hanc vitiorum congeriem, ſeu aggregationem rectè dicit Ariſtotelis eſſe contrariam virtuti *heroicæ*, quia ſcilicet virtus *heroica* in quacunque ſpecie virtutis ſit, non quærit de rebus terrenis, & ſenſibilibus, ſed, vt diximus in ſuperioribus, naturam humanam excedens ad diuinam, quodammodo accedere facit, faciens illum *Dei patrum*, vt vidimus ſupra ex noſtro Silueſtrano.

Probatio Colligo hanc doctrinam ex D Tho. *de virtutibus quæſt. 5. de virtutibus Cardinalibus articulo primo*, vbi diſtinguẽs in homine duas vitas vnam ſẽſitiuam, in qua conuenit cum brutis; aliam ſpeculatiuam, ſeu contemplatiuam, in qua conuenit cum Angelis, dicit: *Vita contemplatiua non eſt proprie humana, ſed ſuperhumana; vita autem voluptuoſa, quæ inhæret ſenſibilibus bonis non eſt humana, ſed beſtialis*. Colligo etiam ex Nipho ſuperius relato; & ex Piccolomineo *de morib. de virtut. heroica gradu 6. cap. 2.* vbi loquens de viris heroicis, de quibus Ariſtoteles illo capite ait: *Hi dicuntur ſupra hominis conditionem eleuari, quia (vt homini licet) ſe Dijs ſimiles præſtiterunt. Dicti ſunt duce, re genus à Dijs: primò vt denotetur abſque diuino afflatu non licere homini ad diuina eleuari: inſuper vt pateat ex ſola eximia diuinorum dilectione, quaſi ex ſuperanti Charitate flagrantique deſiderio boni, & honeſti, præclaras, ac generoſas hominum actiones prodire*. Loquens autem de hominibus efferatis, ſeu beſtialibus, Heroibus oppoſitis, ſic ait inferius. *Generi Heroum opponitur id genus efferatorum hominum, qui ob conſpituam eorum depreſsionem, ac depranationem, ex homine, & ferafiguntur vti; quales ſunt homines illi; qui perperam educati; deteriores euadunt feris, vt inquit Ariſtot. in primo de repub. Ac vt Heroici viri parentes proximi nil aliud ſunt, niſi mens ad diuina conuerſa, & ius ſentiendi, apprehendendique purgata, & cum mente conformata: ita parentes viri efferati ſunt ſenſus, & appetitio, quaſi fera ad ſola terrena propenſa, quæ ſibi rationem, & mentem penitus manciparunt*. Interius quoque quinam ſint huiuſmodi efferati homines affert ex Proclo *in lib. de anima, & dæmone* hæc verba: *Quidnam admiraris, multos quidem per vitam eſſe lupos, multos porcos, plurimos autem alia quadam bruti ſpecie circumfuſos, cum terrenus locus Circes ſit diuerſorium, animæque multæ ob immoderatam concupiſcentiam venenoſis ineſcatæ ſint poculis? Illud potius admirare ſi qui inter mortales vſquam reperiantur huiuſmodi potionibus permulcti non etiam irretiti*. Ex his enim rectè elicitur *feritatem*, ſeu *beſtialitatem*, à qua denominantur illi homines ferini, efferati

rati,seu bestiales adhuc secundum Aristotelem non denotare aliquod particulare vitium, sed congeriem illorum, quæ homines veluti bestias reddunt.

Dubium

Adhuc tamen restat difficultas contra dicta. Si enim virtus *heroica* est illa, quę ad actus heroicos supra naturam eleuatos, & ad Dei similitudinem accedentes, hominem euehit, sequitur esse eandem virtutem cum magnanimitate, quę etiam ad actus heroicos hominem inclinat, iuxta dicta supra *disp. 2. quæst. 2.* Sed respondeo ex Tarquinio supra in cap. 3. lib. 4. Ethic. Arist. vbi multa circa hanc obiectionem, negando consequentiam: etenim valde, multumque differt virtus heroica à *magnimitate*. Primo, quia *magnanimitas* est virtus specialis, & *non innuadit in aliarum virtutum fines*, at vero virtus *heroica* non est specialis virtus, sed importat modum excellentiæ, qui cõuenire potest aliis virtutibus: eo quod, vt idem Tarquinius inquit. *Inuenitur heroica fortitudo, temperantia, liberalitas, cætera etiam virtutes.* Secundo, quia *opus magnanimitatis à multis existimatur hominibus, nec vulgo diuinum appellatur*; actus autem heroici non ita, & à vulgo censentur veluti diuini. Tertio, & maximè, quia obiectum formale magnanimitatis est honor ipsius magnanimi; propter ipsum enim elicit suas operationes: at verò obiectum formale virtutis heroicæ est magna honestas in Deum relata, & ad ipsius similitudinem valde accedens.

Dubium

Nunc iam specialiter videndum, quibus virtutibus heroicitas competere possit: & cum inter illas aliq; sint morales, ad quatuor principales, scilicet Cardinales, reducæ, aliq; Theologicæ; & inter morales, aliæ naturales, & adquisitæ, aliæ supernaturales, & infusæ: virtutibus etiam Theologalibus valde proxima sint septem dona Spiritus Sancti, ideo de singulis speciatim dicendum.

Responsio

Et primo, quod attinet ad virtutes morales adquisitas, seu naturales dicendum, heroicitatem ipsis competere posse. Est veritas certa, quæ primo colligitur ex Aristotele eo *cap. 1. lib. 7. Ethic.* Cum enim eo loco admittat heroicitatem in virtutibus, manifestum est eam admittere in virtutibus moralibus naturalibus; siquidem nullas alias ipse cognouit. Colligitur etiam ex Plotino, qui, vt vidimus, inter virtutes morales naturales (quas ipse solum agnouit) quæ sunt circa passiones, constituit tria genera virtutum, quas appellat *politicas, purgatorias, & purgati animi*, ita vt politicas dicat illas, quæ *passiones moliunt*; & *purgatorias* eas, quæ ipsas *auferunt*; at vero *purgati animi*, illas, quę ipsas *obliuiscuntur*, ideſt, ablatas supponunt. Etenim per posteriores istas *purgati animi* manifestè intelligit *heroicas*, vt colligitur ex Diu. Th. loco relato ex 3. par. quæst. 7. artic. 2. ad 2. vbi loquens de virtutibus heroicis, per illas intelligit eas qua Plotinus vocat *animi purgati*, vt ex eo colligunt Conradus, & Salmanticenſes in 1. 2. quæst. 61. artic. 5. Colligitur quoque tertio ex eodem Diu. Thom. referente, & approbante Plotini doctrinam ea quæst. 61. artic. 5. ad 2. & loco relato ex 3. par. Quarto ex Lyrano, qui in Pſ. 133. omnium Clarissone per virtutes *animi purgati* intelligit *heroicas*. Denique ex authoribus relatis in superioribus, scilicet Burlęo, Eustratio, Aspasio Ephesino, Lambino; & ex recentioribus Conrado, Caietano, Aluarez, Martinez, & Salmanticenſibus, & Tarquinio. Quibus etiam accedunt Suarez in 1. 2. *de virtutib. disp. 3. sect. 5. num. 2.* dicens sicuti *purgati animi* esse virtutem *heroicam*, & Fortunatus Scacchus in superioribus relatus §. *diximus* inquiens hoc *communiter* dici: cum enim certissimum sit virtuti morali adquisitę competere posse esse virtutem *purgati animi*, sic, & posse esse *heroicam*. Fauet & Valentia *tom. 2. disp. 5. quæst. 4. punct. 3. S. secundo obseruandum.* Ratio etiam id suader, cum cõstet plures ex Sanctis exercuisse actus heroicos, ideſt excedentes, & superantes communem modum virtutum, & metas naturæ, circa materiam virtutum moralium; qualiter Ioseph fecit in materia castitatis, quę pertinet ad temperantiam, nolendo carnaliter commiscri cum vxore sui domini, quæ illum ad id valde sollicitabat; & qualiter multi faciunt in materia abstinentiæ, & ieiunii, vt constat ex dictis quæst. 6. & fecerunt plures Martyres, etiam fœminę, in materia fortitudinis, se ipsis in tormenta iniiciendo, vt de Sancta Apollonia legitur. Actus enim heroici ad virtutem heroicam spectant. Confirmatur, quia nullus negabit, quin circa materias harum virtutum dentur virtutes illę, de quibus superius diximus, vocari *purgati animi*: sed huiusmodi virtutes necessario sunt heroicæ, quia

quia sunt supergredientes, & superantes metas virtutis communis, quę ad tantam perfectionem non pertingit: sunt quoque rarę, extraordinariæ, & singulares, solum in paucis hominibus reperibiles, ac proinde etiam omnibus admirabiles: ergo vere heroicæ: nec enim aliæ notæ sunt ad virtutes heroicas inuestigandas, nisi istæ. Vlterius, quia etiam propter huiusmodi virtutes naturales, & adquisitas distinguuntur tres illi gradus hominum virtuosorum à PP. & DD. assignati; scilicet *incipientium, proficientium, & perfectorum*: sed istis gradibus correspondent illi virtutis *politicæ, purgatiuæ, & purgati animi*, vt docet Lyranus in Psalm. 133. ergo quemadmodum in virtutibus naturalibus adquisitis dantur virtutes *animi purgati*, sic etiam *& heroicæ*.

Obiectio

Nec dicatur, hęc tantum probare de virtutibus moralibus, quæ sunt circa passiones, quales sunt fortitudo, & temperantia, imo etiam prudentia; non vero de iustitia, quæ est vna etiam ex virtutibus moralibus, & inter illas valde excellens, quia non versatur circa passiones, sed circa actiones, vt Schola Theologorum, & Philosophorum fatetur: ac perinde in ipsius materia non poterit dari illa quæ dicitur *purgati animi*, nec ipsa poterit habere rationem virtutis heroicæ. Hic enim philosophandi modus contrarius est non solum Aristoteli, qui generaliter, & indistincte de virtutibus, quas ipse agnouit, scilicet moralibus naturalibus, in eis heroicitatem reperiri dixit: sed & Diuo Thomæ, qui prima secundę quæstione 61. articulo quinto clarè ponit in hominibus iustitiam *purgati animi*, illa videlicet, quæ *cum diuina mente perpetuo fœdere sociatur, eam imitando*. Præterea, etiam contra alios Philosophos, vt constat ex iis, quę ex Aspasio Ephesino, & Lambino in superioribus attulimus. Denique, quia, vt diximus *tomo præced. Tract. 4. disp. 5. quæst. 2.* etiam iustitia est aliquo modo, scilicet minus principaliter, & quasi per accidens, circa passiones moderandas. Si enim quis ex passione iræ velit committere homicidium; vel ex passione concupiscentię adulterium; aut ex amore pecuniæ furtum, certe ad *iustitiam* pertinebit moderari has passiones. Vnde Picolominеus supra cap. 4. maximè collocat heroicitatem in virtute iustitiæ. Et quia in illa fulserunt Rhadamantus Rex Lyciæ, & Minos Rex Cretæ, propterea dicit Heroes habitos fuisse.

Alia.

Nec etiam dicatur, vt videtur dicere Seacchus *§. nobis verò*, imo, & Niphus supra adductus, hæc omnia tantum probare huiusmodi virtutes morales adquisitas capaces esse heroicitatis; non quidem secundum se, sed quatenus à Charitate imperati possunt in finem eiusdem Charitatis. Hoc enim parum vrget: etsi namque loquendo de heroicitate supernaturali, Theologica, & meritoria præmij supernaturalis, gratiæ, & beatitudinis, ea non competat virtutibus moralibus naturalibus, nisi ex imperio Charitatis: at vero loquendo de heroicitate naturali, philosophica, & meritoria præmij naturalis proportionati ipsi, hæc etiam competit virtutibus moralibus naturalibus, vt sufficienter probatum manet.

Alia.

Adhuc tamen obiici potest contra dicta de virtute *purgatoria*, videlicet, eam esse quę auferat passiones, & de virtute *purgati animi*: scilicet, eam esse quę illas ignorat, prout Diu. Thom. sequens Plotinum dicit, hoc est, quod supponit eas iam ablatas. Etenim contra hoc est, quod passiones istę sunt homini naturales, quia sunt actus appetitus sensitiui, & ita fuerunt in Christo, siquidem de tristitia ipse dixit Math. 26. & Marc. 14. *Tristis est anima mea vsque ad mortem*; & de timore dicitur Marc. 14. *Cœpit pauere, & tædere*: non ergo possūt auferri per virtutes *purgatorias*, aut *purgati animi*. Sed respondendum cum Diu. Thom. dicto *artic. 5 quæst. 61. in solut. ad 2.* Conrado ibid. Almarez supra, & Salmanticensibus *supr. num. 7.* per huiusmodi virtutes auferri passiones, non quidem ordinatas, & conuenientes naturæ, sed *inordinatas, & perturbantes* rationem: quas Picolominеus supra cap. 7. dicit esse *vehementioris perturbationis feritatem constituentis*. Alias enim passiones in hominibus etiam perfectis reperiri recte probat idem Picolominеus ex Diuo Augustino 14. *de Ciuit. Dei cap. 9.* ibi. *Ciues sanctæ ciuitatis, in huius vitæ peregrinatione secundum Deum, viuentes metuunt, cupiunt, dolent, gaudent, & quia rectus est amor eorum, has omnes affectiones rectas habent*, & docet Diu. Thom. quæst. 59. artic. 5.

De virtutibus infusis

Loquendo autem de virtutibus moralibus infusis, & supernaturalibus, etiam in eis admitti debet hæc excellentia heroicitatis. Ita colligitur ex

Diu. Thom. 1. 2. quæſt. 54. artic. 3. corpore. Has enim virtutes, & Theologicas, vocat ibi *virtutes diuinas*, *& heroicas*, prout eum exponit, & ſequitur Conradus ibidem. Idem ſupponit Caietanus 1. 2. *quæſt.* 61 *artic.* 3. Medina in expoſitione litteræ Sancti, Th. *quæſt.* 54. *artic.* 3. ſequitur etiam Valentia ſupra relatus, & clarius Salmanticenſes *ſupr. num.* 4. ac fauet Tarquinius loco relato *ſup.* 7. *lib Ariſt. Ethic. cap.* 1. *quæſt.* 2. Ratio eſt, primò, quia contra rationẽ omnino videtur quod virtuti perfectiori, & excellentioti eiuſdem generis, & eiuſdem materiq non conueniãt, aut ſit capax habendi eã per fectionem, fulgorem, eminentiã &c. quę cõperunt virtuti inferioris ordinis, eiuſdem generis, & materiæ: ſed fortitudo, & temperantia adquiſitæ ſunt capaces heroicitatis; ergo etiam fortitudo, & temperantia infuſæ; cum ſint eiuſdem generis, ſaltem ſubalterni, & verſentur circa eandem materiam. Secundo, quia huiuſmodi virtutes morales infuſę in aliquibus inſtis imperfectis admittunt paſsiones, ita vt proportionaliter ad virtutes morales adquiſitæ poſsint dici *politicæ*; in aliis perfectioribus eas auferunt; ita vt ſimili proportione ſeruata vocari poſsint, *purgatoriæ*: ergo in viris perfectiſsimis tales etiam reperiri poterunt, quę paſsiones omnino ablatas ſupponent, quod eſt eſſe *purgati animi*, & per conſequens heroicas. Confirmatur, quia ex PP. & DD in omni virtute, ſue naturali, ſiue ſupernaturali; ſiue adquiſita, ſiue infuſa, inueniuntur tres gradus *incipientium*, *proficientium*, & *perfectorum*: ſed iſti tres gradus correſpondent tribus illis virtutis *politicæ*, *purgatoriæ*, & *purgati animi*: ergo etiam reperiuntur illiſae perinde in illis etiã reperiẽtur gradus virtutis heroicę,

De Theologicis

Loquendo ſimiliter de virtutibus Theologicis, dicendum, in eis quoque reperiri heroicitatem. Sic communiter Doctores, ſpecialiter Picolomineus, Aluarez, Seacchus, & Tarquinius relati. Ratio ſumitur, tum ex magna excellentia harum virtutum ſuper alias: tum ex eo, quod ſunt non ſolum ſupernaturales, & ordinis diuini, ſed etiam quod per illas maxime eleuatur homo ſupra ſuam naturam, & proxime accedit ad diuina; in quo præcipuè poſita eſt ratio virtutis heroicæ. Imo addendum, in eis maximè reperiri heroicitatem, quia ſcilicet illæ ſunt heroicæ heroicitate Theologica, & Chriſtiana, ac propria Sanctorum, & quæ propterea maximè deſideratur pro Canonizatione, ſeu Beatificatione Seruorum Dei. Quod præſertim procedit loquendo de charitate, quia ipſa eſt Regina omnium virtutum, vinculum perfectionis, ad Coloſſenſ 3. & quę nos maximè vnit Deo. De quo Sac. Rota in relatione ad Paulum Quintum pro Canonizatione Sancti Andreę Corſini numero 174. & ſequentibus notans etiam rectè: *Illum dicimus habere maiorem charitatem; atque inde perfectionem, qui meliores operationes facit quam proxime nos docuit Chriſtus Magiſter in Euangelio, Matth. cap.* 7. *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos: Illas vero dicimus eſſe meliores operationes, quæ nobis minus ſunt communes cum Ethnicis, vt nos docuit idem Magiſter noſter apud Matth. cap.* 5. *ibi: Nam & hoc Ethnici faciunt.* Has vero virtutes minimè cõmunes, aut minus communes cum Ethnicis recenſet eadem Sacra Rota humilitatem, virginitatem &c. Dicam & ego paupertatem ſpiritus contemptum rerum temporalium iuge rationis exercitium, & maxime abnegationem ſui.

De dono Spiritus.

Idem etiam dicendum de donis Spiritus Sancti, itavt in eis reperiatur etiam heroicitas. Colligitur ex Diu. Thom. prima ſecundæ quæſtione 68. articulo primo ad primum, clarius 2. 2. *quæſt.* 159. *artic.* 2. *ad* 1. & in 3. *diſt* 34. *quæſt.* 1. *artic.* 1. & *ſup. epiſtol. Pauli ad Galatas* 5. *lect.* 6. Et ratio ſumitur tum ex excellentia illorum; tum quia per illa maximè Deo appropinquat homo; tum quia inclinant ad actus egregios, & eximios, qui vel ſunt heroici, vel illis ſimiles.

Dubium.

Si queras, an etiam reperiatur heroicitas in virtutibus intellectualibus, quę ſunt, *ſapientia*, *ſciantia*, *intellectus*, *ars*, *& prudentia*. Reſpondeo, quod attinet ad *prudentiam* ſine dubio in ipſa poteſt reperiri, cum ſit etiam virtus moralis, cui hoc competit. Et ita ſupponere videtur Diu. Thom. dum 1. 2. quæſtione 61. articulo quinto ſæpius citato, inter virtutes *purgati animi* collocat *prudentiã*, quæ *ſola diuina intuetur*. De aliis vero virtutibus intellectualibus dicendum cum Piccolomineo ſupra cap. 4. & Tarquinio etiam ſup. quod licet impropriè, & ſecundum quandam ſimilitudinem illis competat dignitas heroicitatis: Si qui-

Digitized by Google

quidem Aeſculapius, qui dictus eſt Apollinis filius, propter artem medicinæ; & Orpheus ob muſicam, *Heroes* habiti ſunt; ſapientes etiam, ſecundum Platonem, veluti diuini. Nihilominus proprie, & in rigore non competit illis iſta excellentia. Ratio eſt, quia vt notat Medina *in 1.2. quæſt. 61. artic. 5. S. ſecundo notandum eſt* ex Diu. Thom. *quæſt. 56. artic. 3.* virtus perfectæ, qualis eſt heroica, requirit rectitudinem appetitus; cum ergo iſtæ virtutes intellectuales non id petant, quia poſſunt procedere ex mala voluntate, non erunt capaces heroicitatis propriè dictæ. Declaratur hoc, quia, iuxta dicta *ſupra precedenti Tract. 4. diſp. 5. quæſt. 1.* ex Diu. Thom. & aliis Theologis, virtutes morales ſunt principium boni operis, & dant bonum vſum; intellectuales autem, etiam ſi ſint principium boni operis; non tamen dant bonum vſum. Quod eſt dicere, quod actio procedens à virtute intellectuali habet ſolum propriam rectitudinem intellectus, ſcilicet veritatem, cum qua compatitur malitia ex aliqua circumſtantia; at verò actio procedens à virtute morali habet rectitudinem, ſeu bonitatem moralem, cum qua non ſtat aliqua malitia. Quæ omnia multo magis procedunt de heroicitate operum in ordine ad Canonizationem, vel Beatificationem SS. Et notat Sacra Rota in relatione ad Paulum 5. ſuper Canonizatione Sancti Andreæ Corſini ſupra relata num. 168.

Confirmatio. Hęc porro, quæ diximus in ſuperioribus, robur accipiunt ex vſu, & ſtylo Sedis Apoſtolicæ in inueſtigandis virtutibus heroicis pro Canonizatione, vel Beatificatione Sanctorum; vt conſtat ex Bullis Summorum Pontificum, vel Sacræ Rotæ deciſionibus circa Canonizationem, vel Beatificationem Sanctorum: non enim Sancta Sedes Apoſtolica pro tanta dignitate hominibus concedenda contenta eſt, quod in illis virtutes communes probentur: vult etenim heroicas virtutes pro ipſorum Canonizatione. Notauimus hoc in primo illo Conſulto de Canonizatione Sanctorum inter Conſulta varia num. 54. Vnde pro Canonizatione Sancti Henrici Imperatoris Eugenius 3. in Bulla Canonizationis ipſius in primo tomo Bullarii noui pagina 56. inter motiua pro illa facienda, fere ſolum aſsignat hoc opus heroicum ipſius Caſtitatis, quòd videlicet: *In thoro etiam legitimo poſitus (quod paucorum fuiſſe legitur) integritatem Caſtimoniæ vſque in finem vitæ conſeruauit.* Et Gregorius Decimus Quintus in Bulla Canonizationis Sanctæ Thereſiæ in tertio tomo Bullarij pag. 306. eius charitate, & amorem erga Deum ſic commendat: *Adeo in corde eius exarſit vt Confeſſarij ipſius Thereſiæ charitatem tanquam non hominis, ſed Cherubim propriam admirarentur, & celebrarent.* Et infra: *Diuini amoris flamma in corde eius adeo exæſtuabat, vt maximè arduum votum à Deo edocta emiſerit, efficiendi ſemper quicquid perfectius eſſet, & ad maiorem Dei gloriam pertinere intelligeret: Quin etiam cuidam Monali per vſum manifeſtauit ſe non vi morbi, ſed ex intolerabili diuini amoris incendio vita exceſſiſſe.* Quæ ſine dubio heroicos actus amoris erga Deum denotant. Item in articulis pro Canonizatione Beati Andreæ Auellini apud Contelorium de Canonizatione Sanctorum cap. 25. num. 94. ſic dicitur: *Ad docendum in ſpecie de veritate puritatis fidei, ac ſanctitatis vita, atque heroicarum virtutum ſerui Dei D. Andreæ Auellini Clerici Regularis Monaſterij &c.* Item inferius de fide ipſius ſic dicitur: *Item ponunt, quod virtutem fidei in excellenti gradu habuit;* Et de paupertate ſic dicitur: *Item ponunt, quod Seruus Dei fuit amantiſsimus paupertatis, ac eam in eminenti gradu habuit.* In relatione quoque Sacræ Rotę pro Canonizatione Beati Thomę à Villanoua apud Contelorium ſupra pagina 549. dum agitur de virtutibus Cardinalibus ipſius, ſic dicitur: *De Cardinalibus agendum eſt, quatenus ſcilicet ſunt purgatoria, nedum in homine Chriſtiano, ſed in Religioſo, & Epiſcopo, vel quatenus ſunt purgati animi vt in Beatis, & in quibuſdam in hoc mundo perfectiſsimis.*

Scopus quæſtionis Ex dictis autem clarè ſequitur reſolutio quęſtionis propoſitę in principio, an videlicet *Gratia gratis data ſolum hominibus virtutes heroicas habentibus concedantur*; negatiuè namq; reſpondendum eſt, cum conſtet ex dictis in præcedentibus quæſtionibus eas concedi poſſe, & de facto plures eſſe conceſſas hominibus nedum perfectiſſimis, quales ſunt iſ, qui virtutibus heroicis decorantur, ſed etiam minus perfectis, & peccatoribus.

Quæſtio duodecima.

De ſubiecto gratiarum gratis datarum, præſertim an etiam in dæmonijs reperiantur.

Subiectũ gratiarum

COnſtat ex dictis in tota iſta diſputatione ſubiectum harum gratiarum eſſe hominem viatorem. Idque eſt ſecundum fidem certum, cum conſtet Apoſtolum Paulum, qui ipſas enumerat, de illis loqui. Nec ſolum de puris hominibus intelligendum ideſt, ſed etiam de Chriſto Deo, & homine, prout ſæpius notauimus, & latius dicemus in tract. de gratia Chriſti. Poſt ipſum etiam, & intra ipſum ſine dubio huiuſmodi gratiæ etiam donatæ fuerunt Deiparæ Sanctiſſimæ eius Matri, vt probat Ioannes Baptiſta Donatus in lib. de eminent. Virgin. cap. 19. quæſt. 14. Quod tenet expreſsè Rupertus lib. 7. in Cantia. explicans enim illud *delitijs affluens*, ait. *Iure miremur quantis, vel qualibus delitijs affluat. Delitijs gratiarum, quæ manifeſtantur ad vtilitatem, videlicet ſermone ſapientiæ, ſermone ſcientiæ, fide, gratia ſanitatum, operatione virtutum, prophetia, diſcretione ſpirituum, generibus linguarum, interpretatione ſermonum.* Suffragatur etiam valde Diuus Antoninus quarta par. hiſtor. titulo quinto cap. ſecundo §. 15. *Beata Maria fuit gratia plena quadrupliciter: primo, quia omnes gratias generales, & ſpeciales habuit: ſecundo, quia illas gratias habuit à quibus omnis creatura vacua fuit: tertio, quia ſua gratia tanta fuit, quod pura creatura maioris gratiæ capax non fuit: quarto, quia etiam gratiam increatam, ideſt, Deum, in ſe tota continuit.*

De Angelis etiam bonis loquendo pro certo ſtatuendum, eos ex ſua natura eſſe capaces harum gratiarum, ſicut & aliorum habituum, & donorum ſupernaturalium, quæ habent, dum ſunt Beati, & habuerunt dum erant viatores. Imo ratione ſtatus Beatitudinis frui huiuſmodi gratiis etiam in actu ſecundo, ſaltem eminentialiter, & in potentia veluti proxima pro certo etiam videtur. Cum illis non deficiant *ſapientia, ſcientia, & fides* etiam quatenus importat cognitionem certam, & infallibilem ad inſtruendos alios quando oportet, ſecundum Dei prouidentiam: nec etiam gratiæ aliæ; *ſanitatum*; operationis *virtutum*; *Prophetiæ, linguarum*, in corporibus videlicet aſſumptis; *diſcretionis ſpirituum*; & interpretationis *ſermonum*, iuxta præſcriptum etiam diuinæ voluntatis.

An Angeli boni

An Angeli mali

De Angelis autem malis, ſpectata ſolum eorum natura, ita etiam eſt dicendum; cum ſecundum illam à bonis non differant, nec per peccatum ipſam amiſerint. Propter illud tamen, & eorum peruerſitatem, ac ſtatum damnationis, & ſummæ miſeriæ, in quo ſunt, nullatenus poſſunt habere de potentia Dei ordinaria, hęc, aut ſimilia Chariſmata. Sunt enim ſupernaturalia, & ipſi eorum indigni, & ab illis ſpoliati. Specialiter illæ gratiæ, vt ſæpius diximus, ſunt *in vtilitatem* fidelium, illi autem ſunt hoſtes infenſiſsimi hominũ, & omnino implacabiles, qui propterea quantum poſſunt cum Dei permiſsione illis omnia mala inferunt. Solum ergo poteſt quæri, an ſaltem poſſint dici habere dona iſtarum gratiarum, quaſi *materialiter*, & iuxta illorum capacitatem pro præſenti ipſorum miſero ſtatu; aut illa ſuis amicis, ſeu confœderatis, Magis videlicet, Veneficis, & ſimilibus communicare. Ad quod dubium ſigillatim per ſingulas iſtas gratias diſcurrendo, reſpondebo.

De Sapientia

Et primo, quod attinet ad donum, ſeu gratiam *Sapientiæ*, cum iuxta dicta quæſtione ſecunda, comprehendat viſiones, & reuelationes à Deo factas; ſic etiam ſimilitudinariè, & vmbraticè comprehendet diabolicas, & illuſorias repræſentationes, dæmonis malitia confectas. Inter quas celebris eſt illa Numę, qui vt affert D. Aug. 7. de Ciu. c. 35. in aqua videbat *imagines deorum, vel potius ludificationes dæmonum.* Deinde cum *Sapientia* rerum altiſsimarum cognitionẽ, & per altiſsimas cauſas denotet, aliquam velut vmbram ipſius à diabolo ſuis affectis communicari, ac per conſequens illam in ſe etiam habere, exiſtimare quis poſſet. Primo, ſi vera eſſet fictio illa Rabbi Salomonis quam refert Cornelius ad cap. 22. Numer.

mer. verſ. 6. videlicet, Balaam, de quo ibi agitur, ſciuiſſe qua hora Deus irascitur malis (habet enim vnam quotidie ad id deſtinatam, vt Rabbinus iſte fabulatur) & eadem hora imprecari ſolitum alicui maledictionem, quæ mox illi obueniebat: propterea enim Balac Rex Moab dixit eidem Balaam eo cap. 22. *Noui, quod benedictus ſit cui benedixeris, & maledictus, in quem maledixeris*. Sed hęc tam fabuloſa ſunt quam dæmonem habere aliquam gratiam, ſeu donum *Sapientiæ*.

De dono ſcientiæ.

De dono etiam, ſeu gratia *ſcientiæ*, ipſum iſta facultate quoad ſe pollere, videlicet quoad naturalia nulli dubium eſſe poteſt. Eſt enim magnus Philoſophus, Aſtrologus, Medicus, & Mathematicus. Theologus etiam dicerem, ſi veram fidem ſupernaturalem, & voluntariam haberet, aut aliqualem piani ad Dei affectionem: ſed, quia his caret nolo inter Theologos numerare. Hinc quoad alios naturalium ſcientiarum magiſtrum eſſe poſſe, non quidem eas infundendo, quia hoc proprium Dei eſt, ſed cum hominibus colloquendo, & præcepta ſcientiarum tribuendo, ſuadent ea quę adduxi ſupra quæſt. 3. hoc enim ſenſu accipienda ſunt: & tradit Sanct. Thom. 2. 2. quæſt. 96. artic. 1. dicens. *Poſſent tamen dæmones verbis cum hominibus colloquentes exprimere aliqua ſcientiarum documenta*. Quod exponens Caietanus ait: *Scientia per diſciplinam à dæmone docente colloquendo, licet eſſet illicita, quantum tamen eſt ex poteſtate naturali dæmonis, eſſet efficax: quia poſſet facile docere aliquem melius quem quicunque Philoſophus, aut Aſtrologus, ſi Deus permitteret*. Sequitur Torreblanca in Epitom. delictor. lib. 2. ad Magia cap. 14. num. 14. afferens exemplum num. 16. de Romano Ramirez Toleti incinerato, qui hac diaboli ope medicinam adeptus eſt, alia etiam exempla de barbaris, & ruſticis, qui arte dæmonis Philoſophi prodierunt, ex Suida Pauſania, & Eunapio affert idem Torreblanca lib. 3. Iuris Eccleſiaſtici cap. 5. num. 40.

De fide.

De gratia, quę vocatur *fides*, vix aliquid dici poteſt qualiter dæmoni competere poſſit; cum non ſolum fide ſupernaturali careat (eſto, quod fides aliqua naturalis, coacta, & inuoluntaria, ipſi concedi poſſit ex illo Iacob. 2. *Dæmones credunt, & contremiſcunt*, vt DD. admittunt) ſed etiam, quia fides, prout in præſenti eſt gratia gratis data, & importat, iuxta dicta ſupra quæſt. 4. certitudinem de miraculo aliquo à Deo efficiendo in confirmationem alicuius veritatis fidei, & fidelium vtilitatem; quę longe abſunt ab illo propter ipſius peruerſitatem. Nihilominus vmbram aliquam huiuſmodi gratiæ ipſi concedere poſſumus, quatenus videlicet ipſe vt ad peccatum aliquos inſtiget, fingere ſolet miraculum aliquod certo eſſe faciendum. Quemadmodum Matth. 4. dixit Chriſto poſtquam eum ſtatuit ſuper pinnaculum Templi, *ſi filius Dei es mitte te deorſum; ſcriptum eſt enim: Quia Angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollent te ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*, vt propterea à Chriſto propulſatus fuerit verbis illis: *non tentabis Dominum Deum tuum*. Tentat enim Deum qui petit miraculum non neceſſarium. Simili tentatione tentauit diabolus vicitque Heronem Eremitam. Cum enim ſolo pane, & aqua viueret, perſuaſit ei eum à Deo eſſe ſanctum, Deoque, & Angelis curæ, & cordi, vt ipſi eum etiam de alto cadentem exciperent. Præcipitauit ergo ſeſe in puteũ, & miſere perijt. Sic ex Caſſiano *Collat. 2. cap. 5.* Fere ſimilem caſum refert *ibid. cap. 7.* de monacho alio, qui diaboli reuelationibus deceptus filium ſuum, quem ſecum in Monaſterio retinebat, occidere tentabat, vt Abrahæ imitaretur fidem. Opere tamen non implenit intentum, quia puer id præuidens è cella aufugit.

De gratia ſanitatum.

Quantum ad gratiam dictam, *ſanitatum*, pro comperto omnibus eſt, vmbram ipſius, & valde familiarem in malignis ſpiritibus reperiri. Cum enim morborum plurimi per naturales cauſas curari poſſint, ipſique inter eas potentiſſimi ſint, proculdubio illos curandi facultas ipſis nõ deneganda. Sicque ipſorum ope ſe facere quotidie ſagos, veneficos, & ipſorum confœderatos ſępius comprobatur. Et docent Leſſius *de iuſt. & iure lib. 2. cap. 44. dub. 3. num. 20.* Binsfeldius *de confeſſ. Mag. & Sagar. concluſ. 7. & 8.* Carena *de offic. Sacræ Inquiſit. par. 2. tit. 12. §. 2. num. 7.* Bordonus *de Sacro Tribun. cap. 26. num. 41.* Quin vulgo dictos *Saluatores*, vel *Enſalmadores* ſimiles curationes Sathana cooperante per pactum cum ipſis initum, non per aliquam ipſis à Deo gratiam conceſſam, perfici plures DD. ſcribunt. Nec in hoc immorandum: ſiquidem miranda plurima, applicando actiua paſſiuis, & contra-

traria contrarijs, ab ipſis effici poſſe, tota Sacra Theologia fatetur. Et ſane cum ipſi queant morbos varios hominibus inferre; inter quos Epilepſia, paralyſis, cœcitas, ſurditas&c. numerantur, quemadmodum inſignes medici, Codronchus, Cęſalpinus, Fernelius, Valleſius, & plures alij fatentur; maximè cum id habeatur ex Sacra Scriptura Iob 2. vbi diabolus Iobum percuſſit *vlcere peſſimo à plantapedis vſque ad verticem* &c. & Math. 9. Luc. 11. vbi Chriſtus energumenum quendam à diabolo ſurdum, & mutum effectum ſanauit; neceſſario etiam ſequitur poſſe illos curare, auferendo videlicet cauſas, per quas eos immiſit. Vide alia dicenda infra in fine huius quæſtionis ex noſtro Ioanne Beetz.

De operatione virtutum

De gratia appellata *operatio virtutum* multa dici poſſent circa pſeudo miracula magorum ope diabolica conficta. Inter quæ celebre eſt illud Apollonij apud Theophraſtum; quod nempe Romæ puellam quandam mortuam ſuſcitauerit illi admurmurando. Sed tam fictum eſt eam ſuſcitaſſe, quam mortuam fuiſſe, vt notat Euſebius cum Hierocle diſceptans. Famoſa etiam, quæ de tranſmutatione hominum in beſtias, diaboli ope facta, ſcribunt plures, & inter ipſos Viuerius, Henricus Colonienſis, Olaus, & Maiolus. Et putant ita reuera contigiſſe non ſolum Ethnici, ſed & Bodinus, Paracelſus, & Iuſtus Spondanus. Ita quod Iphygenia dum immolaretur in ceruã cõuerſa ſit: ſocii Diomedis in ſues: & ſocii Vliſsis in ſues: Arcades in lupos: Apuleius in aſinum: & puella in equam. Sed hęc commenta Theologi damnant, cum eorum Principibus Diu. Auguſtin. 3. de Trinit. cap. 7. Diu. Thom. 1. par. quæſt. 65. & 3. contr gent. cap 103. quos tota ſequitur ſchola. Huiuſmodi enim transmutationes ſunt ementitę, phantaſticæ, & apparentes. Eas etenim Sathanas molitur, primo, ſolum peruertendo hominum phantaſiam vt tales apparerent, ſicut docet Diu. Auguſtin. lib. 18. de ciuit. Dei cap. 18 quod recte facere poteſt adiutus etiam humore aliquo Melancholico, ex quo morbus *lycanthropia* appellatus, oriri poteſt, quo homines fe canes, boues, aſinos, ſaxa, & ſimillia imaginantur. Secundo, eam figuram aſſumendo, & ipſa circundando eum, quem vult huiuſmodi præſtigio occultare. Tertio, ſubſtituendo corpus illud ferinum ab ipſo dęmone formatum, & ita eludendo ſenſus hominum. Denique aliis modis nobis occultis, & diabolo notis. Torreblanca de magia lib. 2. cap 16. & Caſtaldus de poteſtat. Angelic. tom. 2. pag. 349. ex pluribus aliis authoribus.

De gratia Prophetię

Quoad gratiam *Prophetiæ* dicendum, quod licet dęmones plura naturalia futura cognoſcant, tum acumine ingenij, tum experientia, tum ex ſcientia aſtrorum, qua pollent; de quibus noſter Ioannes Beetz *de præcept. Decalog præcept.* 1. *expoſit.* 4 *cap.* 4. verbis afferendis in fin. huius quæſtionis, nihilominus nunquam ſint veræ Prophetæ; neque in ſe ipſis, quia Prophetia eſt donum ſupernaturale, cuius ſunt indigni, & ratione ſtatus ſaltem moraliter incapaces: neque in ordine ad homines; quia nunquam illis ſufficienter proponunt aliqua, quæ credere debeant, eo quod ſunt indigni vt ipſis fides adhibeatur. Nihilominus ſunt capaces reuelationis Propheticæ, quæ interdum illis fit per Angelos bonos, propter fines videlicet diuinæ prouidentię. Ita ex Diuo Auguſtino 12 Geneſ ad litteram cap. 19. & Diu. Thom q 172. artic. 6 Suarez de fide diſp 8 ſect. 7. in fin. Qui *vltimus huiuſmodi* reuelationes ita fieri per Angelos bonos dęmonibus, non quidem vt propriè eleuentur ad cognitionem ſupernaturalem, quia hæc non decet ipſis concedi, ſed ſolum ad aliquam cognitionem ad quam habendam conuincantur. Ipſorum etiam ſuggeſtione. Magis plura manifeſtata ſunt de occultis, quę pſeudoprophetica erant. Qualia fuerunt quę Socrati ſuus cacodęmon familiaris prędicebat, apud Diogenem *in vit Socratis* Et quæ Marco hæreſiarchę diſcipulo Valentini ſuus Paredrus, apud Sanctum Irinæum lib. 1. cap. 9. Ac quæ Iuliano apoſtatę alter dæmon familiaris, apud Cedrenum in Compend hiſtor. De quibus, & pleriſque aliis Caſtaldus tom. 2. de poteſt. Angelic. à pag. 90. Accedunt ad iſta ea reſponſa, quę hominibus ex ſtatuis, antris, & corporibus obſeſſis prębebant Inter quę ſolemniora videntur, quæ ex ſtatuis, procedebant. Vt in Oraculo Thamudis, de quo Ammianus, & Euripides; & in Ioue Dodonæo, de quo Herodotus, Strabo, Cicero; ac in alijs, de quibus Iuſtinus lib 34. & Torreblanca lib. 8. Iuris ſpiritual. cap. 1. & 3. De quibus omnibus pro fidelium conſolatione, & quia eſt vnum ex argumentis credibilitatis

fidei

fidei Christianæ, vnum dicam; cessasse videlicet hæc omnia aduenientе Christo, vt notum iam est apud omnes: & cessasse in Iudijs post prædicationem Euangelij, vt Chieza, & alij authores rerum Iudicarum fatentur.

De lingua rum gratia.

De gratia quæ appellatur *Gencra linguarum*, dicendum, quod materialiter & similitudinarie multis modis in dæmonibus reperitur. Primo quidem, quia etsi vitaliter externe loqui non possint, quia hoc fit per pulmonis respirationē, & retractionem aeris, quod non potest spirituali substantiæ competere: nihilominus se soli sine adminiculo alicuius corporis, præter aerē, possunt efformare in ipso voces, & verba, quæ voluerint; sicut in statuis, & Idolis faciunt. Torreblanca lib. de Magia cap. 11. n. 6 8. &9. Talis tamen vox non est perfecta, sed stridule, subsibilans, confusa, obscura, debilis, & quasi ex dolio, vel testa rimosa procedens. Abulens. in cap. 7. Exod. quæst. 15. Torreblanc. supr. num. 7. Secundo, in corporibus obsessis, eorum linguam mouendo. Baptista Codronch. *lib. de morb. cap.* 8. Pernellius *de abdit. rer. caus.* Scacchus *de not. & sign. Sanctit. fœt.* 8. *cap. 6. S. Prioris.* Et quotidiana cernitur experientia, rusticos aliquos, vel idiotas obsessos lingua latina loqui, dæmone id faciente per ipsos. Tertio per bruta etiam. Sic enim vera esse possunt plura apud historicos. Videlicet de boue aratori instiganti, ipsi, quę, dicente: *Potius homines defectuosi, quam messes*; & de alio Gneo Domitio dicente: *Caue tibi*; & de cane Simonis Magi Sanctum Petrum salutante, Torreblanc. supr. lib. 2. de magia cap. 25. Quemadmodum Angelus mouit linguam asinæ Balaam, vt loqueretur Numeror. 22. Non quidem locutione propria, & vitali; quia hæc est manifestatio interioris conceptus per quem cognoscitur res dicta, quod brutis repugnat. Sed per motionem artificiosam linguæ, & dentium ipsorum ad vocem articulatam efformandam. Cornelius in cap. 22. Numer. vers. 28. Quarto etiam, per res inanimatas. Quo modo statua Iunonis fari potuit, dicendo, quod vellet transferri Romam; & vt mus salutare Appollonium & Caucasus flumen dicere *Salue Pythagora*, vt historiæ etiam referunt. Multo facilius id facere possunt per aues, cum experientia constet, illarum plures, scilicet psytacos, turdos, picas, & coruos, industria humana addiscere hominum voces. De quo plura idem Torreblanc supra. Nec mirum dæmonem, qui simia Dei est, *velle imitari* Deum, *suos faciendo loqui variis linguis*, prout Spiritus S. Actor. 2. egit. Gentiles insuper, idem fatsi sunt; lymphatos namque fanatico, & variis linguis in morbo loquentes à dæmoniis, vel ab Hecate, aut Heroibus instigatos esse dicebant, Addi potest, aliquas mortuorum locutiones referri, qui cum Gentiles essent, dæmonum ope factas credi potest. Vt se cadauere Polyeriti narrat Plethon Miracul. lib. 1. de cadauere Gabini Plin. lib. 7. cap. 5.

De discretione spirituum.

De dono, seu gratia dicta *discretio spirituum*, dicendum, solum materialiter, & similitudinarie dæmoni concedendam, quatenus ipse, iuxta dicta q. 8. per signa aliqua externa (quæ etiam pro hominibus ad id non possunt deseruire) potest cogitationes hominum conijcere: vel etiam mediis phantasmatibus immissis in phantasiam humanam, ita vehementer, vt homo vix aliud cogitare queat. Poterit etiam illas cognoscere si à Deo alicui viro Sancto reuelatę fuerint, & ipse hanc reuelationē cognouerit. Insuper si à bono Angelo (Deo sic prouidente propter finem aliquem suæ sapientiæ) ipsi aliquando manifestatę fuerint. De his latè, & doctè Torreblanca *de iur. & potest. Spirit. tom. 1. lib. 9. cap.* 14. Per scientiam verò Astrologiæ, aut influxus colorum per Cabalam, aut similia, eas noscere non posse pro certo est apud bonos Theologos.

De interpretatione sermonū.

Denique de gratia appellata *interpretatio Sermonum* qualiter similitudinarie, & abusiuè in dæmonibus reperiri possit, constat ex dictis *quæst* 10. Quibus etiam iungendus alius casus relatus in vita S. Norberti Archiepiscopi cap. 27. apud Surium 6. die Iunij, ubi enim dum esset sermo de maligna operatione diaboli circa hunc punctum de interpretatione sermonum Sacræ Scripturæ sic dicitur: *Nec sic quidem desistit antiquus ille, & malignissimus insinator, totisque bonitatis, & veritatis expers, & cunctorum scelerum subtilissimus architectus. Erat suis emulationum clericum, qui sicut ille de prophęta Daniele spiritum basilerat impostorum: sic iste & de Ioannis Apostoli Apocalypsi nihilominus sacris hæc se scire & rimari debere donacelestium fuerit orum. Quorum omnium ex prioribus in Capitulum adduxisset: ecce inquit, nunc demum visitauit nos Oriens ex alto: quia hunc non diuturna fibolarum exercitatio infuxit, nec labor*

annorum numero computatus edocuit : ſed Angelica quædam reuelatio, quæ per totam noctem ſub tenebrarum ſilentio ad ipſum diligenter inſtruendum, & nos per ipſum laborauit. Hæc etiam abuſiua gratiæ interpretandi Sacram Scripturam frequenter vtuntur hæretici, vt ex vno illorum Vviclepho apud Vvaldenſem noſtrum tom. 2. de Sacrament. de Sacram. Euchariſt. cap. 18. dum loquitur de *Millenario diaboli* elici poteſt. Similiter generaliter addendum, dæmonem poſſe circa interpretationem ſcripturarum humanarum ea omnia, quę ex proprij ingenij facultate homines peritiſsimi poſſunt, cum illos intellectus acumine ſuperet. Inſuper eas omnes interpretationes dare, quas Magi, & diuinatores ipſius miniſtri dare ſolent; cum ipſi hoc faciant ipſius dæmonis inſtinctu, & certa ſit regula illa *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*. Sacrarum autem litterarũ, arcanam interpretationem, circa myſteria, videlicet fidei non ipſi concedam, niſi quatenus eam dari ab Eccleſię Doctoribus viderit, aut experientia comprobauerit.

Addtio. Circa iſta tamen quę diximus de ſimilitudinaria, & vmbratili gratiarum gratis datarum communicatione dæmonibus conceſſa aliqua addenda ſunt ex noſtro Ioanne Beetz antiquo Theologo, quę doctrina, & eruditione plena ſunt, vt propterea lectori nec inutilia, nec ingrata eſſe poſſe credamus. Sic igitur iſte Doctor in ſuo opere de præcept. Decalog. *præcept. 1. expoſit. 4. cap. 4.* loquendo de prędictione futurorum, ſeu rerum occultarum, quod videtur pertinere ad gratiam prophetiæ, ſeũ de diſcretione ſpirituum.

Dæmones pręditi acumine ſenſus, & celeritate motus, nunciant quæ homines pro ſenſus terreni tarditate mirẽtur. Acceſſit etiam dæmonibus longe rerum maior experientia, quæ poteſt hominibus propter breuitatem vitæ prouenire. Per has efficacias non ſolum multa futura prædicunt dæmones falſa, verum etiam multa faciunt, quæ quoniam homines dicere, aut facere non poſſunt, eos dignos, quibus ſeruiant arbitrantur, prænunciant, quę ipſi factum ſunt, accipiunt enim ſępe poteſtatem, & morbos immittere, & peruerſis, atq; amatoribus terrenorum commodorum malefacta ſuadere, de quibus in omnibus certi ſunt quod ſunt eis talia ſuadentibus conſenſuri. Ali, qua etiam prædicunt non, quæ ipſi faciunt, ſed quæ naturalibus ſignis futura prænoſcunt, quæ ſigna in hominum ſenſus venire non poſſunt. Iſta autem futura, vel occulta oſtendunt ſub variis modis, & ſignis, quandoque manifeſtè apparentes, quandoque in ſomnis, quandoque in ſpeculo imaginarij ſub certis figuris apparentes, vt ſub figura furis: quandoque ſub cartula nomen furis inſcriptum habentis, qui dum nominatur, adiunctis his verbis Pſalm. *Quando videbas furem currebas cum eo*, rotula mouetur, & ita furem oſtendit, & aliis multis modis, qui omnes ſunt exrremè deteſtandi, quia fiunt ex pacto cum dæmonibus inito, tacite, vel expreſſe. Quod patet ex circumſtantijs talibus factis annexis. Nam in ſpeculo dęmon ex pacto tali oſtendit effigiem furis imaginariam, quam puer virgo videre poteſt, & non alius &c. & eſt ibi pactum pernicioſum damnans tam facientem, quam eum ad hoc requirentem, vel inducentem. Et in cartulis, dum verba prædicta Pſal. dicuntur ſuper cartula continente nomen furis,

Digitized by Google

furis, quod tunc rotula mouetur, accidit ex pacto dæmonum tacito, vel expresso, quia licet verba in se bona sint tamen, non sunt à Spiritu Sancto ad hoc ordinata, sed solum ex pacto dæmonum. Et similiter dicendum est in omnibus aliis occultis, quæ per inuocationem dæmonum manifestantur, an homo deueniet ad illum, vel illum statum, diuitias, honores, &c. semper. n. sciuntur ex pacto cum dæmone inito: imo qui talia dicunt: inierunt pactum cum dæmonesi & eis credentes, vel ab eis futura, vel occulta præscire cupientes, graviter, vt ipsimet, peccant. Sed si obiiciatur. Primò, quod multa vera dicunt, & reuelant, & quæ ita veraciter inueniuntur. Secúdò, si malum est quod talia inquirantur à dæmonibus, quare tũc Deus ita permittit dæmones talia dicere, & manifestare. Ad primum dicitur, quod licet quandoque veraciter dæmon occulta manifestet, & futura prædicat, tamen illa ab eo cognoscens peccat propter pactum initum cum dæmone, & etiam quia talium cognitionẽ à solo Deo inquirere habet. Deinde licet etiam dæmon aliquando vera dicat, tamen intendit homines assuescere ad id quod ei credatur, & sic intendit perducere in aliquid, quod sit saluti humanæ nociuum. Vnde Athanasius exponens id quod habetur Luc. 4. *Increpauit illum dicens obmutesce*, dicit: *Quamuis vera fateretur dæmon compescebat tamen Christus eius sermonem, ne simul cum veritate etiam suam iniquitatem promulgaret.* Vt nos etiam assuefaciat ne curemus de talibus, etiam si vera loqui videatur. Nephas enim est, vt cum nobis adsit diuina Scriptura, à diabolo instruamur. Ad secundum dicitur, quod Deus talia permittit exigentibus delictis nostris, vel ad exercendum nos: nec mirari debemus: sic enim permisit decipi primos parẽtes, sic Iob ita flagellari permisit, quod supra nos dæmoni exhibeat potestatem, exigẽtibus demeritis nostris. Quandoque etiam dæmon talia futura, vel occulta manifestat sub specie alicuius mortui ad hoc manifeste inuocati, vel occultẽ ex pacto inito: sicut legitur 1. Regum 28. quod Sauli interroganti de euentu futuri belli à muliere habente spiritum Phytonis apparuit Samuel, qui erat mortuus, & ei euentum futuri belli prædixit: vbi, vt asserit August. Non verè spiritus Samuelis à sua requie excitatus est, sed aliquod phantasma, & illusio imaginaria diaboli machinationibus facta, quam scriptura Samuelem appellat, sicut solent imagines rerum suarum nominibus appellari, licet tamen de hoc sint diuersæ opiniones. Et ita patet quomodo dæmon ex pacto cum eo inito, solet, & potest aliqua occulta, vel futura manifestare: & nunquam est

sibi credendum, licèt etiam vera dicat, quia mendax est, & pater mendacij, & in hoc vnò modo cõstitit magnitudo peccati, quod homines dæmoni credunt, cui propter eius nequitias, & astutias credere non debent: & ideo etiam ab obsessis veritas alicuius rei occultè inquiri non debet, vel si dæmones de aliquo occulto aliquid dicant eis credi non debet, nec sine magno peccato fides adhiberi potest, quia semper nos fallere nititur, & veris plerisque falsa immiscet. Vnde non potest sine maximo peccato iudex aliquem furem suspendere ex infamatione facta per dæmonem, nisi ipse delictum confiteatur. Dicit etiam Doctor S. secunda secundæ quæst. 95. artic. 4. in solutione primi argumenti, quod aliud est quærere aliquid à dæmone sponte occurrente, quod quandoque licet propter vtilitatem aliorum, maximè quando virtute diuina potest compelli ad vera dicendum, sic quod falsa non immisceat, quod rarò contingit; & aliud est dæmonem inuocare ad cognitionem occultorum acquirendã ab ipso. Quod autem Christus interrogauit dæmonem, Matth. quinto, *Quod tibi nomen est, & respondit Legio, multi enim sumus*, dicit Beda. *Non velut inscius Dominus inquirit, sed, vt confiteri posse, quam tollerabat, virtus curantis gratior emicaret.*

Circa alias vero gratias gratis datas, *gratis fanitatum, & operatio virtutum*, & etiam *genera linguarum* dicas quod solum *materialiter, & figuraliter* in Angelis malis reperiantur, non vero *formaliter* aut *verè* in ratione doni, aut gratiæ supernaturalis; sic etiam idem Ioannes Beetz supra relatus.

Vnde fit vt Angelus veraciter possit omnia efficere, quæ à natura fieri possunt, applicatione actiuorum, & passiuorum ad inuicem. Nemini autem dubium esse debet amplissimã quandam corporeis elementis mundi huius à conditore collatam esse virtutem, in quibusdam seminibus in natura corporea sparsim latentem, quibus ad inuicem differentur applicatis mirabiles resultant effectus, & os omnes effectus dæmonis industria secundum rei veritatem procurari. Sic malefici Pharaonis per suas incantationes quondam virgas in veros dracones, *Scripturæ* testimonio verterũt, dæmone vtique sparsa in elemẽtis semina, quę sua subtilitate ad hunc effectum nouit esse congrua summa agilitate congregante, & celeriter, ac repente ducente ad actum, quod natura per se, & lente solet efficere. Sicut sæpe in arboribus putrefactis loco medullæ serpentes generati inueniuntur, & dracones, & maximè in arbore, quæ dicitur *Tilia*. Sic turbines, & tempestates, & quaslibet aeris alterationes ad veritatem commouere possunt dæmones inuocati sub aliquo pacto, quod ad tales commotiones faciendas inuocans cum eis inijt: & ita inuentæ sunt mulieres, & viri, qui sibi initis pactis, dæmones

nes suis magicis artibus inuocãtes, aeris turbationes fructuũ destructiones fieri fecerunt. Similiter etiam potest dæmon corpora quælibet à medio, vel ad medium mobilia mira celeritate transportare, & per aera mox in longinquum deferre, vt de Alberto scribitur, qui subito ad Papam à dæmone delatus eum à fornicatione, & diaboli suffocatione præseruauit. Similiter etiam nisi diuinitus, vel à bonis Angelis arceatur seras hostiorum diuellere potest dæmon, & clausa quælibet reserare Insuper opes, aut alia illic inuenta subripere: euulsis radicibus impetu grandi præcipitare potest arbores, maria conturbare, destruere fruges, vineas, fruteta, & cætera penè innumera generi humano parare nocumenta, vt plerisque compertum est. Ita etiam potest ex aere condensato varias formas assumere, & in illis homines tentare, vt patet de Beato Benedicto, qui vidit dæmones in formis domicellarum insimul, in quodam prato corizantes, vt eum prouocarent ad libidinem. Item in vita Beati Andreæ legitur, quod ante portam cuiusdam Ciuitatis fuerunt septem dæmones, qui omnes ibi transeuntes realiter interficiebant, quos in virtute Dei penitus expulit, qui ad alium locum transeuntes vnum puerum in forma septem canum occiderunt, quem Beatus Andreas resuscitari à Deo meruit. Legimus etiam Beatum Antonium realiter à dæmonibus flagellatum, quæ non fuerunt somniales illusiones. Vt autem sciatur circa quas res dæmon ita realiter agere potest, & circa quas non. Notandum, quod quatuor sunt genera rerum, quæ vires dæmonum trãscendunt. Primum genus est corporum cælestium, quæ cum nullius peregrinæ impressionis sint susceptiua, nulla potest in eis virtute dæmonum mutatio fieri, vnde solo diuino miraculo possunt eclypses præuenire, aut subsequi suas causas regulares, Ita nec lydera firmamenti suis priuare luminibus; quamuis densitate nubium possint eorum radij nobis occultari, per quem modum non id ipsis syderibus, sed in ipso verè contingit mutatio, quam, & ipse dæmon, vt dictum est, efficere potest. Secundum genus est specierum Vniuersi, quæ inuicem transmutari non possunt, vnde nulla ratione potest homo conuerti in belluam, aut bellua vna conuerti in aliam sed quicquid de his fieri dicitur sortilegis illusionibus est attribuendum. Tertium genus est quantitatũ dimensiuarum, quæ non nisi diuino miraculo possunt coexistere, & se inuicem penetrando propriorum situum amittere distantias, vnde nulla dæmonis arte potest corpus solidum ianuis clausis ingredi, vel exire aliquem locum: quicquid circa hoc dæmon facere studeat, aut mendosum est, aut de-

deluſorium. Niſi ianuas, vel feneſtras ſubito aperiendo, & claudendo, aut corpus ex aere ſuo ingenio formatum in ſublimitatem aeream reſolutum paulatim per ſubtiles rimas in locum clauſum immittit, & illic in aerem denuo condenſatum, corporis ſolidi imprimit effigiem, per quem modum in denſis nubibus videmus velut montes quoſdam, & alias varias imagines reſultare, & Iridis phãtaſticos apparere colores. Quartum genus eſt operum vitæ, quę vtiq; à nulla ſpecie Angeli boni, vel mali, virtute propria poſſunt in natura corporea exerceri realiter, ſicut patet de mortuo per Simonem magum commoto, qui realiter non viuebat. Vnde quicquid in corporibus aſſumptis dæmones agere videntur, non veritati rei, ſed ſoli apparentiæ eſt attribuendum. Itaque non vitali voce loquuntur, ſed ſola aeris fractura ſonos ſimiles humanæ voci producuntur. Sic nec per oculos potentia viſiua carentes vident, nec per aures audiunt, officiata men horum organorũ quantum ad effectum intellectu ſupplent quo, & præſentia viſibilia, & audibilia diſcernunt, & ſic ad interrogata reſpondent. Sic etiam nec ad veritatem comedunt, & bibunt. Vnde Raphael inquit. Cum eſſem vobiſcum videbar quidem comedere, & bibere, ego autem cibo inuiſibili vtor. Hucuſque Ioannes Beetz relatus.

FINIS.

Ad laudem Dei Patris, Filij, & Spiritus Sancti; Beatiſſ. Virginis Mariæ de Monte Carmeli, & omnium Sanctorum, ſpeciatim SS. Prophetarum Eliæ, & Eliſei.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX
RERVM MAGIS NOTABILIVM

Quæ in hoc tertio Tomo continentur.

Primus numerus Paginam, ſecundus Columnam demonſtrat.

A

ABilardus negabat neceſſarium eſſe ad ſalutem actũ ſupernaturalem fidei. 38. 1. & 51. 2.

Abſolutio ab hæreſi ad quem ſpectet illam concedere. 122. 1.

Abſtinentia eſt pars ſubiectiua virtutis Temperantiæ. 307. 2. Eius definitio. Ibid. Vide verb. *Ieiunium.*

Accidia ab alijs *Acedia*: ab alijs *Atidia* 265. 1. Eius definitio. ibid. Eſt ſpeciale peccatum. ibid. Eſt contra Charitatem 265. 2. Eſt origo, & cauſa deſperationis. 162. 2. Eſt deiectiua ſpiritus. ibid. Reddit animam ſegnem ad bene operandum. ibid. Inducitur per ipſam torpor in Anima ad benè operandum. ibid. Eſt peccatum ex genere ſuo mortale. 165. 2. Numeratur inter ſeptem capitalia, ibid. Eius filiæ ſeptem ſunt: malitia videlicet, rancor, puſillanimitas, deſperatio, torpor, circa præcepta & euagatio mentis circa illicita. ibid.

Accidens eſt ſimpliciter imperfectius ſubſtantia. 180. 1.

Actus idem, & vnus nequit eſſe ſimul practicus, & ſpeculatiuus. 61. 1.

Actus fidei diuinæ ſucceſſiuè ſtare poteſt in eodem intellectu cum actu ſcientiæ, & viſionis claræ eiuſdem obiecti. 25. 1. Nequit tamen de potentia Dei ordinaria ſtare ſimul 26 1. De potentia tamen abſoluta ſtare poteſt. ibid & ſeq.

Actus iſti fidei, ſcilicet, *Credere Deo, Credere Deum: & credere in Deum*, quomodo intelligendi 37. 2.

Actus ſupernaturalis fidei eſt neceſſarius ad ſalutem in Adultis. 38. 1. & ſeq. Intellige de potentia ordinaria. 39. 1. Eſt neceſſarius

INDEX.

ceſſarius neceſſitate medij 40. 1. & ſeq. Eſt quoq. neceſſarius neceſſit. præcepti, 41. 1 Eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam. 42. 1. & ſeq. In triplici ſtatu poteſt reperiri in homine. 51. 2. Eſt meritorius de condigno augumenti gratiæ, & gloriæ, dum procedit ab homine grato. ibid. Si autem procedit ab homine peccatore eſt tantum meritorius de congruo gratiæ. 52. 1. Pro inſtanti, quo homo iuſtificatur poteſt eſſe meritorius de condigno. Ibid. Vide alia verbo *fidei*

Actus fidei ſupponit actum voluntatis, qui vocatur *pia affectio* quo ad exercitium. 58. 2. Imo quoad ſpecificationem. ibid. Eſt poſitiuus hic actus, nec ſufficit permiſſiuus. 59. 1. huius obiectum varium, & multiplex eſt ſecundum diuerſos reſpectus 60. 1.

Actus fidei poteſt vitiari aliqua mala circumſtantia. 70 1. Poteſt ne eſſe ſimul meritorius, & demeritorius? 72. 1. Reperitur in creaturis intellectualibus, & Viatoribus 73. 1. Non in beatis de potentia ordinaria. ibid. De potentia tamen Dei abſoluta poteſt in eiſdem reperiri. ibid. in damnatis non eſt. 73. 2. Actus, quo deſideratur beatitudo, & alia bona non neceſſario elicitur ab ſpe 134 Poteſt etiam elici ab aliis virtutibus. ib. Actus ſpei ſunt plures, 143. 2 Vide verb. *Virtus ſpei* Actus timoris ſeruilis honeſti elicitur à virtute Spei. 153. 2. Actus autem timoris filialis à virtute Charitatis. 154. 1. Actuum internorum Charitatis diuiſio. 234. 1. Qui ſint actus proſequutionis, & fugæ. ibid. & ſeq.

Adæ nominis litteræ quid ſignificent. 406. 1.

Alexander 4. prohibuit laicis diſputare cum Infidelibus. 99. 1. Hæc excommunicatio eſt ſententiæ ferendæ. Ibid.

Alexandr 6. donauit Regibus Catholicis dominium Indiarum Occidentalium, 107. 1.

Ambi ioeſt vitium oppoſitum per exceſſum magnanimitati. 304. 1. Quid ſit, ibid.

Adoratio triplex eſt, ſcilicet, Latria Hyperdulia, & Dulia 214. 2. Adulterium quid ſit 334. 1.

A. M. D. G. ſymbolum Sancti Ignatij, quid importet. 406. 1.

Amicitia quid importat, 171 2. Sumitur pro relatione reperta inter amicos, ibid. Sumitur etiam pro fundamento proximo huius relationis. Ibid. In præſenti, quo ſenſu accipiatur. ibid. Accipitur pro fundamento huius relationis. ibid. Sic ſumpta eſt verè, & propriè Amicitia. ibid.

Amicitia quantum ad eius definitionem. ibid. Vocatur *amor benevolentiæ*. 172. 1. Diuiditur hic amor in amorem concupiſcentiæ, & amicitiæ. ibid.

Amor quid ſit, & quotuplex ſit vide verbo *Amicitia*, Quid ſit Amor concupiſcentiæ. ibid. Quid amor amicitiæ. ibid. Sunt potius duæ denominationes, ſeù reſpectus eiuſdem amoris, quam duo amores. ibid. Amor benevolentiæ quantum ad eius definitionem. ibid.

Amoris Dei conditiones, 282. 2. Signa illius, 282. 2. Effectus. 283. 2. Explicantur particulæ definitionis Amicitiæ. 172. 1. Diuerſimode vſurpatur particula illa *Communicatio bonorum*. 172. 2. Intelligitur de amore beneficijs confirmato. ibidem. Intelligitur etiam de ſocietate, æqualitate, vel communione inter amicos. ib. Amicitia eſt habitus, vel habitui ſimilis, ib. Non ſufficit ad illam ſolus amor actualis amicitiæ. ibid. Variæ diuiſiones amicitiæ. 173. 1. Diuiditur primò ſecundum diuerſitatem communicationum, in quibus fundatur. ibid. Secundò principalius diuiditur ex parte boni, quod amamus. ibid. Traditur definitio amicitiæ honeſtæ. ibid. Item amicitiæ vtilis, ibid. Item amicitiæ delectabilis. ibid. Sola amicitia honeſta eſt vera, & propria amicitia. ibid. Amicitia verò vtilis, & delectabilis, tantum ſecundum quid. ibid. Inter homines iuſtos, & Deum reperitur vera amicitia. 173 2. Charitati competit eſſe amicitiam hominis ad Deũ. 174. 1. Præter amorem amicitiæ ſupernaturalis Charitatis hominis ad Deum datur etiam alius amor amicitiæ naturalis erga ipſum. 176. 1. Præter amicitiã ſupernaturalem in Charitate fundatam, datur etiam alia amicitia naturalis hominis ad Deum fundata in dicto amore naturali amicitiæ. 176. 2. Vide alia verbo *Charitas*. Ad dilectionem illam amicitiæ naturalis ponenda eſt in nobis aliqua virtus elicitiua talis dilectionis. 180. 1. Ad amicitiã etiam politicam ponitur aliqua virtus elicitiua huius dilectionis. 180. 2. Hæc virtus eſt ſpecialis, & diſtincta ab aliis virtutibus. 181. 1. Amicitiæ, & benevolentiæ ſupernaturalis virtus eſt diſtincta à Charitate ſupernaturali. 214. 1. Vide verbo *Charitas*.

Amicus eſt alter ego quid denotat? 181. 1.

Angeli viatores habuerunt euidentiam credibilitatis myſteriorum fidei. 30. 1. & ſeq Quomodo habuerunt, ibid. In prima ſua creatione habuerunt fidem. 72. 2. Hæc erat eiuſdem ſpeciei cum noſtra

Digitized by Google

noſtra. ibid. Hãc etiam habere poſſunt in ſtatu beatitudinis de potentia Dei abſoluta. 73. 1. Sunt capaces gratiarum gratis datarum. 414. 1.

Animæ Purgatorij habent fidem: 73. 1. Sperant beatitudinem. 149. 2.

Aphilothimia opponitur per defectum virtuti Philothimiç. 308. 2. Eſt idem ac *ſine amore honoris*. ibid.

Apoſtaſia à fide eſt receſſus à fide ſemel ſuſcepta. 112. 1. Non eſt ſpecies diſtincta à Paganiſmo, Iudaiſmo, & Hæreſi. ibid.

Apoſtatantes à fide poſſunt compelli ab Eccleſia ad tenendam fidem, quam ſuſceperunt, 101. 1. Debent denuntiari Iudicibus Fidei. 118. 1. Etiamſi ſint omnino occulti. ibid,

Appollonij Magi geſta, 416. 1.

Apoſtoli habuerunt euidentiam credibilitatis myſteriorum fidei. 30. 1. & ſeq. Quomodo illam habuerunt. ibid. compoſuerunt ſymbolum pro omnibus fidelibus. 50. 1.

Appretiatio reperta in actibus Charitatis quid eſt. 224. 2.

Arduitas ſpei in quo conſiſtat. 132. 1.

Articulus fidei tripliciter ſumitur. 35. 2. In qua acceptione eſt veritas principalis, ad quam reducuntur alia credibilia. ibid.

Aſſenſus fidei, & aſſenſus Theologicus diſtinguuntur. 16. 1. Prior aſſenſus ex natura ſua eſt actus ſimplex, & ſine diſcurſu. 16. 2 Quis aſſenſus ſit magis certus. 17. 1. An ſit ex diſcurſu virtuali. 17. 2.

Aſſenſus fidei nequit ſtare ſimul de potentia ordinaria cum aſſenſu ſcientiç claræ, ſeu viſionis de eodem obiecto. 27. 1. De potentia tamen abſoluta poſſunt ſtare. ibid. Nec valent eſſe ſimul in eodem intellectu aſſenſus fidei diuinç, & opinio de eadem re. 27. 2,

Aſſenſus fidei de rebus reuelatis ſtare poteſt cũ euidencia credibilitatis. 33. 2. & ſeq.

Audacia eſt vitium oppoſitum per exceſſum virtuti fortitudinis. 303. 2. Traditur eius definitio ibid. Modo eſt peccatum graue, modo leue. ibid. Hoc dignoſci poteſt à materia, circa quam verſatur. ibid.

Augmentum Charitatis vide *Charitas*.

Auxilium ad credendum quot munera habeat. 5. 1.

Axioma illud commune: *Facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam*, quomodo intelligitur? 41. 2.

B

BAlaam an Propheta. 415. 1. Quid de illo credat Rabbi Salomon. ibid. Quomodo aſina eius locuta fuerit. 417. 1. An per luctum prophetauerit. 398. 2.

Balac quid de Balaam ſenſerit. 415. 1.

Baſilacius fanaticus. 398. 2. Ab Imperatore ad ſe veniente ſalutatus nec reſpondit, nec capitis nutu reſalutauit, ſed præſentibus maledixit, & in imaginem Imperatoris inſiliit. ibidem

Baptiſmus in re ſuſceptus neceſſarius pro paruulis ad ſalutem. 48. 1. Quid pro adultis. ibid. Quæ fides requiſita pro eo. ibid. *Cui* deficit Baptiſmus, habet tamen fidem Chriſti, dici poteſt Chriſtianus quantum ad meritum, licet non quantum ad numerum. 48. 2. Baptyzari nequeunt Chinenſes, dum manent in ſtatu vſurario. 374. 1.

Beata Virgo Maria quare vocatur ab Eccleſia *Mater Miſericordiæ, vita, dulcedo*. 135. 2.

Beatificatio Sanctorum quid importet. 91. 1. An ſit de fide Papam in illa errare non poſſe. ibid. Pars affirmatiua eſt probabilis. ibid. Fundamenta ipſius. ibid. An pro illa deſeruiant gratiç gratis datæ. 403. 2. An virtutes heroicæ. 413. 1.

Beati carent fide. 24. 1. & 73. 1. De potentia Dei abſoluta illam poſſunt habere ibid. Non eſt in illis aliquis actus ſpei. 147. 2. Nec aliquis habitus. 148. 2. Reperitur tamen in illis aliquis actus timoris. 155. 1. Hic actus eſt, quo timent peccatum. 155. 2. De quo peccato timent? ibid. Etiam datur in illis alius actus timoris reuerentialis. 156. 1. Circa quæ verſatur hic timor? ibid. Ad quem habitum, ſeu virtutem pertineant hi actus timoris, qui ſunt in Beatis. 156. 2. Aliquando ad Charitatem, aliquando ad donum timoris ſpectant. ibid, Plus appretiatiuè, & obiectiuè diligunt Deum ſuper omnia. 233. 1. Diligunt quoque plus appretiatiuè ſe, quam alios quantumuis meliores, & ſanctiores: etſi obiectiuè plus diligant illos. ibid. Chriſtus tamen plus ab ipſis appretiatiue diligitur, quam ſe diligant. 233. 2. Similiter magis diligunt meliores, & ſanctiores, quam ſibi coniunctores. ibid. In illis manent virtutes heroicæ. 409. 1.

Beatitudo eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus. 73. 1. Poteſt ab homine alijs deſiderari. 133. 2. Item

Digitized by Google

ſperari, 134. 1. Huiuſmodi actus ſperandi poteſt elici ab aliis virtutibus à virtute ſpei. ibid. Non neceſſario pertinent ad illam. ibid. Dupliciter aliquod bonum poteſt ſperari ab alio. 135. 1. Licite tantum poſſumus ſperare beatitudinem tamquam à cauſa principali à Deo. ibid. Ab homine verò non niſi ſolum vt à cauſa ſecundaria. 153. 2.

Bellum quantum ad ethimologiam, 269. Diſtinguitur à rixa, & ſeditione. ibid Traditur eius diuiſio. ibid. Traduntur etiam conditiones ad bellum iuſtum requiſitæ, ibid. Defectus rectæ intentionis facit, quod bellum ſit contra Charitatem. 269. 2. Defectus cauſæ iuſtæ, & legitimæ authoritatis faciunt, quod ſit contra iuſtitiam. ibid. Poſitis his conditionibus, bellum tam defenſiuum, quam offenſiuum eſt licitum, & honeſtũ. ibid. Bella gerere, ſeu militare etiam in bello iuſto ſpecialiter eſt prohibitum Eccleſiaſticis perſonis. 270. 1. Aſſignantur aliqui caſus, in quibus eſt licitum Clericis, & Religioſis in bello iuſto militare, etiam occidendo. 270. 2. Treſ conditiones ad iuſtum bellum prærequiſitæ. 271. 1. & ſeq. Poſitis etiam dictis conditionibus, poteſt reddi illicitum in aliquibus caſibus. 272. 1. Poteſt Summus Pontifex in aliquibus caſibus belli cauſam ad ſe auocare, bellum interdicere, Principes ad pacem faciendam cogere. 272. 1. & ſeqq.

Beati Benedicti viſio. 421. 1.

Beneficentiæ ethimologia. 241. 1. Eſt actus, quo benefacimus proximo. ibid. Eſt quoque actus externus Charitatis. ibid. Debet exerceri quoad omnes. 241. 2. Maximè verò quoad magis coniunctos. ibid. Propriè loquendo non eſt in ordine ad Deum. ibid.

Beſtialitas eſt ſpecies peccati contra naturam, 337. 2. Eius definitio. ibid. Quomodo diſtinguatur à ſodomia, & aliis ſpeciebus luxuriæ. ibid. Ad eam reducitur ſceleratiſſimus congreſſus cum dæmone. 340. 2. Eſt grauius aliis peccatis contra naturam. ibid. Præter maliciam peccati contra naturam, includit aliam irreligioſitatis, &c. ibid.

Beſtialitas etiam prout oppoſita virtuti heroicæ non eſt ſpeciale vitium, ſed congeries vitiorum, quæ faciunt hominem veluti belluam, aut beſtiam. 409. 1.

Blaſphema propoſitio eſt, quę iniuriam vel irreuerentiam contra Deum, vel Sanctos, continent. 113. 1.

Blaſphemia græce idem quod latine *maledictio*. 122. 1. Definitur, quod ſit *locutio falſa contra Deum per modum conuitij*. ibid Declarantur omnes iſtæ particulæ ibid. Ad ipſam non requiritur expreſſa voluntas derogandi honori diuino 122. 2. Sufficit voluntas virtualis ibid. Diuiſio eius principalis. 123. Hæreticalis blaſphemia quid eſt? ibid. Non hæreticalis? Ibid. Datur etiam contra Beatiſſ. Virg. & Sanctos. 122. 2. Dantur quoque multa exempla. 123. 2. Eſt peccatum mortale ex ſuo genere. 124. 1. Poteſt etiam eſſe veniale ex imperfecta deliberatione. ibid. Non tamen ex leuitate materiæ. ibid! *Non* opponitur ſecundum ſe fidei. 124. 2. Opponitur tantum virtuti Religionis. ibidem. Multis modis conſiderari poteſt. 125. 1. Aliquando eſt grauiſſimum omnium peccatorum, aliquãdo non. ibid. Non omnes blaſphemiæ ſunt eiuſdem ſpeciei. 125. 2. In confeſsione aperienda eſt eius qualitas. 126 1. Hæreticalis iudicatur à Dominis Inquiſitoribus priuatiuè ad alios. ibid. Non hæreticalis cenſetur mixti fori. ibid. Quę eſt in Spiritum Sanctum eſt maxima. 126. 2. Numerantur eius actus ibid. Quare dicatur in Spiritũ Sanctum 127. 1.

Bona Clericorum, ſeu Eccleſiaſticorum ſæcularium ſunt in triplici differentia. 251. 1. Alia *patrimonialia*; alia quaſi ſi patrimonialia; alia mere Eccleſiaſtici, ibid. Quæ iſta ſunt. ibid. Qualium habeant dominium, ibid. & col. 2. Quomodo ex illis ſtrictiori modo, quæ alii teneantur ad dandum eleemoſinas. 251. 2. Vide Verbo *Eccleſiaſtici*.

Bona de quibus facienda eſt eleemoſyna, vide verbo *Eleemoſyna*

Bonum, quod ſecundum ordinem Charitatis eſt præferendum. 227. 2. Vide verbo *Eleemoſyna*.

Bos loquens aratori, & dicens, potius homines defecturos, quam meſſes. 417. 1 Alius dicens Gneo Domitio *Caue tibi*, ibid.

C

CAbala inutilis. 417. 2.

Cæremonijs falſa Sectæ ſerio vti animo colendi illam, eſt omnino illicitum. 55. 2. An quando id ſit animo celandi, ſeu occultandi Religionem Chriſtianam. ibidem. Vide verbo *Signa infidelium*, & verbo *Miſſionarij*.

Cain occiſus ne à Iamech. 18. 1.

Candela, quę non extinguitur in matutinis feria 5. & 6. Hebdomadæ Sanctæ, quid ſignificat. 87. 1.

Digitized by Google

INDEX.

Canis Simonis Magi S. Petr. salutans 417. 1.
Canonizatio Sanctorum quid importet. 90. 2. De fide est Papam in ea errare non posse. ibidem. Qualiter ad illam requiratur miracula. 384. 2. An pro illa deseruiant gratiæ gratis datæ. 403. 2. An requirat virtutes heroicas. 413. 1.
Cassandra filia Priami pseudoprophetissa credita. 399. 1.
Castitas quantum ad suam ethimologiam. 307. 2. Est pars subiectiua virtutis Temperantiæ. 307. 2. Eius definitio, ibid. Variæ eius acceptiones. 331. 1. Illi opponitur luxuria. ibidem. Castitas propriè sumpta est virtus coercens venereas concupiscentias. ibidem. Duplex est, alia perfecta, alia imperfecta. ibid.
Castitas coniugalis quid sit. ibidem.
Catalepsis genus morbi causantis excessum mentis. 354. 2.
Cathechumeni sunt intra Ecclesiam *secundum meritum*. 48. 1.
Catholica cur dicatur fides. 13. 2.
Catholicis aliquando est licitum, aliquando illicitum adire templa Hæreticorum. 57. 2. Absolutè loquendo non est illicita negotiatio cum Hæreticis. 117. 1. Potest enim permitti magna causa vrgente. 117. 2.
Caupones possunt etiam in diebus ieiunij ministrare carnes ijs, quos putant excusari à ieiunio, & carnium abstinentia. 328. 1. Etiam quando rationabiliter dubitant de causa excusante à ieiunio, vel abstinētia à carnibus id facere possunt, ibidem. An quando existimant tales hospites ad se venientes fracturos ieiunium, aut abstinentiam à carnibus. 328. 2. Non tamen possunt inuitare venientes ad se ad manducandum aliquid quo frangatur ieiunium, vel abstinentia carnium. ibidem. Quid dicendum sit, vbi sunt hæretici cum Catholicis permixti, 329. 1.
Censura propositionum contra fidem quid est. 112. 2. Multiplex. ibidem, & seqq. Vide verbo *Propositionum*.
Cœremoniæ infidelium an sint licitę. Vide verbo *Signa*.
Certitudo est firma adhæsio intellectus alicui propositioni &c. 68. 2. Est duplex, alia *obiectiua*, *subiectiua* altera. ibidem. Sumitur etiam dupliciter, scilicet essentialiter, & participatiuè. 142. 1. Sumpta primo modo reperitur in intellectu; secundo modo in alijs potentijs. 142. 2.
Chinenses Christiani tenentur ad obseruandum ieiunium Ecclesiasticum. 372. 1. Similiter ad annuam confessionem, & communionem. 372. 2. Item, ad festa seruanda. ibidem. Non possunt ratione mutui immediatè, & præcisè, aliquid vltra sortem principalem accipere. 373. 2. Nec baptizari possunt, dum manent in statu vsurario. 374. 1. Filij eorum Christiani tenentur restituere illicitè acquisita ex vsuris à parentibus, 374. 2. Possunt pecunias contribuere, dummodo expendantur pro populi lætitia. 375. 1. Nullatenus licet Christianis tribuere idolis cultum, & reuerentiam. 375. 2. Etiam prætextu, vel intentione adorandi Crucem Christi, ibid. Nec etiam illis licet assistere fictè, vel exterius sacrificijs in honorem progenitorum. 377. 2. Neque eorum deprecationibus assistere. ibidem. Aut aliquod ministerium præbere, ibidem.
Charitas quantum ad ethimologiam. 171. 1. Acceptiones variæ ipsius, ibidem. Deriuatur à verbo græco *caritzo*, vel *charir*, quod significat gratiam. ibidem. Sic sumpta distinguitur à verbo *caritas* sine aspiratione, 171. 2. Prout in præsenti Charitas significat idem, quod *amor*, seu *dilectio*, ibidem. Ipsi competit esse amicitiam hominis ad Deum. 173. 1. Ipsi conueniunt omnes conditiones ad amicitiam veram requisitę, ibidem. Est amor mutuus. ibidem. Amicitia non est latens. ibidem. Est communicatio bonorum inter Deum, & homines. ibidem. Est perfectissima, supernaturalis, & ordinis diuini. ibid. Est honesta, non vtilis, aut delectabilis in sensu Aristotelico. 174. 2. Præter amorem amicitiæ supernaturalis Charitatis hominis ad Deum, datur etiam alius amor amicitię naturalis erga ipsum. 176. 1. Similiter præter amicitiam supernaturalem in Charitate fundatam, datur etiam alia amicitia naturalis hominis ad Deum fundata in dicto amore naturali amicitię. 176. 2. Charitas est Deus. 177. 2. Quo sensu ibidem. Non intelligitur de Charitate, qua nos diligimus Deum. ibidem. Bene verè de Charitate, qua Deus nos diligit. ibidem. Dicitur quoque Charitas Deus *essentialiter*. ibidem. Quid significet Ly *essentialiter*. ibidem. Est etiam Charitas Deus *notionaliter*. ibidem. Quod idem est ac Spiritus Sanctus. ibidem. Charitas nostra dicitur ipse Deus participatiuè. ibidem. Charitas, qua Deum diligimus, est aliquid creatum. ibidem. Connumeratur inter dona Sancti Spiritus. ibidem. De fide est Charitatem esse aliquid permanens in anima. 178. 2. Non est verò de fide esse habitum. ibidem. Est tamen ita certum, vt oppositum sit temerarium, & erroneum, vel ferè erroneum. ibid. Est vera virtus. 179. 1. Non solum intel-

ligi-

ligitur de charitate intenſa, ſed etiam remiſſa. 179. 2. Charitas quantumuis minima facit hominem ſimpliciter bonum. 180. 1. Compatitur ſecum habitus vitioſos acquiſitos. ibidem. Eſt ſpecialis virtus, ab omnibus aliis diſtincta. 181. 2. Habet diuerſum obiectum ad omnibus aliis diſtinctum. ibidem. Eſt una virtus. ibidem. Eſt quoque perfectiſſima inter omnes virtutes. ibidem. Excedit in eſſe moris omnes virtutes, ſiue Theologicas, ſiue morales. 182. 1. Ab ipſa habent cæteræ virtutes rationem meriti. ibidem. Eſt quoque Charitas in genere naturæ, ſiue entis, perfectior illis. 182. 2. Excedit ſpem in eſſe entis. 183. Quomodo. ibidem. Eſt quoque perfectior etiam in eſſe naturæ fidei. ibidem. Eſt forma omnium virtutum. 184. 2. Vocatur à Patribus *mater, anima*, ſeu *vita virtutum* 185. 1. Quomodo competit Charitati eſſe formam virtutum? 185. 2. Eſt comes inſeparabilis gratiæ. ibidem. Subiectatur proximè, & immediatè in voluntate. 187. 1. Eſt habitus infuſus à Deo. 188. 2. Eſt etiam per ſe infuſus, & non per accidens. 189. 1. Solum poteſt produci à Deo efficienter principaliter. 189. 1. A nulla cauſa creata hoc modo produci poteſt. ibid. Charitas eſt inæqualis in hominibus iuſtis. 190. 1. Non datur iuxta menſuram perfectionis, aut naturalis capacitatis hominum. 190. 2. Datur autem iuxta voluntatem, & beneplacitum Dei. ibidem. Augeri poteſt in homine viatore. 191. 2. Hoc augmentum non eſt *extenſionis*, ſeu ex parte obiecti. 192. 2. Eſt *intenſionis*. 193. 1. Hæc intenſio fit per additionem gradus ad gradum. 193. 2. Charitas augetur meritoriè per noſtros actus bonos. ibidem. Augetur etiam diſpoſitiuè per actus ipſius. ibidem. Omnes actus Charitatis quãtumuis remiſſi ſunt meritorii gloriæ eſſentialis. 194. 1. Sunt quoque meritorii augumenti gratiæ habitualis. 194. 2. Eodem prorſus modo meretur iuſtus augmentum habitus Charitatis per quemcunque actum Charitatis quantumuis remiſſum, quo meretur augumentum gratiæ, & gloriæ. 195. 1. Actus Charitatis quantumuis remiſſi ſunt meritorij de facto præmij ſupernaturalis. ibid. Hoc augmentum gratiæ, & Charitatis datur ſtatim, ac ipſi actus fiunt. 196. 1. Actus intenſi Charitatis augent illam meritoriè, & diſpoſitiuè ſecundum totam latitudinem ſuę intentionis. 197. 1. Charitas hominis iuſti poteſt vltra proficere. 198. 1. Imo poteſt quantum eſt ex parte ſua augeri in infinitum. 198. 2. Charitas viæ, & patriæ ſunt eiuſdẽ ſpecici. 199. 2. Charitas Patriç excedit Charitatem viæ quantũ ad perfectiones accidentales. 200. 1. Quoad intenſionem tamen habitus Charitatis viæ excedere poteſt habitum Charitatis Patriç. 200. 2. Actus etiam Charitatis viatoris poteſt excedere actus Charitatis aliquorum Beatorum. 201. 1. Charitas in hac vita poteſt aliquo modo eſſe perfecta. 201. 2. Gradus ipſius in hac vita ſunt tres. ibid. Primus vocatur *Incipientium*, ſecundus *proficientium*, tertius *perfectorum*. ibid. Charitas ſemel habita poteſt deperdi. 202. 2. Per quodcunque peccatum mortale deſtruitur. 203. 1. Deſtruitur *moraliter*. 203. 2. Non expellitur phyſicè formaliter per peccatum ſumptum in actu, ſeu in fieri. 204. 1. Habet oppoſitionem effectiuam cum peccato actuali. 204. 2. Expelliitur phyſicè effectiuè per peccatum actuale. ibid. Deſtruitur phyſicè, & ex natura rei per peccatum habituale, ſeu maculam peccati. 205. 1. Per peccatum verò veniale nullo modo deſtruitur gratia, & charitas. 207. 1. Nec per ipſum quantumuis multiplicatum diminuitur intrinſecè habitus Charitatis. 207. 2. Minuitur tamen feruor charitatis. 208. 2. Eius obiectum materiale adęquatum continetur his tribus, ſcilicet, *Deo, proximo, & nobis ipſis*. 210. 1. Principaliſſimum ijs eſt Deus ipſe. ibid. Formale verò *quod*, eſt ipſe met Deus vt bonus in ſe ſecundum plenitudinem omnium perfectionum. 210. 2. Formale *quo* eſt Deus ipſe vt diligendus appretiatiuè ſuper omnia. 211. 1. Per Charitatem duo genera rerum poſſumus diligere, ſeu amare. 212. 1. Charitas, qua Deum & proximum diligimus, eſt eadem ſpecificè. 212. 2. Per charitatem nos metipſos diligere poſſumus. 215. 2. Etiam corpus noſtrum poteſt diligi ex charitate. 216. 1. Imo tenemur diligere nosmetipſos non ſolum dilectione naturali, ſed etiam ſupernaturali charitatis. ibid. Proximus ex charitate à nobis diligendus eſt omnis creatura rationalis. 216. 2. Nomine creaturæ rationalis intelliguntur omnes homines etiam peccatores. 217. 1. Item computantur Angeli boni. ibid. Animæ, quoque Purgatorij. ibid. Non verò homines, & Angeli damnati. ibid. Præceptum, circa Charitatem duplex eſt, affirmatiuum, & negatiuum. 220. 1. Hoc ſecundum obligat ſemper, & pro ſem-

Digitized by Google

ſemper. ibid. Affirmatiuum verò in aliquibus caſibus. 221. 1. Ordo inter Charitatis obiecta repertus triplex eſt, ſcilicet quod vnum ametur plusquam aliud, *obiectiuè*, *appretiatiuè*, & *intenſiuè*. 323.1. Explicantur iſti modi Charitatis. ibid. Inter obiecta Charitatis Deus eſt maximè, & ſuper omnia quęcunque diligibilis. ibid. Eſt ne amandus ſuper omnia omnibus tribus modis aſſignatis? ibid. De Charitate multa ex Ioan. Beetz antiquo Theologo. 279. 1. & ſęqq. Multæ cauſæ, propter quas Deus eſt ſummè diligẽdus. 279.2. Charitas vitiari nequit aliqua praua circunſtantia. 70. 2. Vide alia verbo *Amor*, & verbo *Amicitia*.

Chocolate eſt cibus. 313.1. In notabili quantitate frangit ieiunium. ibid. Quorumdam abuſus. ibidem.

Chriſtus habuit cognitionem propheticam euidentem. 5.2. Virtutes in gradu heroico. 409. Non fuit in ipſo Fides. 24.1. Eſt Caput Eccleſiæ. 87.2.

Clementia eſt pars potentialis Temperantiæ. 307.1. Eius definitio. ibidem. Opponuntur ipſi aliqua vitia. 308. 2.

Clerici tenentur ſtrictius dare eleemoſynã. 251. Vide alia verbo *Eccleſiaſtici*. Multa ſunt quę aggrauant ſacrilegium cõtra Caſtitatem in Clericis. 348. 1. Primum, quia ſunt magis dotati gratijs, donis &c. ibidem. Secundum, quia frangunt votum. ibidem. Tertium, quia ſcandalum, & irriſionem populi generant. ibidem. Quartum, eſt ſcientia, quam habent de Scripturis, & Iuribus. ibidem. Quintum, quia ſunt de familia Dei. ibidem. Sextum, quia ipſi decipiunt populum. 348.2. Sunt alia, quæ aggrauant luxuriam, ſeu ſacrilegium in Sacerdotibus. ibid. Primum eſt, dignitas Sacerdotij, ad quod ordinati ſunt, ibidem. Secundum, eſt dignitas Sacerdotum in ſe. 349 1. Tertium, eſt malum exemplum ſubditorum. 349.2. Quartum, eſt dura pœna, quæ eis infligitur in præſenti, & durior in futuro. 350. 2. In præſenti puniuntur depoſitione. 351. 1. Item, ſuſpenſione, ibidem. Tertio, puniuntur priuatione officij, & Beneficij Eccleſiaſtici. ibid. Quarto, puniuntur etiam excommunicatione. 351.2. Sunt aliæ pœnæ. 352.2. & ſeq.

Communicatio fidelium cum infidelibus in cœremonijs ſuperſtitioſis eſt omninò illicita. 109.1. Eſt licita in rebus politicis, ac contractibus ciuilibus. 109.2 Ob virandam fidei contumeliam eſt prohibita, maximè cum Iudæis. ibid. Habitare cum eis. ibidem. Veſci eorum azimis. ibidem. His vt medicis vti. ibidem. Medicinas ab eis accipere. ibidem. Intrare cum eis in balneum. ibidem. Ad eorum conuiuia accedere. ibidem. Eſſe nutrices filiorum ipſorum. ibidem. Relinquere aliquid eis in teſtamento. ibidem.

Concilium eſt Congregatio aliqua Maiorum, ſeu Prælatorum Eccleſiæ ſub aliquo certo capite. 93.1. Quadruplex eſt ſcilicet Generale, Nationale, Prouinciale, & Diœceſanum. ibidem. Ex quibus conſtat. ibidem. Sunt quaſi innumera. ibidem, Quæcunque Concilia à Papa approbata ſunt infallibilis authoritatis, & Regula fidei. 93. 2. Si non ſunt approbata, non ſunt Regula fidei. ibidem. Sunt tamen magnæ authoritatis. 94. 1. Generale congregatum ſine authoritate Papæ non eſt legitimum ibidem. Item, ſi ſit ab ipſo reprobatum. ibidem. Eſt infallibilis veritatis ſi adeſt illi Romanus Pontifex. ibidem. Item, ſi celebratur per Legatos Papæ ab eo deſtinatos, & inſtructos. 94.2. Non eſt Regula fidei ante Papæ confirmationem ſi celebratur per Legatos non inſtructos à Papa de rebus definiendis. ibidem. Conſequenter errare poteſt. ibidem. De facto errauit ſecundum Epheſinum, & Baſilienſe. ibidem. Aliquibus in caſibus poteſt deponere Papam. 95. 1. Non eſt ſupra Papam. ibidem. Ipſi tenentur intereſſe Primores Eccleſiæ Prælati, videlicet, Archiepiſcopi, Epiſcopi &c. 96 1. Concilium Conſtantienſe damnauit propoſitiones Ioannis Vvicleph, & Ioannis Hus. 112. 2. Concilium Tridentinum anathematizauit qui fidem, & fiduciam non diſtinguit. 138 2. Vide infra verbo *Controuerſia*.

Concluſio ſequitur debiliorem partem. 17.1. Multis modis intelligi debet. ibid.

Confeſſio externa fidei eſt actus virtutis fidei. 53. 1. Si conſideratur *phiſicè*, ſcilicet ſecundum ſuam entitatem, eſt actus imperatus. 53. 2. ſi verò conſideratur *moraliter*, ideſt prout continet bonitatem virtutis fidei, eſt actus elicitus ab illa. ibid. Poteſt etiam elici ab aliis virtutibus ſi fiat ex motiuis illarum. 54.1. Obligat quoad præceptum non negatiuum negandi fidem omnes & ſemper. 54.2. Eſt præceptum diuinum naturale ibidem. Facit contra illud, qui negat fidem exterius etiam ſi interius non diſſentiat. ibid. Quo ad præceptum affirmatiuum confeſſionis dicendum obligare quando ex taciturni-

turnitate, vel ex non confessione fidei prouenit detrimentum honoris Dei, vel vtilitatis proximi. 54. 2. Alii casus. 55.

S. Congregationis de propaganda fide declarationes, seu decreta ad quæsita à Missionariis Chinæ, seu Sinarum. 371. 2.

Constantinus Magnus Arrium hæresiarcham cum Eusebio, & Teogdine in exilium misit. 115. 1.

Contentio prout in præsenti quid sit. 267. 2. est vitium, seu peccatum quandoque contra alias virtutes, quandoque autem specialiter contra charitatem. ibid Est filia inanis gloriæ. 268 1. Ex genere suo est peccatum mortale. ibid.

Continentia est pars potentialis virtutis Temperantiæ. 307. 2. Traditur eius definitio, ibid. Non est virtus perfecta. ibid.

Contrariorum eadem est ratio, quantum ad hoc, quod pertinent ad eandem scientiam &c. 161. 1.

Controuersia de Circúcisione, & legalib ob seruatione decisa fuit à Concilio Apostolorum. 8 11. De celebratione Paschæ à Papa Victore. ib. de Misterio Trinitatis a Conciliis Alexandrino, & Nicæno, & à Sanct. Siluestro Papa. ibid. De Incarnatione à multis Conciliis. ibid.

Contumeliosa propositio est, quæ Deo, Sanctis, aut Prælatis, aut Religionibus iniuriam affert. 113. 1.

